S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XI DICATA

VOLUMEN V

QUADRAGESIMALE SECUNDUM

PARS II

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMXXXIX

IN PRAEPARATIONE:

QUADRAGESIMALE SECUNDUM S. LAURENTII A BRUNDUSIO ORD. MIN. CAPUCCINORUM ✣ ✣

OPERUM OMNIUM VOLUMEN V PARS III

Pretium praesentis voluminis lib. it. 85

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA


con devozione affettuosa
Roma 1933

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XI DICATA

VOLUMEN V

QUADRAGESIMALE SECUNDUM

PARS II

PATAVII
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII
MCMXXXIX

SEGRETERIA DI STATO

DI SUA SANTITÀ

Dal Vaticano, 9 Giugno 1938

REV.MO PADRE,

Sono lieto di farmi interprete presso la P. V. Rev.ma della viva gratitudine, con cui l' Augusto Pontefice ha accolto le pubblicazioni diverse da Lei umiliateGli in omaggio a nome dell' Ordine dei Frati Minori Cappuccini.

Con particolare compiacenza il Santo Padre ha esaminato e scorso il nuovo tomo appartenente ad " Opera Omnia „ di S. Lorenzo da Brindisi, così ricco di erudizione.

Il Vicario di Cristo ricambia il dono e il pensiero filiale con la Benedizione Apostolica estensibile a tutto l' Ordine Religioso cui Ella appartiene.

Mi valgo volentieri della circostanza per confermarmi con sensi di sincera stima

della P. V. Rev.ma aff.mo nel Signore

E. Card. PACELLI

Rev.mo Padre

P. VIGILIO DA VALSTAGNA

O. M. Cap.

ROMA

FR. DONATUS A WELLE

TOTIUS ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM MINISTER GENERALIS (l. i.)

Praesentium virtute annuimus ut editio Operum Omnium Sancti Laurentii a Brundusio O. Min. Cap., a Patribus Provinciae Nostrae Venetiarum iuxta textum originalem elaborata et adnotationibus illustrata, iam sub Praedecessore nostro incoepta, servatis de iure servandis, publici iuris fieri possit.

Datum Romae ex Curia Nostra generali,
die 29 Decembris 1938

FR. DONATUS A WELLE
Min. Gen.lis Cap.

(L. S.)

Attente perlegimus volumen quintum Operum Omnium Sancti Laurentii Brundusini, quo continetur eiusdem « Quadragesimale Secundum, pars secunda ». Nihil in eo invenimus a mente Ecclesiae alienum, at omnia fidei et morum dogmatibus consona.

Friburgi Helvetiorum, die 27 Decembris 1938


† FR. HILARINUS FELDER O. M. Cap.
Episc. Tit. Ger.

FR. CRISPINUS AB APPENZELL O. M. Cap.
Lect. Theol. emeritus

Nihil obstat quominus imprimatur
Patavii, die 31 Dec. 1938
Can.cus Doct. OLIVUS LUISETTO
Cens. Ecc.

Imprimatur
Patavii, die 1 Ian. 1939
† CAROLUS AGOSTINI - Episcopus

QUADRAGESIMALE
SECUNDUM



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

FERIA QUINTA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

I. Sicut nobilissimus eques ad generosum equum optime regendum, praeter subsellium cum stapedibus et frenum cum habenis, opus etiam calcaribus habet, ut quo vult et quando quomodocunque equum ducat et regat manu virgam [1] tenens, ita Christus, optimus ille eques a Ioanne in *Apocalypsi* visus tanquam rex coronatus super equum album, [2] ad regendum populum suum tanquam equum, praeter subsellium fidei et caritatis et frenum divinae legis, praeter stapedes minarum et promissionum iustitiae et misericordiae suae habenasque suae providentiae, uti etiam vult calcaribus, dextro et sinistro, spei et timoris. His calcaribus pungit hodie latera populi christiani: calcari timoris aeternae poenae, ad quam a divina iustitia damnatus fuit dives epulo, et calcari spei coelestis gloriae, ad quam ex divina misericordia et gratia perductus ab Angelo fuit mendicus Lazarus. [3] His nos calcaribus pungit, cupiens ut curramus per viam iustitiae et mandatorum Dei ad bravium salutis aeternae in paradiso, ubi videmus quanto amore Deus prosequatur bonos et quo odio malos.

Hodie Christus in viam iustitiae nos urget.

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam, etc. [4]

II. Sicut [5] cancellatis brachiis patriarcha Iacob posuit dexteram suam super Ephraim, qui erat a sinistris, minor filius Ioseph, et sini-

In epulone et Lazaro duo opposita considerantur:

1) Ms.: *Manum virga tenens.* 2) Cf. 19, 11. 3) Cf. Lc 16, 22. 4) Pericope huius diei Lc 16, 19 sqq. Cf. Missale Rom. 5) In margine haec adiecta fuerunt: « Ostendit Dominus in hodierno Evangelio quod mundus iste est veluti arca Noe, in qua erant animalia munda et immunda, hic iusti et peccatores; veluti regio Pentapolis,

felicitas temporalis, quam sequitur infelicitas aeterna,

stram suam super Manassem, qui erat a dextris filius natu maior, [6] sic hodie agit Deus cum epulone et Lazaro. Dextera Dei est felicitas omniumque bonorum copia, sinistra vero infelicitas summaque inopia et miseria. Epulo in hoc mundo erat a dextris, Lazarus a sinistris. Sed ecce cancellatae manus Dei : *Recordare, fili, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala ;* propterea *hic consolatur, tu vero cruciaris.* [7] Sic iussit Dominus apud Ezechielem ut qui ingrediebantur in templum per portam australem egrederentur per aquilonarem, ingressi per aquilonarem egrederentur per australem. [8] Epulo ingressus fuit per australem, ubi magna lucis copia calorisque, Lazarus per aquilonarem, ubi magna est lucis et caloris inopia, in mundum hunc, qui templum et domus Dei est : *Homo quidam erat dives . . . et erat quidam mendicus; Recepisti bona in vita tua et Lazarus similiter mala.* Sed Lazarus egreditur per australem et epulo per aquilonarem : Propterea *hic consolatur, tu vero cruciaris ; Mortuus est . . . dives et sepultus est in inferno . . . Factum est . . . ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae.* [9]

et infelicitas temporalis, quam sequitur felicitas aeterna.

Sic Lazarus fuit Angelus ascendens per scalam Iacob, epulo vero descendens. Sic videmus hodie Iacob dilectum, Esau autem odio habitum. [10] Esau dicitur hebraice factus, factum autem dicimus quod completum est, cui nihil deest ; Iacob autem calcaneum, corporis infima pars. Sic epulo fuit in mundo dives, cui nihil deerat, imo multa affluenter supererant, sicut Esau multis pilis superfluis abundabat ; [11] Lazarus autem vilissimum quid erat in mundo. Et quidem mirum est quod duo illi fratres ex matris utero coeperunt esse contrarii, *collidebantur* enim *in utero* matris. [12] Sed tandem Iacob minor factus est maior. Sic enim ait : *Maior serviet minori.* [13] Sic utique duo isti ab aeterno fuerunt in utero

Utriusque figurae fuerunt Esau et Iacob, ille reprobatus, iste electus.

quae amoenissima videbatur sicut hortus deliciarum, sed brevi combusta fuit igne sulphureo; sicut Aegyptus, in qua, post septem annos fertilitatis, venerunt anni summae penuriae; sicut mare Rubrum, in quo periit Pharao cum omni exercitu suo et salvatus fuit Moyses pauper cum Hebraeis; sicut vadus Iordanis, in [quo] a Iephte omnes fere Ephrataei non valentes dicere *scibboleth* submersi fuerunt, Ephrata autem ubertas interpretatur; sicut civitas Iericho anathematizata ne quis ex ea aliquid acciperet ; sicut fornax babylonica, sicut lacus leonum Danielis. Videtur pratum floridum, sed serpentibus plenum; convivium lautissimum, sed cibis venenatis; triremis damnatorum foris pulcherrima; est infernus verus sub larva paradisi ».

6) Cf. Gn 48, 12-21. 7) Lc 16, 25. Vulg.: *Fili, recordare*, etc. 8) Cf. 46, 9.
9) Lc 16, 22. 10) Cf. Mal 1, 2-3; Rom 9, 13. 11) Cf. Gn 25, 25. 12) Ibid. vr. 22.
13) Ibid. vr. 23; Rom 9, 13.

matris, in mente divina creatrice universi, valde contrarii : Lazarus praedestinatus, epulo praescitus ; Lazarus electus, epulo reprobatus.

III. In divina praedestinatione et praescientia considerare possumus tria : principium, medium et finem. Principium praedestinationis est amor, praescientiae odium : *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* [14] Medium praedestinationis est gratia et virtus, praescientiae autem peccatum et vitium. Finis praedestinationis gloria paradisi, finis praescientiae poena inferni. Ecce contrarietas horum duorum quoad principium : Lazarus praedestinatus, electus, dilectus, hinc Christus exprimit nomen eius, Moysi enim dixit Deus : *Novi te ex nomine et invenisti gratiam coram me ;* [15] epulo praescitus, reprobatus, odio habitus, hinc eius tacetur nomen. Quoad media : Lazarus iustus, sanctus, coelestia amans et propter Deum patienter extremam miseriam et calamitatem ferens, patientia autem caritatis probatio est, in tribulatione probatur caritas sicut aurum in fornace sub malleo et incude; epulo autem peccator, vitiis carnis et mundi deditus, absque ulla caritate et pietate erga mendicum ulceribus plenum. Et tandem quoad finem : *Factum est ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae :* ecce gloria paradisi : *Nunc autem hic consolatur ;* [16] *Mortuus est autem et dives et sepultus est in inferno . . . Cum esset in tormentis . . . Crucior in hac flamma.* [17] *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

In divina praedestinatione tria consideranda sunt: principium, medium et finis.

Diligit Deus iustos, quoniam summe bonus est, omne autem simile diligit sibi simile ; [18] odio habet peccatores, quia summus est peccati inimicus. Sunt in Deo aequalia veluti duae lances in iustissima bilance amor virtutis et odium vitii, sicut in homine amor vitae ac sanitatis et odium mortis ac infirmitatis aequalia sunt. Diligit iustos tanquam sibi similes, odio autem habet peccatores tanquam dissimiles.

Deus diligit iustos et odit peccatores,

Sed dices : Deus ditissimus est, gloriosissimus et beatissimus. Quomodo ergo magis similis ei erat Lazarus mendicus quam homo dives, ille ignobilissimus quam nobilissimus iste, ille infelicissimus

quia virtus similem Deo hominem reddit, peccatum autem dissimilem.

14) Mal 1, 2-3; Rom 9, 13. 15) Ex 33, 12. 16) Lc 16, 25. 17) Ibid. vrr. 23-24.
18) Axioma philosophicum ex Aristotele *Ethicorum Nicom.*, lib. 8, cp. 2, t. 2, pag. 59; cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 124-125.

quam felicissimus iste? Sed da mihi principem habentem duos servos: alterum quidem vultu moribusque simillimum, habitu autem dissimilem; alterum vero externo tantum habitu similem, vultu autem et moribus dissimillimum. Quem dices tu principi similem: primum an secundum? Utique primum, illa enim vera similitudo est. Nunc dico quod Deus summa bonitas est, summa caritas, summa sanctitas, haec enim sunt ipsamet Dei essentia atque substantia. Ille igitur vere similis Deo est qui bonitate, caritate, sanctitate singulari praeditus est, qualis fuit Iacob, non qui vitiis deditus est, qualis fuit Esau: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Non mensuratur Dei amor a largitione bonorum temporalium,

IV. Sed adhuc dices: Amoris signum est bene agere beneficiisque afficere, non male alicui facere. Deus autem non Lazarum sed epulonem beneficiis multis donasse videtur; huic enim divitias dedit, huic gloriam, huic omnia bona mundi, Lazaro autem omnia mala, *erat* enim *mendicus... ulceribus plenus* et *cupiens saturari de micis, quae cadebant de mensa divitis.*[19] Quis ergo qualisque amor est iste? Scandalizantur multi videntes bonos in hoc saeculo multa mala pati, sicut Iob in tribulatione positus;[20] malos autem multis bonis affluere, atque hinc multi sumpserunt ansam negandi divinam providentiam. Sancti etiam viri in hoc scandalum nonnullum passi esse videntur. Ieremias enim ait: *Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum; veruntamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui... inique agunt?*[21] Habacuc etiam:[22] *Quare respicis super iniqua agentes et taces devorante impio iustiorem se, et facies homines quasi pisces maris et quasi reptile non habens principem?*[23] Beatus Iob etiam ait: *Quare... impii vivunt, sublevati sunt confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum; domus eorum securae sunt et pacatae et non est virga Dei super illos.*[24]

et sine ratione multi scandalizantur videntes iustorum tribulationes et impiorum prosperitatem,

et etiam viri Sancti scandalum pati videntur;

Regius Vates hac de re multa veluti scholastice disserit

19) Lc 16, 20-21. 20) Cf. Iob 1, 13-2, 1-10. 21) 12, 1. Vulg.: *Loquar iusta*, etc. 22) Ms. sic habet: « Habacuc etiam: *Quare, inquit, quare respicis contemptores et taces, conculcante impio iustiorem se, et facies homines quasi pisces maris et quasi reptilia non habentia ducem?* Itemque replicat: *Quare respicis super iniqua* », etc. Putamus lapsum fuisse S. Auctoris, nullibi enim haec replicantur in Habacuc. 23) 1, 13-14. 24) 21, 7-9.

in utranque partem disputando, posita conclusione veritatis: *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde!* Haec est veritas, quod viros probos Deus magno et ineffabili amore prosequitur. At vero ait: *Mei... pene moti sunt, declinaverunt* quasi in lubrico *pedes, pene effusi sunt gressus mei,* in fide divinae providentiae nonnullum scandalum passus, *quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns, quia non est respectus morti eorum:* non patiuntur quae urgeant cogantque desiderare mortem, *quia non est firmamentum in plaga eorum, pingue atrium eorum,* affluunt omnibus bonis. *In labore hominum non sunt et cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit,* torque veluti circumdedit *eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua,* sive *operiet ornamentum iniquitatem ipsorum, prodiit quasi ex adipe iniquitas ipsorum, prae pinguedine egrediuntur oculi eorum, transierunt in affectum cordis:* superat bona fortuna prosperitasque cogitationes et desideria eorum, cum tamen impietate sint pleni. *Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt. Posuerunt in coelo os suum et lingua eorum transivit in terra:* hinc scandalum patiuntur nonnunquam fideles. *Ideo convertetur populus meus hic,* sive *populus eius huc:* circa hoc centrum volvitur mentis rota, *et dies pleni invenientur in eis:* saepe reproborum et infidelium prosperitatem considerant, videntes in eis omnium bonorum superfluentem abundantiam, *aquae* enim *plenae exprimuntur eis,* hinc *dixerunt: Quomodo scit Deus et si est scientia in excelso? Ecce ipsi peccatores et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias. Et dixi: Ergo sine causa iustificavi cor meum et lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die et castigatio mea in matutinis?* Si bene est his qui male agunt, et male his qui bene agunt, frustra virtuti operam dedi. Sed, inquit, *si dicebam sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi:* si, inquit, doceam frustra virtuti operam dari, omnem nationem filiorum Dei praevaricari faciam. *Existimabam, cogitabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me, labor in oculis meis,* perscrutari secreta divinae providentiae, cur felix in hoc mundo impius epulo, pius autem Lazarus infelix; *donec intrem in sanctuarium Dei et intelligam novissima eorum:* [25] finis omnium inspiciendus et expectandus est. Ecce finis: *Mortuus est... dives et sepultus est in*

sed bene Regius Vates de hoc mysterio disserens et multa disputans,

concludit bonitatem Dei exaltando,

25) Ps 72 (hebr. 73),1-17.

inferno . . . Factum est . . . ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae.

quia finis videndus est, sicut ostenditur in Lazaro et in epulone;

Fuit vita epulonis tanquam flebilis tragoedia, vita autem Lazari sicut laetissima comoedia. Fuit illa sicut navis feliciter navigans, sed tandem in ore portus impingens in scopulum passa naufragium; haec autem sicut navis in mari ventis, procellis, tempestate agitata, sed tandem feliciter in portum ingressa. Fuit ille sicut arbor in autumno foliis fructibusque onusta, quam tamen manet horrida hiems; hic autem sicut arbor in hieme expectans floridum ver. Accidit illi sicut superbo illi Aman,[26] huic autem sicut humili Mardochaeo;[27] illi sicut Sauli,[28] huic autem sicut Davidi;[29] illi sicut Pharaoni,[30] huic autem sicut Moysi;[31] illi sicut Ismaeli, huic autem sicut Isaac;[32] illi sicut Esau, huic autem sicut Iacob.

ille enim malis in hoc mundo pressus, in coelum exaltatur;

Sprevit Esau ius primogeniturae et pro uno edulio vendidit ipsi Iacob res magni momenti.[33] Erat tunc primogenitura uti nunc apud principes, primogenitus enim, natu maior, succedit patri. Erat igitur primogenitura ius hereditatis, primogenito enim maior pars contingebat. Sed quia primogenituram sprevit et vilissimo pretio vendidit, Deus iusto iudicio ipsum etiam paterna benedictione privavit deditque Iacobo, qui primogenituram sibi coemerat. Primogenitura significat gratiam, quae instituit nos heredes regni coelorum, benedictio autem gloriam paradisi, quae in omnium bonorum abundantia consistit: *Det tibi Deus de rore coeli et de pinguedine terrae abundantiam frumenti et vini.*[34] Qui autem gratiam spernit, procul dubio privabitur gloria. Sprevit epulo gratiam Dei et non spiritum sed carnem sequi voluit, epulari splendide; hinc *mortuus est . . . et sepultus in inferno.* Lazarus autem, qui temporalia spernens primogenituram gratiae desideravit, benedictionem etiam consecutus fuit, ut *portaretur ab Angelis in sinum Abrahae,* ubi perpetuo consolatur, aeterna felicitate donatus.

hic autem bonis in mundo cumulatus, in inferno sepelitur.

V. Et ob hanc causam saepe Deus electis suis non dat temporalia bona, ne horum occasione amittant aeterna, ne comedentes

26) Cf. Est 7, 9 sqq. 27) Cf. ibid. 8, 15 sqq. 28) Cf. 1 Rg 16, 1. 29) Cf. ibid. vrr. 12-13. 30) Cf. Ex 14, 22-28. 31) Cf. ibid. vrr. 29 sqq. 32) Cf. Gn 21, 10-12. 33) Cf. ibid. 25, 29 sqq. 34) Ibid. 27, 28.

de ligno . . . scientiae boni et mali, amittant *lignum vitae*[35] perpetuamque felicitatem paradisi cum immortalitate aeternae vitae. Nam bona temporalia, cum sint occasio superbiae, luxuriae, gulae, avaritiae et aliorum quorumvis vitiorum, sunt etiam aeternae damnationis occasio, sicut luce clarius in epulone isto hodie cernitur.

Ideo Deus saepe electis suis temporalia bona negat, ne horum occasione amittant aeterna,

Hinc Regius Vates eodem *Psalmo* ait: Quoniam *propter dolos posuisti eis, deiecisti eos dum allevarentur:*[36] sunt temporalia bona fallaces quidam doli et decipulae, quibus capiuntur aves, esca qua hamo capiuntur pisces. Hebraice autem est: *Profecto in locis lubricis posuisti eos, cadere fecisti in desolationes. Quomodo facti sunt in desolationem . . . perierunt propter iniquitatem suam. Velut somnium insurgentium, Domine, in civitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges*, sive *spernes* atque contemnes. Hinc accusat seipsum ob scandalum passum: *Quia*, inquit, *inflammatum est cor meum et renes mei commutati sunt. Quoniam zelavi super iniquos pacem peccatorum videns . . . ad nihilum redactus sum;* אֲנִי־בַעַר,[37] *ego pecus, et nescivi, ut iumentum . . . sum apud te.*[38]

sunt enim fallacia et facile seducunt.

Et tandem, ne putemus quod omnibus bonis destitutos velit electos suos Deus in hac vita, ostendit quod mala, quae electi Dei videntur pati in hac vita, non sunt vera mala: *Quid enim*, inquit, *mihi est in coelo, et a te quid volui super terram?*[39] Praecipua pars hominis, qua homo est, spiritus utique et anima est, non caro et corpus; mens et ratio, non sensus et appetitus animalis. Omnis autem spiritus afflictio nascitur ex amore, amor enim mensura doloris est:[40] parentes, dum filios dilectissimos amittunt, nimium dolent, quia nimium amant; alieni autem nihil dolent, quia nihil amant. Sic semper ex amore nascitur dolor. Sed homo vere iustus in mundo nihil diligit nisi Deum, in Deo et propter Deum: *Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.*[41] Qui Deum secum habet fontem perennem omnis consolationis, quam tribulationem pati in corde suo potest?

At mala ipsa quae electi pati videntur in hac vita, vera mala non sunt, quia ipsi non diligunt bona mundana

Hinc tandem concludit: *Mihi . . . adhaerere Deo bonum est,*

35) Ibid. 2, 9. 36) Ps 72 (hebr. 73), 18. 37) Ms.: *Ani bahar.* 38) Ps 72 (hebr. 73), 19-23. 39) Ibid. vr. 25. 40) Adagium, de quo cf. part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 565, not. 72. 41) Ps 72 (hebr. 73), 25-26.

et Deum possident fontem totius consolationis.

ponere in Domino Deo spem meam. [42] Qui stat prope ignem, non potest non sentire calorem; qui coram sole, non illuminari; qui apud fontem sitiens, non bibere; qui in lautissima mensa esuriens, non comedere; qui gustat mel, non sentire dulcedinem; qui olfacit odoratissimum florem, liquorem aut quodvis aromaticum, non sentire odorem; sic qui spiritu et corde adhaeret Deo, non potest non frui eius bonitate: *Mihi... adhaerere Deo bonum est; Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!* [43] Sic in spiritu, in anima, in corde multo erat felicior Lazarus epulone, quoniam Deum secum habebat, quo infelix ille carebat.

qui implet omnia desideria eorum.

Et hominis quidem felicitas consistit in plena satisfactione desideriorum cordis sui. Facilius autem assequi potest homo parum quam multum; pauper autem parum desiderat: *Cupiens saturari de micis,* dives autem volebat epulari *quotidie splendide;* et sicut melior multo est anima corpore, spiritus carne, ratio sensu, siquidem ab anima pendet omne ipsius corporis bonum, sic multo meliora ac pretiosiora sunt spiritualia bona carnalibus.

Hinc cerni potest quantus sit amor Dei erga iustos patientes et quantum odium contra reprobos gaudentes;

VI. Cerni igitur clarissime potest hodie qualis quantusque sit Dei amor erga electos et odium contra reprobos. Amor in aeterna praedestinatione et electione, in temporali iustificatione per adoptionem filiorum et tandem in beata glorificatione in coelo: o si haec tria intelligeremus! Odium vero in praescientia et reprobatione ab aeterno, in temporali derelictione, dum peccatorem Deus tradit in reprobum sensum, [44] dum indurat cor eius, dum excaecat cor oculosque et aures claudit, ne convertatur et salvetur, [45] et tandem in damnatione perpetua: *Mortuus est... dives et sepultus est in inferno.*

propter illos enim paradisum creavit, propter hos infernum.

O magna Dei misericordia erga electos, et o severissima eiusdem Dei iustitia in reprobos! Propter illos creavit paradisum, propter hos autem infernum; propter illos misit Christum in mundum, propter hos autem diabolum reliquit in mundo; propter salutem illorum bonos Angelos conservavit, propter damnationem istorum cacodaemones in caligine reservavit.

42) Ibid. vr. 28. 43) Ps 30, 20. 44) Cf. Rom 1, 28. 45) Cf. Io 12, 40.

Quid, quaeso, boni de Lazaro legimus, cuius merito ipsum Deus ab Angelis in paradisum portari fecit? Non aliud nisi patientiam, quia patienter tulit extremas miserias et calamitates suas. Epulo vero quid mali, propter quod in inferno sepultus a daemonibus fuit? Non aliud nisi quia mendico Lazaro eleemosynam minime faciebat, quia caritate, misericordia et pietate destitutus erat. Hunc non furem legimus, non adulterum, non homicidam, non blasphemum, non tyrannum, sed tantum pietate destitutum, sine visceribus misericordiae erga mendicum. O severitas divinae iustitiae!

Lazarus quia patiens ad coelum levatur, epulo quia immisericors in inferno detruditur;

Dedit huic Deus in mundo nonnulla bona, sed imperfecta, hinc ait: *Homo quidam erat dives*. Utitur tempore imperfecto, omnia enim praesentis vitae bona utilia, delectabilia, honorabilia imperfecta sunt, quia tantum carnalia et corporalia sunt. Mala autem, quae consecuta sunt bona ista, perfecta sunt mala: *Mortuus est... dives*, mortuum ei omne bonum, vivit autem omne malum. Sed mala, quibus Lazarum afflixit, imperfecta erant, hinc ait: *Erat quidam mendicus*, quia carne tantum, non spiritu mendicus erat: Et *factum est... ut moreretur mendicus*. Non inquit: Lazarus, sed: *mendicus*, quia mendicitas mortua fuit, ipse autem ex mendico ditissimus factus est omni bono aeterno et infinito in coelo: *Portaretur ab Angelis in sinum Abrahae... Nunc autem hic consolatur*.

hic pro nonnullis bonis temporalibus aeterna mala patitur, ille pro nonnullis malis aeterna bona possidet.

Mundus iste est veluti regale palatium, ubi praeter regiam et principum cameras deauratas ac ornatissimas, sunt etiam mansiones pro servis inferioris gradus, et tandem carceres teterrimi pro reis et malefactoribus. Sic in mundo isto est regia paradisi, ubi multae sunt principum mansiones, est etiam terrena habitatio pro nobis, ac tandem carcer inferni pro reprobis omnibus operariis iniquitatis. Sic Lazarus ab Angelis portatus est in paradisi regiam tanquam magnus princeps: hic est currus igneus, quo Elias in coelum raptus est; [46] epulo autem a daemonibus portatus in locum tormentorum, sepultus in inferno: *Mortuus est... dives et sepultus est in inferno*, quia impossibile est divites intrare in regnum coelorum, [47] gravissimo pondere onustos sursum per scalam Iacob in coelum ascendere. [48]

Et ita Lazarus mendicus magnus princeps regni coelestis factus est, dives epulo in carcere sepultus,

46) Cf. 4 Rg 2, 11. 47) Cf. Mt 19, 23-26; Mc 10, 23-27; Lc 18, 24-27.
48) Cf. Gn 28, 12.

et sicut Achan ob divitias damnatus,

Sicut universae Aegypto, post septem annos abundantiae, venerunt septem anni maximae caritatis et famis,[49] sic accidit epuloni : devenit a magna copia ad summam et infinitam inopiam. Sicut Achan accipiens de anathemate Iericho pallium coccineum ac ducentos argenti siclos cum regula aurea quinquaginta siclorum, divino iudicio lapidatus fuit ac cum universa domo sua igne combustus,[50] sic epulo ob divitias damnatus est et sepultus in inferno : *Quia recepisti bona in vita tua,* propterea *cruciaris,* et qui quotidie epulabatur, nunc guttam aquae obtinere non potest.[51]

et sicut Balthassar divina sententia reprobatus.

Accidit infelici huic sicut Balthassar regi Chaldaeorum, qui cum solemnissimum celebraret convivium, apparuit manus scribens in pariete : *Mane, Thecel, Phares,*[52] quae verba Daniel interpretatus fuit : *Mane : numeravit Deus dies tuos et complevit eos ; Thecel : appensus es in statera et inventus es minus habens ; Phares : divisum est regnum tuum et datum est Persis et Medis.*[53] Sic, inquam, epuloni accidit in ultimo convivio suo : venit super eum divina sententia, ut vita ipsius terminaretur, sic completi sunt dies. Sed post mortem sequitur iudicium divinum : *Appensus es in statera* divinae iustitiae *et inventus es*[54] *minus habens,* absque operibus misericordiae et pietatis in Lazarum mendicum. Tunc lata sententia infligitur poena : *Divisum est regnum tuum et datum est Persis et Medis :* corpus vermibus in sepultura et anima daemonibus in inferno perpetuisque cruciatibus et tormentis in igne inextinguibili.

Causa istius damnationis non infidelitas fuit, nec vita scelerosa, nec avaritia, sed caritatis defectus.

VII. Causa autem damnationis huius infelicis fuit, quia *inventus* est *minus habens.* Non fuit infidelitas, quia fuit filius Abrahami : *Pater Abraham, miserere mei ;*[55] et de fratribus eius dicitur : *Habent Moysen et Prophetas : audiant illos.*[56] Non fuit vita scelerosa, nam de eo nullum legimus vel crimen in Deum vel in proximum, non blasphemiam, non homicidium, non adulterium, non furtum, non falsum testimonium nec aliud quippiam tale. Nec dicit ei Abraham quod cruciatur quia mala egerit, sed quia bona sua receperit : *Memento, fili, quia recepisti bona in vita tua,* propterea *cruciaris.* Neque damnatus est simpliciter

49) Cf. ibid. 41, 53-54. 50) Cf. Ios 7, 1 sqq. 51) Cf. Lc 16, 24. 52) Cf. Dn 5, 1-25. 53) Ibid. vrr. 26-28. Vulg.: *Numeravit Deus regnum tuum et complevit illud . . . datum est Medis et Persis.* 54) Ms.: *Est.* 55) Lc 16, 24. 56) Ibid. vr. 29.

propter avaritiam, quia splendidus erat : *Epulabatur quotidie splendide;* sed damnatus est propter defectum caritatis et pietatis in Lazarum, *qui iacebat ad ianuam eius.* [57]

Hinc patet mundanam felicitatem viam esse perditionis,

Quia recepisti bona in vita tua, propterea *cruciaris.* Hinc intelligimus, fratres, cur Dominus dixerit heri discipulis mundanam felicitatem petentibus : *Nescitis quid petatis,* [58] quoniam mundana felicitas via perditionis est : *Lata . . . et spatiosa via est quae ducit ad perditionem.* [59] Ecce mundana felicitas : *Erat dives . . . induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide.* Et ecce perditio : *Mortuus est . . . dives et sepultus est in inferno.* Quare ? *Memento, fili, quia recepisti bona in vita tua,* propterea *cruciaris.* Fuit infelix iste sicut Esau, qui propter unum epulum vendidit ius primogeniturae, quod erat ius succedendi patri in dignitate paterna, uti nunc est apud reges ; si enim rex plures filios habeat, primogenitus tantum, vel natu maior, succedit patri in regia dignitate. Magnam rem vendidit Esau vilissimo pretio ; sic epulo renunciavit felicitati aeternae pro temporali, coelesti pro terrena. O commutatio indignissima ! Hinc tandem, sicut Esau privatus fuit divino iudicio paterna benedictione, quicunque in hac vita renuit ac vilipendit gratiam Dei, in futura privabitur gloria Dei. Voluit epulo privatus esse divina gratia Dei et caritate amoreque coelestium terrena et temporalia diligendo, propterea privatus est gloria : *Quia recepisti bona in vita tua.*

temporalem autem infelicitatem viam salutis.

Haec fuit via Lazari quae sursum ascendit, illa epulonis quae deorsum ducit.

Felicitas igitur temporalis via est ad infelicitatem aeternam ; e contra, vero, temporalis infelicitas via est ad aeternam felicitatem. Hinc Christus heri discipulis suis non consolationes sed tribulationes obtulit in hac vita : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* [60] Hinc etiam ipse Christus potius esse voluit Lazarus mendicus, quam dives epulo. Proponit igitur nobis hodie Christus viam perditionis in divite et viam salutis in mendico, viam latam epulonis et viam arctam Lazari ; et ipse quidem Christus per arctam viam incedere voluit, per viam paupertatis, humilitatis et patientiae.

Nunc dicas mihi tu, frater : Quid vis ? quid eligis ? Salutem an perditionem ? Perpetuam consolationem an aeternum cruciatum ?

57) Ibid. vr. 20. 58) Mt 20, 22. Cf. Missale Rom. Feria praec. 59) Mt 7, 13.
60) Ibid. 20, 22.

Si ergo salvari volumus, per viam Lazari incedendum nobis est, per quam etiam Christus incessit.

Si salutem quaeris, o homo, quomodo vis per viam perditionis incedere? *Arcta est via quae ducit ad vitam.* [61] Via salutis est vita Lazari, secundum quam vixit Christus. Si igitur, o frater, tu vis salvari, quomodo per viam latam incedis et vis ducere vitam epulonis? Vis tendere in orientem et tendis ad occidentem? Vis pergere ad dexteram et pergis ad sinistram? Vis sursum ascendere et descendis deorsum?

Salvantur pauperes per patientiam, salvantur divites per eleemosynam.

Sed dices: Quid igitur? Pauperes tantum salvantur? Salvantur pauperes per patientiam; sed salvari etiam possunt divites per eleemosynam: *Facite eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis,* [62] ait Christus. Hoc est consilium quod dedit D a n i e l Nabuchodonosor regi, postquam divinam sententiam ei revelavit interpretando visionem arboris magnae, quae divina sententia praecisa fuit ac ad nihilum fere redacta: [63] *Peccata tua,* inquit, *eleemosynis redime et iniquitates tuas miserationibus pauperum.* [64]

II. ALIA HOMILIA

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus, etc. [1]

Multa mysteria continentur in hodierno Evangelio,

I. Sacrosanctum hodiernum Evangelium veluti thesaurus infinitus est, ubi omne reperitur pretiosissimarum gemmarum genus, et veluti coelum innumeris astris ornatum, sic innumeris maximisque mysteriis plenissimum est. [2] Hic mysterium aeternae praedestinationis et praescientiae in Lazaro praedestinato et epulone praescito;

61) Ibid. 7, 14. Vulg.: *Arcta via est,* etc. 62) Lc 11, 41. Vulg.: *Date eleemosynam,* etc. 63) Cf. 4, 7-23. 64) Ibid. vr. 24. Vulg.: *Misericordiis pauperum.*

1) Lc 16, 19-20. 2) In margine haec adiecta fuerunt: « Hic de imperscrutabili mysterio divinae providentiae, cur iustis in hoc mundo mala tribuat, peccatoribus autem bona, de quo mysterio David *Psalmo 72* veluti disputando disserit. Hic de duplici mundo, visibili, de quo Moyses, et invisibili, de quo Christus locutus est. Hic de duplici vita, temporali et aeterna; hic de animae non solum immortalitate, sed etiam essentia, quomodo, spiritus cum sit, dicatur habere oculos, linguam, manus, etc. et quomodo, cum sit spiritualis, patiatur ab igne corporali, et de corporali loco animarum damnatorum. Hic de diversa morte iustorum et iniquorum; hic de paradiso cur dicatur sinus Abrahae; hic de causa salutis et perditionis perpetuae; hic de duplici voluntate Beatorum naturali et beata, in qua consistit beatitudo; hic de dignitate hominis cui Angeli serviunt; hic de Angelorum ministerio ».

hic mysterium gratiae et peccati in illo sancto et isto iniquo ; hic mysterium gloriae et poenae, paradisi et inferni in illo glorificato et isto damnato ; hic de divina misericordia erga illum et iustitia contra istum ; hic de felicitate aeterna et temporali ac etiam de temporali et aeterna infelicitate ; hic de varia hominum fortuna sorteque diversa ; hic de morte corporis et immortalitate animae ; hic de irrevocabili sententia divini iudicii : *Chaos magnum inter nos et vos constitutum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare ;* [3] hic de auctoritate Divinarum Scripturarum : *Habent Moysen et Prophetas : audiant illos,* [4] quod Divinis potius Scripturis quam miraculis credendum est ; hic quam utiles sint spiritui tribulationes et quam noxiae consolationes carnis ; hic quam difficile salventur divites et facile pauperes ; hic de lata via quae ducit ad perditionem et arcta quae ducit ad vitam, [5] et alia profecto innumera.

praecipue tamen duo proponuntur: amor Dei erga bonos, unde praedestinatio divina, et odium eius contra peccatum, unde praescientia, seu paradisus et infernus.

Nobis tamen praecipue visum est loqui de amore Dei erga bonos et odio contra malos : *Iacob dilexi, Esau autem odio habui,* [5a] quoniam hinc pendent mysteria omnia praedestinationis et praescientiae, iustificationis et reprobationis, glorificationis et damnationis ; quae duo praecipue proponuntur hodie nobis: paradisus et infernus, gloria et poena, ut ad quodcunque voluerimus manum apponamus. Sicut Ieremias proposuit populo ex parte Dei duos calathos ficuum : alterum quidem optimarum, alterum vero pessimarum, ut quem vellent eligerent, [6] sic hodie Christus proponit nobis paradisum et infernum, gloriam et poenam. Quid vultis, fratres ? Via autem ducens ad paradisum vita est Lazari, quam Christus elegit et voluit veluti alter Lazarus esse ; via autem ducens ad infernum vita est epulonis. O fratres, quid vultis ? Lazarus per scalam ascendit in coelum, epulo descendit, cecidit tanquam nimio pondere pressus; leves enim oportet esse sursum ascendentes.

Totum negotium salutis nostrae consistit in mediis.

O fratres, amor Dei erga nos magnus est : *Sic ... Deus dilexit mundum ;* [7] nec odium aliud est ab amore nisi in effectu. [8] Eadem nubis columna Hebraeis lucida et Aegyptiis tenebrosa erat ; [9] idem

3) Lc 16, 26. Vulg.: *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est*, etc. 4) Ibid. vr. 29.
5) Cf. Mt 7, 13-14. 5a) Mal 1, 2-3; Rom 9, 13. 6) Cf. 24, 1-2. 7) Io 3, 16.
8) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1a 2ae, q. 28, a. 6; q. 29, a. 2-3. 9) Cf. Ex 14, 19-20.

mare Hebraeis causa salutis et Aegyptiis causa perditionis ;[10] idem ignis liquefacit ceram et indurat lutum. Totum negotium salutis nostrae consistit in mediis, ut Deum non mundum diligamus, ut de ligno vitae comedamus, non de ligno scientiae boni et mali.[11] Praecepit Deus Hebraeis ne quid sumerent de spoliis Iericho, nisi pro tabernaculo Domini.[12] Achan, quia pallium sumpsit et linguam auri, damnatus fuit.[13] Sic accidit hodie infelici epuloni : *Mortuus est... dives et sepultus est in inferno.*[13a]

In hodierno Evangelio ostenditur Lazarus figura praedestinatorum, epulo autem praescitorum.

II. In sacrosancto hodierno Evangelio videtur Dominus divinus ille liber,[14] quem Ioannes vidit iuxta thronum Dei *signatum sigillis septem.*[15] Liber enim ille secreta mysteria designat et arcana sacramenta divinae praescientiae et praedestinationis, quae nulli creaturae sunt pervia, nisi Christo, qui agnus est ille et *leo de tribu Iuda,* cui soli licuit *aperire librum et solvere septem signacula eius.*[16] Hodie vero duos videmus homines : alterum quidem praedestinatum et electum dilectumque a Deo, alterum vero praescitum, reprobatum et odio habitum.

Septem consideranda sunt circa mysterium istud.

Circa mysterium autem istud septem considerantur. Primo quidem subiectum ac veluti materia praedestinationis et praescientiae, quod est creatura facta *ad imaginem et similitudinem Dei :*[17] *Homo quidam ;* secundo principium praedestinationis, quod est divina misericordia ; tertio medium, quod est gratia Spiritus Sancti ; quarto finis, quod est gloria paradisi; quinto principium praescientiae, divina iustitia ; sexto medium, quod est vitium et peccatum ; septimo tandem finis, quod est poena inferni. De his omnibus loquitur Christus in hodierno Evangelio. Omnia autem haec mysteria magna et mirabilia sunt.

a) Subiectum divinae praedestinationis et praescientiae est homo constans corpore mortali et anima immortali.

Quoad primum, divinae praedestinationis et praescientiae subiectum ac veluti materia homo est, factus *ad imaginem et similitudinem Dei* quatenus duplici substantia constat : *Formavit... Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem.*[18] Altera autem harum

10) Cf. ibid. vrr. 21-31. 11) Cf. Gn 2, 16-17. 12) Cf. Dt 13, 16-17; Ios 6, 18-19. 13) Cf. Ios 7, 20 sqq. 13a) Lc 16, 22. 14) Ms.: *Divinum illum librum.* 15) Apc 5, 1. 16) Ibid. vrr. 5-6. 17) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 18) Ibid. 2, 7.

substantiarum mortalis est, altera vero immortalis. Hinc Christus loquitur de morte corporis : *Factum est... ut moreretur mendicus*, et : *Mortuus est... dives.* [19] Loquitur etiam de immortalitate animae : *Ut portaretur ab Angelis in sinum Abrahae*, ait de anima Lazari, et : *Sepultus est in inferno*, [20] ait de anima divitis ; quod consolatur anima Lazari et cruciatur anima divitis. [21]

Quoniam vero anima triplici potentia praedita est : intellectu ad cognoscendum, voluntate ad diligendum et memoria ad recordandum et reminiscendum, anima separata has integras habet potentias : intellectum, quo dives in inferno cognoscit Abrahamum in paradiso, cognoscit et Lazarum ; voluntatem, qua guttam aquae cupit et petit ; ac etiam memoriam, qua recordatur quinque fratrum, quos reliquit in vita cupitque ne ipsi quoque irent in locum tormentorum. [22] Hoc autem non caritatis est desiderium, sed naturae, de quo et Abraham ait : *Chaos magnum inter vos et nos firmatum est, ut non possint hi qui volunt hinc transire ad vos, neque inde huc transmeare.* [23]

Anima separata a corpore integras actu conservat potentias rationales.

Quid ? Num Beati cupiunt paradisi sedes relinquere et in infernum descendere ? Utique cupiunt naturali quodam desiderio, nam gloria est gratia perfecta et consummata, gratia autem non destruit, sed perficit naturam ; [24] in Beatis igitur natura perfecta est. Naturae autem lex est : quaecunque vultis vobis fieri, aliis facite. [24a] Beati igitur naturali quodam desiderio vellent subvenire damnatis, si ita Divinae Maiestati placeret et iuste fieri posset. Hoc est : *Ut hi qui volunt hinc transire ad vos non possint.* Hoc etiam naturali desiderio infelix dives voluisset fratrum suorum salutem, non damnationem.

quia mors non destruit naturam animae;

Habet igitur integras potentias rationales, habet etiam virtualiter sensiles et vegetales : hae enim designantur per linguam et digitum. Non enim anima, cum spiritus sit, non corpus, linguam et digitum habet, sed virtute continet sensiles et vitales potentias; nec quia spiritus est, non potest ab igne corporeo pati, sed sicut animus noster in corpore spiritus cum sit, patitur tamen et angustiatur ob passiones corporisque poenis afficitur et doloribus, sic utique ab igne tartareo patitur, semper tamen incombusta manens : *Quia*, inquit,

habet etiam virtualiter potentias sensiles et vegetales.

19) Lc 16, 22. 20) Ibid. 21) Cf. ibid. vr. 25. 22) Cf. ibid. vrr. 24-28.
23) Ibid. vr. 26. Vulg.: *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint*, etc. 24) Axioma theologicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1a. q. 1, a. 8, ad 2. 24a) Cf. Mt 7, 12.

crucior in hac flamma.[25] Si autem ignis ille spiritalem animam cruciare potest, multo magis carnale corpus, post iudicii diem, quando omnes reprobi in anima simul et corpore mittentur a Christo in ignem aeternum.[26]

b) Principium divinae praedestinationis est misericordia Dei, c) praescientiae vero iustitia;

Quoad principia vero, magna ostenditur hodie divina iustitia in divitem et misericordia bonitasque in mendicum Lazarum. Dives enim damnatus est a divina iustitia ad ignem aeternum in inferno. Ob quale facinus? *Quia recepisti bona* tua *in vita tua*, ob defectum pietatis in Lazarum. In oculis hominum peccatum istud parvum, imo minimum videtur, et tamen aeternis cruciatibus punitur, quia carnalibus tantum bonis, non spiritualibus delectabatur. Peccatum videtur minimum et poena maxima ac infinita, magna severitas divinae iustitiae, tremendum horrendumque iudicium. Sed etiam magna est misericordia erga Lazarum. Patiebatur hic paupertatem, famem et infirmitatem, non quidem sponte, sed ex necessitate. Sed tamen quia fecit de necessitate virtutem[27] mala haec patienter ferens, aeterna gloria donatus est, portatus ab Angelis in paradisum. Minimum videtur meritum, maximum vero praemium.

d) medium praedestinationis est virtus, e) praescientiae vitium,

Quoad media, virtus est via salutis, vitium autem via perditionis. Ostendit autem Dominus hodie quod minimum etiam vitium sufficit ad damnationem, sicut etiam minima virtus, qualis est patientia Lazari ex necessitate, sufficit ex Dei gratia ad salutem.

f) finis praedestinationis est gloria paradisi, g) praescientiae poena inferni.

Et tandem quoad finem, electorum quidem finis gloria est paradisi, quam Dominus unico tantum verbo hodie definit: *Hic consolatur;* finis vero reproborum est poena inferni, quam similiter uno definit verbo dicens: *Tu vero cruciaris.*[28] Utrunque autem aeternum est, nam hoc est quod ait: *Chaos magnum inter nos et vos firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare.*

Paradisus dicitur *sinus Abrahae*,

Paradisus hic dicitur *sinus Abrahae* tropica locutione, nam per Abraham, qui p a t e r e x c e l s u s interpretatur, Deus intelligitur. Mutuata est autem similitudo a parentibus, qui filios, quos tenere diligunt, in sinu tenent foventque, amplectuntur et osculantur; quare

25) Lc 16, 24. 26) Cf. Mt 25, 41. 27) Proverbium, quo utitur etiam S. Hieronymus: « Quin potius habeo gratiam, quod tu facis de necessitate virtutem ». *Apologia Adversus Libros Rufini*, lib. 3, (P. L. 23, 458). 28) Lc 16, 25.

insinuatur hic quod quilibet electus est tanquam unicus et carissimus filius Dei. Quod quidem demonstrat summum honorem et gloriam, summam consolationem et felicitatem. Sicut enim sinus solis thesaurus est lucis, ita sinus Dei thesaurus omnis felicitatis. Infernus autem *locus* dicitur *tormentorum*, [29] quoniam damnatis siccatus est fons divinae misericordiae, ita ut epulo nec minimam aquae guttam obtinere possit nullamque penitus consolationem vel refrigerium, licet minimum ; sed locus ille est omnium malorum omnisque possibilis cruciatus : *Quia crucior in hac flamma.* [30] In vita hac commixta sunt bona malis et mala bonis. Nullum est aut purum bonum aut purum malum, et rerum omnium vicissitudo est ; sed in paradiso lux purissima est omnium bonorum, in inferno autem profundissimae tenebrae omnium malorum, solum tenebrae absque omni luce.

ad significandam copiam omnium bonorum, infernus autem *locus tormentorum*, ad significandam congregationem omnium malorum.

III. Haec sunt, fratres, salutis nostrae mysteria quae in Divinis Scripturis traduntur : *Habent Moysen et Prophetas : audiant illos.* Si, inquit, fratres tui nolunt venire in locum istum tormentorum, obediant divinae legi divinisque Prophetis. Hic etiam causam insinuat cur dives damnatus sit : eo quod Moysen et Prophetas non audierit. Fide, inquit, non mortua, sed viva opus est ad salutem, ut credatur Moysi et Prophetis, nec tantum ut credatur, sed etiam ut obediatur eis. Fratres mei, in omni negotio credendum experto est. Novellus nauta necesse est ut credat veterano, si non vult pericula et naufragium pati, ut credat cartae navigationis. Nos habemus hodie et cartam navigationis, Sacram Scripturam: *Moysen et Prophetas.* Huic cartae credendum est. Haec autem dicit quod ad salutem necessaria est poenitentia.

Ad salutem necessaria est fides viva, idest credere et obedire Divinis Scripturis,

Si autem non credis huic cartae, o nauta, credas saltem experto, qui naufragium passus est impingens, post felicem navigationem, in scopulum impoenitentiae. Ecce felix navigatio : *Homo quidam erat dives et induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide ;* et ecce naufragium : *Mortuus est... dives et sepultus est in inferno.* In quem scopulum impegit ? In scopulum impoenitentiae. Ideo rogat mitti Lazarum ut fratribus nunciet, qui erant in mundo, ut poeniten-

nam hae ostendunt in epulone necessitatem poenitentiae.

29) Cf. ibid. vr. 28. 30) Ibid. vr. 24.

tiam agerent, ne et ipsi irent in *locum tormentorum*. Expertus igitur dicit quod necessaria est poenitentia ad salutem. Quod ipse quidem prius minime credebat, quamvis saepe ex Lege et Prophetis audierit, quamvis in carta navigationis hunc scopulum et periculum advertisset; sed non credebat, quia sub aquis scopulus latebat, peccatum sub mundana felicitate. Abraham autem dicit quod credendum est cartae navigationis : *Habent Moysen et Prophetas : audiant illos*, nam *si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* [31]

Si ergo salvari volumus, fidem cum poenitentia coniungere debemus.

Opus est igitur credere Divinis Scripturis et poenitentiam agere, si salvari volumus, alioquin naufragium patiemur cum divite, non salvabimur cum paupere Lazaro, qui ex paupere ditissimus factus est, sicut Mardochaeus ; [32] epulo autem ex divite pauperrimus et infelicissimus, sicut Aman. [33] Diviti accidit sicut Pharaoni, [34] pauperi sicut Moysi ; [35] diviti sicut Sauli, [36] pauperi sicut Davidi. [37] Dives transit a die ad noctem, a luce ad tenebras, a vere ad aestatem, ab autumno ad hiemem ; pauper vero, e contra, ab hieme ad ver, ab aestate ad autumnum, a tenebris ad lucem, a nocte ad diem, ab infelicitate temporali ad felicitatem aeternam. Frater maior fit minor et minor maior ; ait enim : *Maior serviet minori.* [38]

Maxima stultitia est temporalem tantum felicitatem quaerere et aeternam contemnere.

Minor autem frater cum nasceretur tenebat manu calcaneum maioris fratris, et ideo dictus est *Iacob.* [39] Sic Lazarus mendicus habebat semper prae oculis finem divitis, finem felicitatis mundanae. Omnia enim quae in mundo sunt finem habent : *Praeterit . . . figura huius mundi.* [40] *Figura*, inquit, quoniam mundus hic veluti theatrum est et scena, variae autem fortunae larvae sunt et personae, sub quibus cognosci non potest vere nobilis ab ignobili, dives a paupere, nisi finita scena. Sicut autem in mundo fortunae quaedam sunt verae, quaedam autem fictae, quales sunt quae in scenis repraesentantur, sic utique bona spiritualia, coelestia, aeterna vera sunt bona, temporalia autem ficta. Et sicut stultissimus esset qui omnem suam substantiam expenderet ad acquirendam sibi personam principis in scena, ita quod, peracta scena, mendicare co-

31) Ibid. vr. 31. 32) Cf. Est 8, 15 sqq. 33) Cf. ibid. 7, 9 sqq. 34) Cf. Ex 14, 22-28. 35) Cf. ibid. vrr. 29 sqq. 36) Cf. 1 Rg 16, 1. 37) Cf. ibid. vrr. 12-13. 38) Gn 25, 23. 39) Cf. ibid. vr. 25. 40) 1 Cor 7, 31.

gatur, sic stultissimus fuit dives iste, qui omnia bona sua pro temporali tantum felicitate expendit; et tales sunt omnes qui eum imitantur.

Inquiruntur causae damnationis epulonis.

IV. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie*, etc. Sed *mortuus est... et sepultus... in inferno.* Quemadmodum medici, si quis ex insperato subitanea morte interierit, aperiunt cadaver ut mortis illius causam reperiant, ita agendum nobis est hodie. Dives iste mortuus est perpetua morte, damnatus est in aeternum fuitque eius mors subitanea. Mortuus est absque praecedenti infirmitate manifesta; morbus erat occultus. Necesse est ut cadaver istud aperiamus, quo mortis huius causam reperire et scire possimus.

Nemo damnatur nisi ob peccatum; iste autem non damnatur ob divitias, quia hae per se malae non sunt.

De eius quidem vita haec tantum legimus: quod *erat dives*, quod *induebatur purpura et bysso*, quod *epulabatur quotidie splendide*. Et post haec sequitur: *Mortuus est... dives et sepultus est in inferno*. Cur, quaeso? Ob quale peccatum? ob quale facinus? Si quia induebatur purpura et bysso et quotidie splendide epulabatur divesque erat, profecto nullus principum salvabitur; omnes principes morientes sepelientur in inferno, quia regalis status haec secum affert: divitias, purpuram, epulas quotidianas valde splendidas. Sed haec omnia suapte natura mala non sunt, sed ἀδιάφορα,[41] indifferentia; sunt creaturae Dei, quomodo igitur suapte natura causa sunt damnationis? Causa damnationis infelicis divitis huius procul dubio nonnisi peccatum fuit, nam nemo damnatur nisi ob peccatum. Si Lucifer pulsus a paradiso coelesti fuit, utique ob peccatum;[42] si homo de terrestri, ob peccatum;[43] nemo sine peccato damnatur.

nec ob infidelitatem, quia fidem habebat;

Sed ob quale peccatum damnatus est? In eius vita nullius praecepti transgressio cernitur, non infidelitatis peccatum, quoniam iudaeus erat, Moysi et Prophetis credebat; non blasphemiae in Deum, non homicidii aut adulterii vel furti aut falsi testimonii vel cuiusvis alius peccati fit mentio in Evangelio. Quomodo ergo damnatus est?

sed damnatur primo, ob avaritiam,

D i v u s L u c a s refert propter Pharisaeos avaros Dominum hanc narrasse historiam, quoniam, cum proposita villici parabola adhortatus fuisset divites ad eleemosynas faciendas, Pharisaei quidam

41) Ms.: *Adiaphora*. 42) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 43) Cf. Gn 3, 6 sqq.

quia divitias quidem prodigebat,

avari audientes deridebant et subsannabant eum. [44] Quare cum propter avaros hoc dixerit Dominus, certum est quod avaritia in causa fuit damnationis ipsius. Sed quomodo avarus dicendus est qui prodigebat divitias suas in splendido victu et vestitu ? Hic potius videtur prodigus quam avarus. Num quia dives, quoniam scriptum est : Impossibile est divites intrare, etc. ? [45] Sed etiam Abraham, in cuius sinu pauper recipitur, dives fuit valde. [46] Si quia induebatur purpura et bysso et splendide epulabatur, David etiam rex purpura et regali convivio quotidie utebatur.

sed nullum opus misericordiae faciebat;

Accidit diviti huic sicut arbori illi cui maledixit Christus et continuo aruit; maledixit autem, quoniam fructum in ea non invenit : [47] *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum*, etc. [48] In vita autem huius nullum bonum opus reperitur, nec minima eleemosyna, qualis erat dare pauperi micas. Propterea damnatus est, quia ad salutem necessaria sunt bona opera, necessaria est caritas in Deum, humanitas in proximum ; in hoc autem nulla reperta est in Deum caritas, nulla in proximum humanitas. Haec prima causa perditionis. Hinc dicitur *homo quidam :* homo tantum erat, gratiam quae supra naturam est, non habebat. Hinc sine proprio nomine est; nomen enim proprium Hebraeis imponebatur in circumcisione, [49] per quam originale peccatum delebatur et gratia conferebatur. [50] Hic sine nomine erat, non habebat nomen apud Deum, deletus erat de libro viventium : [51] *Homo quidam.*

secundo, quia divitias suas magis quam Deum diligebat;

Altera causa est : *Erat dives :* amor nimius divitiarum. Non dicit quod divitias habebat, non quod servabat illud : *Divitiae si affluant, nolite cor apponere,* [52] sed *erat dives,* divitias magis quam Deum et proximum amabat ; hinc avarus erat cum Deo et proximo, propterea nec minimam eleemosynam faciebat. Dives hebraice dicitur כָּבֵד, [53] idest g r a v i s. Nil mirum si in infernum descendit. Si cum Iacob decimas dedisset Deo bonorum suorum, [54] forte salvus fuisset.

Tertia causa est abusus temporalium bonorum ad pompas et luxum:

44) Cf. 16, 1-14. 45) Cf. Mt 19, 23-26; Mc 10, 23-27; Lc 18, 24-27. 46) Cf. Gn 13, 2-5. 47) Cf. Mt 21, 19. 48) Ibid. 3, 10; 7, 19. 49) Cf. Lc 2, 21. 50) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 3, q. 38, a. 3, ad 3; q. 62, a. 6, ad 3; q. 70, a. 4, c. 51) Cf. Ex 32, 33; Ps 68, 29. 52) Ps 61, 11. 53) Ms.: *Cabed.* 54) Cf. Gn 28, 22.

Induebatur purpura... epulabatur, etc. In parabola villici ostendit Dominus quod dives non est dominus divitiarum, sed oeconomus et dispensator, ita ut secundum voluntatem Dei, qui verus est Dominus, bona sua dispensare et expendere teneatur.[55] Ubi etiam docet quod reddenda est ratio dispensationis et quod ob malam dispensationem et dissipationem citius aufertur dispensatio ista; hoc est quod dives citius moritur. Ostendit etiam quod optima dispensatio est eleemosyna, qua homo sibi thesaurizat in coelo, et quod debet cogitare homo et in futurum sibi prospicere, sicut fecit prudens villicus. Dives autem iste omnia bona suae fidei credita dissipabat *vivendo luxuriose*,[56] et propterea oeconomia privatus est et in extremam paupertatem redactus.

tertio, quia iis abutebatur ad pompam et luxum.

Damnatus igitur hic homo est propter divitias male expensas, vel forte etiam male partas, nam divitias Christus *iniquum mammona* appellat,[57] quoniam fere semper, ut inquit Hieronymus *ad Hedibiam*, de iniquitate descendunt: «Et sententia, inquit, illa videtur mihi verissima: Dives aut iniquus aut iniqui heres»,[58] nam, ut Menander ait:

vel forte quia inique eas acquisierat;

«Nunquam vir aequus dives evasit cito».[59]

Divitiae igitur vel semper cum iniquitate comparantur, saltem cum avaritia, quae *est idolorum servitus;*[60] sunt etiam materies omnis iniquitatis et iniustitiae et fomentum omnium vitiorum. Tandem damnatus hic est, quoniam secundum carnem vixit et nonnisi in carne seminavit;[61] tantum cum in inferno esset, sero nimis oculos elevavit in coelum ad Deum.[62]

Postremo causam damnationis Abraham aperit dicens: *Memento, fili, quia recepisti bona* tua *in vita tua*, propterea *cruciaris*. Quid est: *Recepisti bona* tua? Existimavit infelix iste non reperiri alia bona nisi divitiarum thesauros, regales dignitates sensualesque voluptates; ideo haec tantum quaesivit, haec dilexit, haec toto affectu amavit et coluit; non igitur Deum, non proximum dilexit; bona spiritualia, bona coelestia, bona aeterna non existimavit bona sua, minime quaesivit, minime desideravit, nec cognovit quidem vel credidit: *Rece-*

quarto, quia divitias et bona terrena magis quam Deum amavit,

55) Cf. Lc 16, 1-12. 56) Ibid. 15, 13. 57) Cf. ibid. 16, 9. 11. 58) Epist. 120, (P. L. 22, 984). 59) *Comoediae, Adulator*, 5: Οὐδεὶς ἐπλούτησε ταχέως δίκαιος ὤν. *Fragmenta Graece et Latine*, pag. 29; P. Mannuccius *Adagia*, col. 548. 60) Eph 5, 5; Col 3, 5. 61) Cf. Gal 6, 8. 62) Cf. Lc 16, 23.

pisti bona tua *in vita tua.* Bonum est voluntatis obiectum ; sed voluntas potentia caeca est, non fertur nisi in praecognitum ; [63] illud igitur tantum bonum amat quod praecognitum est. Cum igitur iste infelix temporalia haec tantum bona cognoverit, haec tantum amavit; nulla igitur in Deum vel proximum caritate praeditus fuit. Caritas autem vestis est nuptialis, quam qui non habet a coena eicitur tortoribusque traditur, ut proiciatur in tenebras exteriores. [64] *Recepisti bona* tua *in vita tua :* bona tantum carnis et corporis adamasti ac si spiritum et animam non haberes, propterea *cruciaris.* Damnatus igitur est propter amorem divitiarum, dignitatum et voluptatum, quia his tantum frui voluit bonis carnalibus, non spiritualibus.

quamvis non dicatur eas male acquisivisse, vel eis ad peccandum usus fuisse.

Homo quidam erat dives. Non dicit quod divitias male acquisiverit volens fieri dives, nam : *Qui volunt divites fieri, in tentationem incidunt et in laqueum diaboli et* in *desideria* vana et *inutilia . . . quae mergunt hominem in interitum,* [65] sed dicit quod *dives* erat ; divitias non acquisivit, sed acquisitas invenit. Nec dicit quod divitiis in malum abuteretur cum meretricibus *vivendo luxuriose,* sicut filius prodigus, [66] sed tantum quod dives erat, induebatur honorate, epulabatur splendide. Et tamen : *Mortuus est dives et sepultus est in inferno.* Quid igitur erit de illis qui divitias male acquirunt et male expendunt ? Quid de his erit, fratres ? Ipsi considerate. Christus simpliciter dixit : Impossibile est divites intrare in regnum coelorum.

Lazarus sua sorte contentus beatior epulone erat, quia maiora bona adhuc cupiebat;

V. Sed animus est ostendere quod etiam in hac vita multo felicior erat Lazarus mendicus quam dives epulo. De isto enim dicitur quod *erat dives.* Utitur verbo imperfecto : *Erat dives,* quia non erat sua sorte contentus, multo maiores divitias cupiebat :

« Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae. » [67]

Induebatur purpura et bysso : haec sunt vestimenta regalia et non erat rex, sed signum est quod voluisset esse rex ; non igitur erat contentus. *Epulabatur quotidie splendide:* igitur multis malis humoribus multaque indigestione repletus erat [67a] et constipatus ; hinc in divitibus malae

63) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1, q. 48, a. 5; q. 51, a. 2; q. 80, a. 2; q. 82, a. 3-4.
64) Cf. Mt 22, 11-13. 65) 1 Tim 6, 9. Vulg.: *Incidunt in tentationem . . . quae mergunt homines*, etc. *Hominem* lect. cod. 66) Lc 15, 13. 30. 67) Ovid. *Fast.*, lib. 1, vr. 216. Ms.: « Quanto plus sunt potae », etc. 67a) Ms.: *Est*, loco: *Erat.*

valetudines. Lazarus autem micas tantum panis cupiebat. [68] Facilius est consequi minima quam maxima; igitur Lazarus multo beatior.

malae enim concupiscentiae animum exagitant, quia desideria, quae expleri nequeunt, affligunt,

Deinde videmus in isto epulone concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitae; [69] avaritiam, ambitionem et luxuriam. Haec autem vitia bellum gerunt in animo : avaritia enim cruciatur, si pecunia multa expendatur ; luxuria vero et superbia quaerunt maximas expensas. Hinc vitia ista in mente hominis sunt sicut Esau et Iacob in ventre matris, collidebantur enim et pugnabant, unde Rebecca mortalem sensit dolorem. [70] Adhuc cupiebat epulo multo maiores ampliores que divitias, dignitates et voluptates, nec poterat concupita assequi. Hinc affligitur animus non minus ac mater, cum multis filiis circumdata quisque panem petit et plorat, nec habet ipsa quo eis satisfacere possit ; hinc animus valde affligitur. Sic animus est, dum suis desideriis satisfacere minime potest.

metus mortis et remorsus excruciant et causa sunt maximae infelicitatis.

Amplius, magna pars infelicitatis est in divitibus metus amittendae felicitatis, [71] vel saltem mortis memoria, his enim amarissima est memoria mortis. Remorsus etiam conscientiae ac synderesis, quae suapte natura semper contra peccatum obmurmurat ; hic enim est vermis qui non moritur [72] semperque mortem menti obicit. Quoniam vero omnis motus est a contrario in contrarium : vel a dextera ad sinistram vel e contra, vel a sursum in deorsum vel e contra, sic fit motus a felicitate et altitudine ad infelicitatem et humilitatem, ut epulo, vel e contra, ut Lazarus. Dives autem, conscientia accusante, malum sibi semper metuit.

In hodierno Evangelio ostenditur mundus veluti scena quaedam,

VI. *Homo quidam erat dives*, etc. *Et erat quidam mendicus*, etc. Erat dives ille veluti principis accipiter, qui, quandiu vivus est, in pretio est, mortuus autem proicitur in vilissimum locum; pauper autem sicut gallus gallinaceus resectus, qui, dum vivus est, vilissimo loco tenetur, mortuus autem super principis mensam ponitur. Videtur hodiernum Evangelium veluti scena quaedam, in qua non semper qui regem repraesentat valde dives est, sed quandoque pauper valde, qui autem pauperem personam agit saepe dives est. Epulo dives quidem videbatur, sed vere pauper erat ; Lazarus autem videbatur

68) Cf. Lc 16, 21. 69) Cf. 1 Io 2, 16. 70) Cf. Gn 25, 22-24. 71) Ms.: *Infelicitatis*. 72) Cf. Mc 9, 43. 45. 47.

qua peracta, conditiones actorum diversae et inversae cernuntur;

mendicus, et ditissimus erat. Peracta scena, cognoscitur quisnam sit vere vel dives vel pauper: post vitam hanc epulo pauperrimus inventus est, Lazarus autem ditissimus. Est mundus iste veluti ludus scaccorum, qui videtur veluti *castrorum acies ordinata.* [73] Disponuntur enim in calculo gemina acie reges, reginae, equites, centuriones, satellites peditesque, et sic latrunculis luditur agiturque bellum insidiosorum latronum. Finito ludo, omnes scrupi, tum victores tum victi confuse accipiuntur et reponuntur in sacculum. Graviores autem calculi, qui honoratiores et maiores erant in ludo, gravius descendunt et parvulis scrupulis humilibusque peditibus inferiores fiunt. Sic in hodierno Evangelio videmus.

sic enim in morte divitis felicitas cessavit, incepit autem felicitas mendici.

Sicut Iacob manu tenuit calcaneum maioris fratris Esau, ita quod cum ille finierit, tunc iste incepit, sic hodie videmus; cum enim finivit felicitas divitis, tunc coepit felicitas pauperis: *Recepisti bona in vita tua et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* [74] Curabat magis dives terrena bona quam coelestia, mundana quam divina, corporalia quam spiritualia; Lazarus vero e contra. Haec est differentia quam legimus in benedictionibus Iacob et Esau; in benedictione enim Iacob prius dicitur in *rore coeli* quam in *pinguedine terrae,* sed in benedictione Esau prius *in pinguedine terrae* et postea *in rore coeli;* [75] est ordo praeposterus. Sic ait: *Maior serviet minori,* nam maior descendet, minor autem ascendet.

quia tunc superbia iniquorum humiliatur et iustorum humilitas exaltatur.

Nec vacat mysterio nomen Esau, quod interpretatur f a c t u m; factum autem dicitur cui nihil amplius addendum est. Sic dives hodiernus factus videtur, cui nihil deerat quod spectet ad mundanam felicitatem. At Iacob c a l c a n e u m interpretatur, qua corporis parte nulla humilior. Sed Iacob postea *Israel* appellatus fuit, [76] quod est p r i n c e p s f o r t i s, p r i n c e p s d i v i n u s, quoniam iustorum humilitas exaltatur a Deo. Factus fuit Iacob ex calcaneo caput; sic Lazarus hodie.

VII. Quoniam multi primam tantum faciem hodierni Evangelii considerant, hinc occultis cogitationibus Deum blasphemant, sicut apud M a l a c h i a m legimus. Conqueritur enim quod multi di-

73) Ct 6, 3. 9. 74) Lc 16, 25. 75) Gn 27, 28. 39. 76) Cf. ibid. 32, 28.

cebant: *Omnis qui facit malum bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent; aut certe, ubi est Deus iudicii?* [77] Et iterum apud eundem: *Vanus est qui servit Deo; et quod emolumentum quia custodivimus praecepta eius et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes; siquidem aedificati sunt facientes impietatem et tentaverunt Deum et salvi facti sunt.* [78]

Quoniam multi finem hunc non considerant, divina iudicia notant;

Sed, praeterquam quod Regius Vates ad has querelas respondit: *Donec intrem in sanctuarium Dei et intelligam novissima eorum,* [79] – duo dicit: ingredi *in sanctuarium Dei* propter internas ac spirituales iustorum consolationes, iusti enim sunt sicut sanctuarium Dei exterius opertum pellibus caprinis, [80] videntur puniti tanquam scelerosi, sed interius omnia auro splendebant [81] ibique arca [82] asservabatur [83] et vas plenum manna; [84] postea vero: *Intelligam novissima eorum,* quae est altera pars hodierni Evangelii, – Deus ipse apud Malachiam ad querelas respondit. Ad primam quidem dicit: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui praeparabit viam ante faciem meam; et statim veniet,* etc., [85] ubi praedicit adventum Ioannis praecursoris et Christi, qui Deo acceptissimi fuerunt, quibus tamen Deus felicitatem huius mundi minime contulit. Non ergo sequitur quod illi tantum placent Deo qui temporali felicitate donati sunt. Ad alteram vero ait: *Et erunt mihi,* iusti, *ait Dominus exercituum, in die, qua ego facio, in peculium, et parcam eis, sicut parcit vir filio suo servienti sibi; et convertemini et videbitis quid sit inter iustum et impium et inter servientem Deo et non servientem ei.* [86]

sed cur iusti in hac vita patiantur et iniqui prosperentur, bene respondet Regius Vates provocans ad inspiciendum utrorum finem,

Sic in hodierno Evangelio videmus discrimen inter iustum Lazarum et impium epulonem. Sicut Abraham filiis concubinarum dedit munera et a se divisit, ut pro libito et arbitratu suo viverent, Isaac vero, quem summopere diligebat, instituit heredem universae domus suae, [87] sic facit Deus cum filiis suis dilectissimis, qui sunt vere filii sponsae suae Sanctae Matris Ecclesiae, et cum filiis concubinarum, cum terrenis et mundanis hominibus, qui nonnisi secundum naturam vivere volunt et per mundi huius periculosissimum mare nulla pericula cavendo navigare. Est hodiernum Evangelium sicut carta navi-

sicut ostenditur etiam hodie in epulone et Lazaro.

77) 2, 17. 78) Ibid. 3, 14-15. 79) Ps 72 (hebr. 73), 17. 80) Cf. Ex 36, 19. 81) Cf. ibid. 37, 6 sqq. 82) Ms.: *Manna*, loco: *Arca*. 83) Cf. Ex 37, 1-9. 84) Cf. ibid. 16, 33; Hebr 9, 4. 85) 3, 1. Vulg.: *Et praeparabit*, etc. 86) Ibid. vrr. 17-18. 87) Cf. Gn 25, 5.

gationis, quae nautis inexpertis demonstrat occulta pericula, scopulos, syrtes, Scyllas, Charybdes. [88]

Hinc autem videmus quam magnum periculum perditionis sint bona mundana.

Sic Evangelium ostendit quod pericula huius nostrae navigationis sunt amor divitiarum, honorum et deliciarum. In hos scopulos offendens navis epulonis naufragium passa est. Quare cavenda sunt nobis haec pericula, alioquin nullam excusationem habebimus. Christus ait : *Beati pauperes ... beati qui lugent ... beati qui esuriunt,* [89] et, e contra : *Vae vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram;* [90] *Vae vobis, qui ridetis ... vae vobis, qui saturati estis.* [91] Docet Christus quod vita epulonis est via perditionis, vita autem Lazari via salutis, propterea Lazari vitam pro se Christus elegit. Caveamus nobis, fratres, ne cum epulone pereamus.

Ardens peroratio incitans ad contemptum divitiarum,

VIII. *Audite haec omnes gentes, auribus percipite ... qui habitatis orbem, quique terrigenae et filii hominum, simul in unum dives et pauper.*[92] Regius Vates divino spiritu afflatus concionem habuit ad omnes homines, omnibus maxime salutarem et summopere necessariam. *Cur timebo?* [93] sive : *Quid timebo?* quid mihi timendum est? Paupertas? ignominia? fames? infirmitas? pestis? bella? mors? *Quid timebo? In die mala iniquitas calcanei mei circumdabit me :* [94] hoc mihi timendum est, quod *in die mala*, in die iudicii, in die mortis *iniquitas calcanei mei*, gressus mei, viae ac vitae meae *circumdabit me*, non potero effugere, sicut piscis in forti rete inclusus. Peccatum igitur super omnia timendum mihi est. Sed quale peccatum? *Qui confidunt in virtute sua et in multitudine divitiarum suarum gloriantur;* [95] nam tunc iusti super huiuscemodi homines ridebunt dicentes : *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum et praevaluit in vanitate sua.* [96]

quae maximum periculum damnationis constituunt.

Sed cur tantopere timendum est hoc peccatum, quod tam leve et pene nullius momenti videtur? Quia *frater non redimendo redimet hominem,* et *non dabit Deo placationem suam et pretium redemptionis*

88) Alludit ad vulgatum proverbium:
« Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim »,
de quo cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Primum*, pag. 289. 89) Mt 5, 3-6.
90) Lc 6, 24. Vulg.: *Quia habetis*, etc. *Qui* lect. cod. 91) Ibid. vr. 25. Vulg.: *Vae vobis, qui saturati estis. . . Vae vobis, qui ridetis.* 92) Ps 48 (hebr. 49), 2-3. 93) Ibid. vr. 6.
94) Ibid. 95) Ibid. vr. 7. 96) Ps 51, 9.

animae suae, etiam si laboret *in aeternum* et vivat *adhuc in finem.* [97] Quia, inquit, nulla tunc erit redemptio, non erit homo qui me de manu Dei possit liberare [98] nec redimere, quoniam pretium infinitum requiritur, quod haberi non potest, etiamsi homo ad tale pretium conquirendum in aeternum viveret et laboraret, si solus ipse non visurus esset mortem et viderit omnes alios homines mori. Hoc est enim: *Non videbit interitum*, hoc est si nunquam moriatur, *cum viderit sapientes morientes, simul insipiens et stultus peribunt.* [99] In inferno, inquit, nulla potest esse redemptio, [100] cum homo Dei sententia damnatus fuerit.

Stultum est divitiis cor apponere, cum relinquendae sint in hora mortis.

Omnes autem divites, qui in divitiis gloriantur in vita, cum venerit postea mors, *relinquent alienis divitias suas*, alienis affectu et amore, alienis animo, licet relinquant coniunctis sanguine: filiis, fratribus, nepotibus et similibus, *et sepulcra eorum domus illorum in aeternum*, [101] hoc est usque ad finem mundi ; hoc est quod sequitur : *Tabernacula eorum in generatione et generationem*, hoc est usque ad ultimam generationem, licet vocaverint *nomina sua in terris suis*, [102] licet fuerint viri magni nominis.

et omnis dives sicut iumentum moriatur.

Homo cum in honore esset. Hic versus in *Psalmo* isto bis legitur, [103] sed priori loco in hebraico non est : *Non intellexit*, sed: *Non permanebit* ; posteriori est : *Non intellexit.* Sit homo princeps, rex, imperator, Papa, *non permanebit homo in honore*, sed sicut animalia morietur qui animaliter vixerit.

Occasio multorum malorum est mundana felicitas.

Haec via illorum scandalum ipsis : occasio multorum malorum est hominibus mundana felicitas, *et postea in ore suo complacebunt*, [104] hebraice : *Posteri eorum iuxta ipsam current.* Quinque fratres, quos epulo reliquit, quomodo vivebant ? Sicut ipse vixerat. *Sicut oves in inferno positi sunt :* non ascendet sursum anima eorum, sicut nec anima pecudum, *mors depascet eos ; et dominabuntur eorum iusti in matutino :* [105] Lazarus factus est dominus epulonis, *et auxilium eorum*, sive *figura eorum veterascet in inferno a gloria*, vel *habitaculo eorum:* [106] semper ibunt in peius, sicut quod veterascit. *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me :* [107] sic re-

97) Ps 48 (hebr. 49), 8-10. 98) Cf. Iob 10, 7. 99) Ps 48 (hebr. 49), 11.
100) Cf. Breviarium Rom. Offic. Def. ad Mat., resp. sept. 101) Ps 48 (hebr. 49), 11-12.
102) Ibid. 103) Vrr. 13. 21. 104) Ibid. vr. 14. 105) Ibid. vr. 15. 106) Ibid.
107) Ibid. vr. 16.

et dives, post gloriam huius vitae, in inferno humiliabitur,

demit animam Lazari, et redimet vitam etiam corporalem in die resurrectionis generalis. *Ne timueris cum dives factus fuerit homo et... multiplicata fuerit gloria domus eius, quoniam cum interierit non sumet omnia*, nihil sumet, *neque descendet cum eo gloria eius :* [108] sic patet hodie in epulone. *Quoniam anima eius in vita ipsius benedicetur :* [109] benedicet sibi, blandietur sibi, gloriabitur, sese laudabit in omnibus et te laudabunt cum benefeceris tibi divitiis, honoribus, deliciis. Hos laudat, hos honorat mundus. Sed *homo, cum in honore esset, non intellexit* beneficia Dei, bona quae poterat facere pro salute animae suae ; utinam saperet homo dives et intelligeret ac novissima provideret ! [110] *Comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis.* [111] Quid fit de equo regio, cum mortuus fuerit? Proicitur in foveam et a canibus commanducatur.

dum pauper, post humiliationem, in coelo exaltabitur.

O felices, qui hodie ex sacrosancto hoc Evangelio sapientiam hanc discunt, ut sciant bene vivere ! Iussit Deus Ieremiae ut descenderet in domum figuli, quoniam ibi docere eum volebat divina mysteria. Descendit vates, cumque vidisset figulum facientem vas et reficientem confractum, tunc Deus docuit prophetam mysteria divinae providentiae. [112] Sed ecce Deus ipse hodie tanquam figulus, cum fecisset duo vasa ex luto humanae naturae, hodie confringit et reficit vas quod erat in honorem, in contumeliam ; et vas quod erat in contumeliam, in honorem facit. [113]

Facile mundi prospera contemnit

O qualia et quanta in hac domo figuli, in sepultura discere possumus, et multa quidem quae paradoxa videntur ! Primum quidem quod prosperitas huius mundi odibilis est, quoniam via est ducens ad perditionem, adversitas vero desiderabilis, quoniam via est ducens ad salutem ; quod in navigatione magni huius maris ventus, qui videtur contrarius, est in favorem, et qui videtur in favorem, hic est contrarius ; quod mare cum videtur tranquillum, tunc magna tempestas est, cum autem videtur magna tempestate agitatum, tunc magna tranquillitas est et secure navigari potest ; quod bona huius mundi sunt dulcia venena, mala autem salutares medicinae ; quod felicitas huius mundi est brevis autumnus, cum arbores onustae fructibus videntur, sed post modicum etiam foliis expoliantur, adver-

108) Ibid. vrr. 17-18. 109) Ibid. vr. 19. 110) Cf. Dt 32, 29. 111) Ps 48 (hebr. 49), 21. 112) Cf. Ier 18, 2-6. 113) Cf. Rom 9, 21.

sitas autem hiems est brevissima, quam sequitur ver et autumnus sine fine, sicut brevem autumnum prosperitatis mundanae sequitur hiems aeterna. Omnium bonorum et malorum huius mundi datur finis in morte, sed bonorum aut malorum futuri saeculi nullus erit unquam finis, aeterna sunt cum Deo tum bona tum mala, quae nos post hanc vitam manent. Prosperitas huius mundi tragoedia est, omnia finiuntur in lucta, dies est hiemalis, quam sequitur nox longissima et infinita ; adversitas autem comoedia est, cuius est laetissimus finis, nox aestivalis est brevissima, quam sequitur dies longissimus et infinitus, qui nunquam videbit noctem, sicut supra solem perpetuus dies est, nunquam fuit aut erit nox.

et adversa non timet, imo diligit, qui se cogitat moriturum.

III. ALIA HOMILIA

Homo quidam erat dives, etc. [1]

I. Heri Christus cum Apostolis ascendit ab Iericho in Ierusalem,[2] a loco deliciarum ad locum passionis. Nam Iericho civitas erat iuxta Iordanem ;[3] in *Genesi* autem legimus quod omnis regio circa Iordanem erat sicut paradisus et sicut terra Aegypti ;[4] Ierusalem autem locus erat passionis Christi : *Ecce ascendimus Ierosolymam et Filius hominis*, etc.[5] Hodie in sacro hoc Evangelio veluti causa redditur cur Christus reliquit Iericho et ascendit Ierosolymam, cur delicias repulit et elegit passiones : quoniam deliciae homini sunt causa perditionis aeternae, passiones autem causa vitae perpetuae. Hinc Abraham ait epuloni : *Recordare, fili, quia recepisti bona* tua *in vita tua et Lazarus similiter mala*, etc.[6] Iericho mundum hunc designat, qui *totus in maligno positus est.*[7] Erat Iericho civitas opulentissima; Deus autem iussit ut filii Israel eam igne incenderent et nihil penitus de bonis eius acciperent.[8] Hinc quia Achan iudaeus tulit pallium coccineum et ducentos siclos argenteos regulamque auri, damnatus fuit lapidatusque et igne combustus cum universa familia sua.[9]

Ostendit hodiernum Evangelium delicias terrenas causam esse perditionis, passiones vero vitae perpetuae.

Iericho figura mundi;

1) Lc 16, 19. 2) Cf. Missale Rom. Feria praec. 3) Cf. Ios 3, 1 sqq.
4) Cf. 13, 10. 5) Mt 20, 18. 6) Lc 16, 25. Vulg.: *Fili, recordare*, etc.
7) 1 Io 5, 19. 8) Cf. Dt 13, 16-17; Ios 6, 18-19. 9) Cf. Ios 7, 18 sqq.

Ierico interpretatur etiam luna,

D i v u s I o a n n e s ait: *Nolite diligere mundum, neque ea quae sunt in mundo;* [10] sic nihil accipiendum est ex Iericho; qua ratione? Quia *omne quod est in mundo,* etc.: [11] ecce Achan damnatus; *Homo... dives:* ecce argentum et aurum; *Qui induebatur purpura et bysso:* ecce pallium coccineum. Sed *mortuus est... et sepultus... in inferno.* [12] Mundus iste per Iericho designatur, quoniam Iericho interpretatur l u n a; mundus autem *ut luna mutatur,* [13] *nunquam in eodem statu permanet.* [14] Habet luna duas partes: altera quae videtur [a] nobis et altera quae non videtur. Cum pars ea quae videtur plena est lumine, tunc ea quae non videtur omnino vacua est, et tunc luna a sole quam maxime distat et tunc semper in periculo est eclipsis; et cum ea pars quae videtur, omnino vacua est lumine, tunc ea quae non videtur, plena est et soli proxima, nec tunc eclipsari potest. Sic homo duplici parte constat: visibili et invisibili. Ecce luna plena visibili parte: *Homo quidam erat,* etc.; sed parte invisibili vacua erat haec luna, sine caritate erga Deum et proximum. Et ecce luna vacua parte visibili: *Et erat quidam mendicus,* etc.; [14a] sed iustus sanctusque erat, divina gratia plenus. Ille animo alienissimus a Deo, iste proximus; ille in periculis mille peccatorum, iste vero minime. Quod enim peccatum committere poterat mendicus? Non superbiae, non avaritiae, non luxuriae; vix aliquod peccatum committere poterat.

luna autem figura est epulonis et Lazari.

Luna tepidos etiam figurat, qui nec male nec bene agunt,

II. Luna etiam dicitur mundus iste alia ratione: quia suapte natura neque calida est ut sol, qui magnum gignit calorem, neque frigida ut glacies, sed tepida; aqua autem tepida vomitum provocat: *Utinam esses calidus aut frigidus! Sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* [15] Tepidus fuit dives iste, nec bene nec male agens pauperibus, et tamen damnatus fuit; nam ad salutem consequendam non sufficit non male agere et divinae legis mandata servare quae malum prohibent, oportet etiam bene agere et praecepta servare quae bona opera iubent.

Sicut si medicus excellentissimus videat aliquem occultissimo

10) 1 Io 2, 15. Vulg.: *Quae in mundo sunt.* 11) Ibid. vr. 16. 12) Lc 16, 19-22.
13) Eccli 27, 12. Vulg.: *Sicut luna mutatur.* 14) Iob 14, 2. 14a) Lc 16, 20.
15) Apc 3, 15-16. Vulg.: *Utinam frigidus esses aut calidus,* etc.

morbo laborantem et cognoscat quod, nisi efficacissimum adhibeat remedium, subitanea morte extinguendus sit, difficile hoc poterit homini illi persuadere qui nec minimum sentit capitis dolorem et sanissimus sibi videtur ; quare medicum potius irridebit ac subsannabit quam credet ; ita utique difficillime potuisset praedicator aliquis diviti huic suum ipsius errorem persuadere, etiam si fuisset Ioannes Baptista, vel Paulus. Quod si praedicator aut confessarius dixisset ei : Vide, tu damnaberis ; respondisset indignans : Cur damnabor ? Quid mali feci ? Quae scelera ? David facile, ostendente Nathan propheta, cognovit peccatum suum et poenitentiam egit ;[16] at non sic Saul, cui per Samuelem iussit Deus ut, collectis copiis, pergeret contra Amalec regnumque illud universum destrueret, nec tantum homines omnes : viros, mulieres, iuvenes, senes, magnos, parvulos etiam lactentes, sed etiam animalia omnia occideret omnemque substantiam igni combureret, nec quicquam penitus de bonis regni illius acciperet. Abiit Saul cum exercitu, occidit universum populum, sed regem vivum servavit gregesque omnes et armenta ac optima quaeque, avaritia ductus ;[17] quod quidem peccatum valde displicuit Deo, unde ad Samuelem ait : *Poenitet me quod constituerim Saul regem, quia dereliquit me et verba mea opere non implevit.*[18] Samuel autem vix potuit persuadere Sauli peccatum istud. Nam cum Samuel occurrisset ei cum victoria revertenti, tunc Saul gloriosus dixit Samueli: *Benedictus tu Domino, implevi verbum Domini.* Tunc Samuel : *Et quae est haec vox gregum, quae resonat in auribus meis, et armentorum quae ego audio ?*[19] Respondit : *De Amalec adduxerunt ea ; pepercit enim populus melioribus ovibus et armentis, ut immolaret Domino Deo tuo.*[20] Samuel autem : *Quare . . . non audisti vocem Domini, sed versus ad praedam es et fecisti malum in oculis Domini ?* At Saul : *Imo*, inquit, *audivi vocem Domini . . . Tulit autem . . . populus oves et boves . . . ut immolaret Domino,*[21] hoc est : Non habui malum animum ; habui bonam intentionem honorandi Dominum sacrificiis. Tunc Samuel : *Nunquid vult Dominus sacrificia et victimas et non magis ut obediatur voci* eius ? *Melior est enim obedientia quam victimae.*[22]

et difficile ad bene agendum suadentur,

cuius rei exemplum in Saul ostenditur;

16) Cf. 2 Rg 12, 1-13. 17) Cf. 1 Rg 15, 1-9. 18) Ibid. vr. 11. 19) Ibid. vrr. 13-14. Vulg.: *Quam ego audio?* 20) Ibid. vr. 15. Vulg.: *Ut immolarentur Domino Deo tuo.* 21) Ibid. vrr. 20-21. Vulg.: *Ut immolet Domino.* 22) Ibid. vr. 22. Vulg.: *Holocausta et victimas et non potius ut obediatur*, etc.

Tandem vix potuit Saulem adducere ad peccati sui cognitionem ; sed poenitentiam fingens dixit: *Peccavi ... timens populum ... sed ... porta me, quaeso ;* [23] *Habe me excusatum.* [24] Quoniam vero ficta eius poenitentia erat, hinc Samuel ait : *Triumphator in Israel non parcet et poenitudine non flectetur, neque enim homo est ut agat poenitentiam.* [25] Tunc iterum dixit Saul adhuc fingens poenitentiam : *Peccavi, sed ... honora me coram senioribus ... Israel.* [26] Sed impoenitens Saul damnatus fuit. [27]

sic difficile est divitibus persuadere vanitates et luxum Deo displicere.

Sic difficile persuaderi potest divitibus quod pompae, vanitates, luxus et alia id genus displicent Deo; et si qua bona opera faciunt, gloriantur se Dei mandata servare ; quoad pompas autem dicunt se non habere malam intentionem, sed quod propter mundum haec faciunt, bonis respectibus moti. Hae sunt excusationes Saul, sed non profuerunt ei. Ad salutem necessaria est integra mandatorum Dei observantia : *Si quis ... totam legem observaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* [28] Ad salutem necessaria sunt bona opera quae possumus facere, opera misericordiae et caritatis, nam : *Iudicium ... sine misericordia ei qui non facit misericordiam,* [29] nam tepidos qui, etsi mala opera non faciunt, non tamen bene operantur, Deus odio habet. Ob id damnatus fuit dives iste.

Secundo, quia sicut in Iericho una tantum mulier salvata fuit,

III. Alia etiam ratione mundus per Iericho designatur. Ex universa civitate Iericho una tantum familia salvata fuit ab ira Dei, Rahab cum domo sua propter opus caritatis. [30] Sic paucissimi sunt qui salvantur ex mundanis hominibus, quod patet si consideretur cur damnatus sit dives iste. Nam in Evangelio legimus damnationis sententiam; et in processu vix reperitur peccatum, quod mundus non levissimum existimet iudicetque. Fuit mirabilis modus quo capta fuit Iericho. Erat civitas munitissima, habebat muros fortissimos ac plane inexpugnabiles, et tamen Deus non adhiberi arietes iussit aut bellica tormenta ad dissipandos muros, sed ut sacerdotes septem, septem acceptis tubis argenteis, septimo die cum universo exercitu

sic pauci salvantur ex mundanis hominibus,

23) Ibid. vrr. 24-25. Vulg.: *Porta, quaeso, peccatum meum.* 24) Lc 14, 18. 25) 1 Rg 15, 29. 26) Ibid. vr. 30. 27) Ibid. 16, 1. 28) Iac 2, 10. Vulg.: *Quicunque ... totam legem servaverit,* etc. 29) Ibid. vr. 13. Vulg.: *Illi, qui non fecit misericordiam.* 30) Cf. Ios 6, 22-25.

Israel septies circumdarent civitatem; tubis clangentes populoque vociferante, muri corruere.[31]

Hoc autem mysterium in fine hodierni Evangelii aperitur. Dives enim rogat Abraham ut mittat Lazarum in domum patris sui ad praedicandam poenitentiam fratribus suis.[32] Sed Abraham dixit: *Habent Moysen et Prophetas: audiant illos;*[33] hic est sonitus et clangor tubarum. *Non, pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, poenitentiam agent.* Sed Abraham: *Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.*[34] Poenitentia facit ut corruant muri ierichuntini; sed poenitentia ex fide oritur, *fides* autem *ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*[35]

quia pauci sunt qui poenitentiam agant,

Christus Dominus noster praetendit hodie una cum Iosue civitatem hanc Iericho funditus evertere, imo hoc fuit semper Christi intentum: evertere mundanam vanitatem. Et sic in primitiva Ecclesia nulla penitus in Christi fidelibus vanitas cernebatur, sed mundi contemptus; Iosue enim in principio ingressus in terram promissionis evertit Iericho. Sed sicut Iericho eversa reaedificata postmodum fuit, post multos annos,[36] non obstante maledictione Iosue, nam ait: *Maledictus vir coram Domino qui suscitaverit et aedificaverit civitatem Iericho,*[37] sic hodie videmus in christianismo maledictam hanc civitatem reaedificatam maxime florere, non obstante maledictione Christi, qua omnem mundanam vanitatem damnat.

cum mundanam vanitatem diligant.

Accidit infelici huic epuloni sicut Absaloni, qui tribus lanceis transfixus fuit et corde transverberatus.[38] Tria vitia in causa fuerunt damnationis hominis huius: avaritia: *Erat dives;* superbia: *Induebatur,* etc.; luxuria: *Et epulabatur.* Accidit sicut Balthassaro regi Babylonis. Cum enim esset in convivio et sacra templi Dei vasa profanaret, statim apparuit in pariete manus Dei scribens contra eum mortis et damnationis sententiam:[39] *Mane, Thecel, Phares... Numeravit Deus regnum tuum et complevit illud... Appensus es in statera et inventus es minus habens... Divisum est regnum tuum et datum est Persis et Medis.*[40] Sic, inquam, accidit huic hodie; bonis enim omnibus privatus est, dum epulis operam daret; et sicut Ab-

Sic triplex ostenditur causa damnationis divitis: avaritia, superbia, luxuria,

31) Cf. ibid. vrr. 1-20. 32) Cf. Lc 16, 27-28. 33) Ibid. vr. 29. 34) Ibid. vrr. 30-31. 35) Rom 10, 17. 36) Cf. 3 Rg 16, 34. 37) Ios 6, 26. 38) Cf. 2 Rg 18, 14. 39) Cf. Dn 5, 1-5. 40) Ibid. vrr. 25-28. Vulg.: *Medis et Persis.*

saloni causa mortis fuit id quod maxime omnium in pretio habebat, pulcherrima capitis coma aureorum capillorum, [41] capillis enim mansit suspensus in quercu dum fugeret a facie inimicorum, [42] sic homini huic ea quae maxime diligebat fuerunt perditionis causa : *Quia recepisti bona* tua *in vita tua.*

et ita dives hic volens felicitatem in hoc mundo possidere, eam amisit in morte.

Accidit ei sicut Ruben, qui privatus fuit dignitate primogeniturae, regia et sacerdotali dignitate, quoniam polluit thorum paternum, rem habens cum uxore patris sui, [43] unde dixit ei Iacob : *Sicut aqua effusus es.* Si vas plenum sit oleo aut melle, etiam si effundatur, vas tamen semper aliquid retinet liquoris ; at si effundatur aqua, nec signum quidem remanet quod aqua plenum fuerit. Hoc est quod ait: *Sicut aqua effusus es, quoniam ascendisti cubile patris tui.* [44] Ita accidit homini huic : prius plenum erat aqua : *Homo quidam erat dives,* etc. ; sed in morte, fracto hoc vase, effusa est aqua, ita ut nec gutta quidem in eo remanserit ; hinc gutta aquae cupit et petit, nec obtinere potest. [45] Totum autem hoc quoniam in mundo voluit id quod proprium Dei est ; felicitas enim et beatitudo res Dei propria est, veluti uxor.

Figura mundanae felicitatis in visione Zachariae ostenditur.

IV. Videmus in hodierno Evangelio mysterium illud apud Zachariam. Vidit Sanctus Vates amphoram quandam, de cuius medio egrediebatur mulier. Sed massa plumbea emissa fuit in os amphorae, ita ut mulier illa non posset amplius extra vas caput mittere. Tunc duae mulieres, habentes alas quasi milvi, acceperunt amphoram et levaverunt in aere eamque in terram Sennaar asportaverunt. Angelus autem declarans hoc mysterium dixit quod amphora erat oculus universae terrae et quod mulier esset impietas. [46] Sed quidnam, quaeso, amphora ista, quae *oculus* dicitur universae terrae, significare potest ? Homo ipse videtur esse oculus scopusque universi, nam propter hominem facta sunt omnia et ad ipsum hominem tendunt omnia quae in mundo fiunt. Amphora vas est testaceum et homo *vas figuli* dicitur : *Formavit* enim *Deus hominem de limo terrae.* [47] Corpus igitur humanum est amphora ista. Et ad quid

41) Cf. 2 Rg 14, 26. 42) Cf. Ibid. 18, 9. 43) Cf. Gn 35, 22. 44) Ibid. 49, 4. Vulg.: *Effusus es sicut aqua... quia,* etc. 45) Cf. Lc 16, 24-26. 46) Cf. 5, 6 sqq. 47) Gn 2, 7.

respiciunt omnes artes omniaque negotia quae in mundo fiunt, nisi ad corpus ? Laborant omnes pro victu et vestitu, litterae enim venales factae sunt. Intra amphoram erat mulier ; intra corpus est anima, quandiu vivit homo: *Mulier una sedens in medio amphorae.* [48] Si anima sedet, si otiatur, impia fit. Haec est impietas : cum anima nihil boni agit, a carnali concupiscentia vitiis omnibus inficitur. Egreditur mulier et caput extra amphoram mittit per cogitationes et desideria externarum rerum. Sed massa plumbi immittitur in os amphorae. Aliquando anima, dum otiatur, cogitat vel desiderat etiam, quamvis tepide, quae Dei sunt, cupiens salvari. Sed supervenit massa plumbi et os amphorae obturat, adeo ut non possit amplius mittere caput extra vas. Saepe carnalis anima adeo gravatur cogitationibus et desideriis carnalibus, ut nec cogitare, nec desiderare possit quae Dei sunt. Divitiae et dignitates mundi onus grave sunt et cor humanum supra modum gravant et opprimunt. Hinc veniunt duae mulieres habentes alas plenas vento, alas autem milvi, rapacis avis. Duae mulieres sunt *concupiscentia oculorum et superbia vitae,* [49] avaritia et superbia ; hae sustollunt amphoram in altum. Cum homo dives est et nobilis, in dignitate positus, tunc volat per aera, fit fama ubique clarus et magni nominis. Sed hae mulieres amphoram carnalis concupiscentiae portant in terram Sennaar, in terram Babylonis, confusionis aeternae. Ecce in hodierno Evangelio amphora cum massa plumbi : *Homo quidam erat dives ;* ecce impietas in medio amphorae : impius erat in pauperem et mendicum Lazarum, qui fame peribat *et nemo illi dabat ;* [50] *Epulabatur quotidie splendide :* ecce anima tota intra amphoram, non cogitabat nec desiderabat, nisi quae carnis sunt ; et ecce aliae duae mulieres, *concupiscentia oculorum et superbia vitae : Erat dives et induebatur purpura et bysso* ex superbia et vana gloria. Quoniam autem dives et nobilis erat, volabat eius fama per orbem. Sed quo devenit haec amphora ? In terram Sennaar, Babylonis et confusionis aeternae : *Mortuus est . . . dives et sepultus est in inferno.*

Exhibet etiam hodie Christus duplicem imaginem:

V. *Homo quidam,* etc. In hodierno Evangelio Christus tanquam pictor excellentissimus depingit nobis duas imagines vivas ad naturale :

48) Zach 5, 7. 49) 1 Io 2, 16. 50) Lc 16, 21.

alteram quidem praesentis saeculi, alteram vero futuri ; hae enim sunt duae partes hodierni Evangelii. Constat mundus hic veluti ex contrariis : coelo et terra, aqua et igne, die et nocte, aestate et hieme, etc. Sic hominum genus sanitate et infirmitate, divitiis et paupertate, honoribus et humilitate, voluptatibus et miseriis, virtutibus et vitiis, vita et morte, bonis et malis. Ecce omnia bona mundi : *Homo quidam erat dives*, etc., bona corporis et mala animae. Ubi terra aquis abundat, malus est aer. Et ecce omnia mala : *Et erat quidam mendicus*, etc., mala carnis et bona spiritus. Ubi terra sterilis, purus est aer. Ille nihili apud Deum erat, hic autem nominatus : *Novi te ex nomine.* [51]

unam mundi huius, ubi mali bonis abundant, iusti autem malis premuntur;

Sed cur Deus malos bonis afficit in hac vita ? Ad ostendendas *divitias bonitatis . . . et patientiae et longanimitatis ;* [52] ad caritatem etiam ostendendam, qua inimicos diligit et bonis afficit, ad ostendendam misericordiam, qua cupit salutem eorum, et ut attrahat eos ad amorem benefactoris ; ad ostendendam iustitiam, quia nullum bonum etsi minimum, irremuneratum [relinquit] ; ne etiam graviora peccata committant, nam incommodis affecti multa peccata committunt in Deum et homines, et ut ostendat quod si talibus bonis inimicos hic afficit, quanto maioribus afficiet amicos filiosque in coelo ? Iustos vero, e contra, malis afficit ad eos purgandos, sicut aurum in fornace ; ut etiam auferat eis occasiones peccandi ; quale enim peccatum vel luxuriae vel superbiae aut avaritiae Lazarus committere potuisset ? Ad exercendum virtutes: fidem, spem, caritatem, patientiam, humilitatem, ut meritis ditiores faciat, quo sint multo gloriosiores in coelo, [53] mala enim huius mundi mirabili quadam alchimia convertuntur a Deo in bona maxima optimaque in coelo ; ut abstrahat eos ab amore mundi huius cupiantque *dissolvi et esse cum Christo.* [54] Haec est imago mundi huius ex nocte et die, aestate et hieme. Voluit Deus ut in mundo suavis fieret harmonia ex vocibus oppositis : ex sono alto divitum et basso pauperum, dives pius et pauper humilis patiensque suavissimum faciunt apud Deum concentum. Sed dives iste fuit asinus ad lyram, [55] dissolvit concentum ; pauper hic bene canebat, sed dives male ; hinc magister capellae eiecit eum a choro.

51) Ex 33, 12. 52) Rom 2, 4. 53) Ms.: *Coelum.* 54) Phil 1, 23. 55) Adagium eos significans qui indecore tentant artificium, cuius sunt imperiti et a quo natura abhorret. Cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 245-246.

alteram saeculi futuri, ubi partes invertentur,

Videamus imaginem alterius mundi : *Factum est*, Deus fecit, non casus, non natura, *ut moreretur mendicus :* ecce finis omnium malorum et principium omnium bonorum ; dies perpetuus pauperi illuxit : *Ut portaretur ab Angelis in sinum Abrahae,* [56] ubi perpetuo consolatur. Sed *mortuus est... dives,* lapide mortis divina sententia confregit statuam Nabuchodonosor : [57] finis omnium bonorum et initium omnium malorum, principium noctis aeternae ; *et sepultus est in inferno :* erat anima eius gravissimus lapis ob culpam. *Cum* autem *esset in tormentis,* [58] transivit a contrario in contrarium, elevavit oculos, quos prius nunquam levabat ; oravit, prius autem minime ; sed frustra, nil iuvat. Non debet, inquit Abraham, nec potest concedi tibi quod petis. Non debet, *quia recepisti bona* tua ; non potest, quia *chaos magnum,* etc., [59] aeternum Dei propositum. Rogat pro fratribus : non exauditur, quia indignus omnino est et quoniam habet homo, quandiu vidit, media necessaria ad salutem: *Habent Moysen et Prophetas.*

quia Deus omnibus dabit secundum opera eorum.

Habemus igitur in hodierno Evangelio duas vitas: temporalem et aeternam, duo genera etiam bonorum et malorum: huius vitae et illius. Haec autem vita via est ad illam. Habemus viam latam perditionis et arctam salutis. [60] Scimus quid agendum sit nobis, si volumus salvari ; dabit enim Deus *unicuique secundum opera sua,* [61] vel aeterna praemia vel sempiterna supplicia.

56) Lc 16, 22. 57) Cf. Dn 2, 31-35. 58) Lc 16, 23. 59) Ibid. vr. 26.
60) Cf. Mt 7, 13. 61) Ibid. 16, 27; Rom 2, 6; Apc 22, 12.

FERIA SEXTA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

Proponit Christus hodie parabolam impiorum agricolarum

I. Vident oculi isti, lumina corporis nostri et veluti duo magna luminaria [1] in coelo hoc faciei nostrae, magnum hoc et admirabile mundi spectaculum: terram, mare, coelum *et omnia quae in eis sunt;* [2] seipsos tamen, nec propriam hominis faciem minime vident, sed speculo opus est. Sic homo saepe aquilinos lynceosque oculos habet ad videndum aliorum errata, propria autem suiipsius minime videt, sicut multi senes ocularibus nullis egent ad videndum a longe, sed quae prope sunt sine ocularibus bonis videre non possunt. Hinc Christus hodie, apposita parabola impiorum agricolarum, hominibus peccatoribus hodie ostendit statum damnationis suae: *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis.* [3]

ut ostendat peccatoribus statum propriae damnationis.

> *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam et sepe circumdedit eam et fodit in ea torcular et aedificavit,* etc. [4]

In hoc Evangelio agitur de Deo,

II. Plantavit Noe vineam et bibens de eius vino inebriatus fuit, quare ob id magna a filio fuit contumelia affectus. [5] Sic evangelicus iste paterfamilias, eo quod vineam plantavit, magna fuit iniuria affectus ab agricolis, qui post multas iniurias servis illatas, tandem filium eius unigenitum occiderunt. [6] Multa sunt sacrosancti hodierni Evangelii mysteria; agitur enim in eo de Deo, de Christo, de Ecclesia et de rectoribus Ecclesiae. Deus appellatur tribus nominibus: *homo paterfamilias, dominus vineae, dominus* absolute: *A Do-*

1) Cf. Gn 1, 14-18. 2) Ps 145, 6. 3) Mt 21, 41. 4) Pericope huius diei Mt 21, 33 sqq. Vulg.: *Sepem circumdedit ei,* etc. Cf. Missale Rom. 5) Cf. Gn 9, 20-22. 6) Cf. Mt 21, 35-40.

mino factum est istud, et est, etc. [7] Christus etiam tribus nominibus : *Filius unigenitus patrisfamilias, heres vineae* et *lapis reprobatus.* Ecclesia tribus nominibus : *vinea patrisfamilias, aedificium* et *regnum Dei.* Praelati et sacerdotes tribus nominibus ipsi quoque : *agricolae vineae, aedificatores* et *gubernatores regni.* Sic Evangelium istud veluti flumen paradisi in quattuor dividitur capita, [8] imo animal Ezechielis habens quattuor capita et unumquodque caput quattuor facies ; [9] nam Deus non tantum dicitur homo paterfamilias, dominus vineae, sed et *dominus mirabilis operis effector : A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.* [10] Christus non tantum filius, heres, lapis factus caput anguli, sed etiam *propheta*: *Sicut prophetam eum habebant ;* [11] *Hic factus est in caput anguli.* [12] Ecclesia non tantum vinea, regnum, aedificium, sed etiam *gens faciens fructum;* [13] et principes sacerdotum ac Pharisaei non tantum agricolae, gubernatores regni, aedificatores, sed etiam *mali : Malos male perdet.* [14] Sed si omnia haec explicare vellemus, sumeremus transfretandum mare immensum currendamque viam interminatam. Dicamus aliquid de mysterio vineae.

de Christo et de rectoribus Ecclesiae.

III. *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam.* Agricultura etiam principes delectat : *Abraham . . . plantavit nemus,* [15] Salomon multos plantavit hortos et paradisos ; [16] legimus etiam nemus plantatum cultumque a rege Assuero propria manu. [17] De Deo autem inquit Moyses quod *plantaverat . . . paradisum voluptatis a principio.* [18] Fuit autem plantatio illa supernaturalis, nam *non . . . pluerat Dominus Deus super terram, et homo non erat qui operaretur eam.* [19] Non fuit, inquit, actio illa artificialis, quia homo nondum erat creatus ; non naturalis, quia nondum erant pluviae et aquae irrigantes terram, sine quibus terra, suapte natura arida, nil producere potest. Ergo fuit actio supernaturalis et divina. Sic utique actio ista : *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam,* supernaturalis est et divina ; iste enim homo Deus est, qui dicitur *homo*, quoniam *ad imaginem . . . Dei factus est homo,* [20] quia est natura intellectualis et libera ut homo,

Vinea haec plantatio supernaturalis est, ab ipso Deo facta.

7) Ps 117, 23; Mt 21, 42. 8) Cf. Gn 2, 10. 9) Cf. 1, 5. 10) Ps 117, 23; Mt 21, 42. 11) Mt 14, 5. 12) Ps 117, 22; Mt 21, 42. 13) Cf. Mt 21, 43. 14) Ibid. vr. 41. 15) Gn 21, 33. 16) Cf. Ecclc 2, 4-6. 17) Cf. Est 1, 5. 18) Gn 2, 8. 19) Ibid. vr. 5. 20) Ibid. 9, 6.

quia in se omne continet bonum, sicut homo compendium est universi. *Homo* erat Verbum aeternitatis; nunquam natus, nunquam factus est homo iste. *Paterfamilias*, quia mundum, quem creavit sua omnipotentia, regit atque gubernat sapientia et providentia sua vere paterna, tanquam pater familiam suam. *Qui plantavit vineam:* haec *vinea* illa est de qua Regius Vates: *Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes et plantasti eam; dux itineris fuisti in conspectu eius,* et *plantasti radices eius, et implevit terram... Extendit palmites suos usque ad mare et usque ad flumen propagines eius;* [21] *vinea* illa, de qua Deus per Ieremiam: *Ego... plantavi te vineam electam, omne semen verum* in ea; *quomodo... conversa es mihi in amarum, vitis aliena?* [22] *Ego plantavi te vitem optimam totam ipsam semen verum; quomodo conversa es mihi in sarmenta vitis alienae?* [23] *Vinea* illa, de qua Ezechiel: *In terra bona plantata est super aquas multas, ut faciat frondes et portet fructum, ut sit in vineam grandem;* [24] *vinea* tandem illa, de qua Dominus per Isaiam dicit: *Vinea fuit dilecto meo in cornu filio olei. Et sepivit eam et lapides legit ex ea, et plantavit eam electam, et aedificavit turrim in medio eius et torcular extruxit in ea, et expectavit ut faceret uvas.* [25] Sic hodie Dominus ait: *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam et sepe circumdedit eam et fodit in ea torcular et aedificavit turrim et locavit eam agricolis.* [26]

de qua in multis locis Sacra Scriptura loquitur,

Et vinea quidem ista, secundum primam Christi intentionem, synagogam significat: *Vinea enim Domini exercituum domus Israel est;* [27] *domus Israel,* non domus Abraham, aut Isaac, quia in domo Abraham fuit Isaac electus una cum Ismaele reprobato, [28] qui non fuit de populo electo; in domo etiam Isaac fuit Esau reprobatus, [29] non spectans ad populum Dei; sed in domo Iacob omnes filii fuerunt electi patresque et patriarchae populi Dei. [30] Hinc *domus Israel est.* Hinc etiam Isaias ait quod *plantavit eam* vineam *electam,* et sicut ibi Isaias loquitur de electione et reprobatione populi

figurat autem synagogam

21) Ps 79, 9-12. In veteribus editionibus Vulg. legitur: *Et plantasti radices*, cf. *Biblia Lovaniensis*. In posterioribus autem, iussu Clementis VIII emendatis, *et* expunctum fuit.
22) 2, 21. Vulg.: *Conversa es mihi in pravum, vinea aliena?* 23) Ibid. Ex hebraico.
24) 17, 8. Vulg.: *Super aquas multas plantata est*, etc. 25) 5, 1-2. Vulg.: *Et lapides elegit ex illa*, etc. 26) Mt 21, 33. 27) Is 5, 7. 28) Cf. Gn 21, 10-13; Rom 9, 7-9.
29) Cf. Mal 1, 2-3; Rom 9, 13; Hebr 12, 17. 30) Cf. Gn 49, 1-28.

Iudaeorum, de electione quidem dum ait: *Vinea fuit dilecto meo,* etc., de reprobatione vero dum ait: *Et nunc, habitatores Ierusalem et viri Iuda, iudicate,* quaeso, *inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineae meae, et non feci?* Et *expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas. Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineae meae: auferam sepem eius, et erit in direptionem; diruam maceriam eius, et erit in conculcationem, et ponam eam desertam; non putabitur et non fodietur et ascendent* super eam *vepres et spinae, et nubibus mandabo ne pluant super eos imbrem;* [31] tunc totam parabolam declarat dicens: *Vinea... Domini exercituum domus Israel est, et vir Iuda germen eius delectabile; et expectavi ut faceret iudicium, et ecce iniquitas,... iustitiam, et ecce clamor;* [32] ita hodie Dominus de electione et reprobatione synagogae loquitur: *Malos male perdet; Auferetur a vobis regnum Dei.* [33] Sed huius reprobationis causam Isaias assignat peccata populi, Dominus autem in Evangelio peccata principum, agricolarum vineae, quoniam vere utrorunque peccata reprobationis huius extitere in causa.

et electionem populi iudaici

et eiusdem posteriorem reprobationem propter peccata principum.

IV. Sed videamus plantationem vineae. *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam.* Procreavit gentem hebraeam ex radice patriarcharum: Abraham, Isaac et Iacob. Plantavit eam prius in terra Aegypti; [34] sed quoniam ineptus locus erat ad fructificandum ob multa impedimenta lapidum et spinarum, transplantavit eam in terram promissionis. Impediebant Hebraeos Aegyptii ne Deo servirent, ne colerent verum Deum; [35] hinc Deus eduxit populum ex Aegypto in terram promissionis, eiectis inde gentibus chananaeis: *Eiecisti gentes et plantasti eam.* [36] Hoc est *lapides legere ex ea.* Plantavit autem eam in terra optima, *in cornu filio olei,* terra pingui et fertili. Dicitur autem domus Israel specialiter *vinea* Dei propter fidem, cultum et religionem veri Dei, quam quidem mirabiliter in cordibus Hebraeorum plantavit multis operatis miraculis in Aegypto, in mari Rubro, in deserto [37] et in ingressu terrae promissionis sub Iosue, defuncto Moyse. [38]

Synagoga ortum duxit a patriarchis Abraham, Isaac et Iacob,

Sic mirabiliter vineam istam plantavit, *sepe circumdedit: Sub*

31) 5, 3-6. Vulg.: *Nunc ergo, habitatores... super eam imbrem. Super eam vepres,* lect. cod.
32) Ibid. vr. 7. 33) Mt 21, 43. 34) Cf. Ex 1, 1-7. 35) Cf. ibid. 8, 26.
36) Ps 79, 9. 37) Cf. Ps 77, 12-55. 38) Cf. Ios 6, 1 sqq.; 8, 1 sqq.; 10, 1 sqq.

ex Aegypto dein deducta, legem Deus ei dedit, quae cum divina protectione veluti sepes et maceria illi erat ad defensionem;

lege custodiebamur inclusi in eam fidem, quae revelanda erat. [39] Nec tantum sepe, sed etiam maceria: *Auferam sepem et diruam maceriam,* quod designare videtur duplicem illius populi protectionem, tum Angelorum tum Dei, vel humana et divina virtute, qua ab hostibus custodiebantur ac protegebantur defendebanturque. Unde Regius Vates praevidens in spiritu destructionem synagogae, quae in babylonica captivitate ad nihilum fere redacta fuit: [40] *Ut quid,* inquit, *destruxisti maceriam eius et vindemiant eam homines qui praetergrediuntur viam?* [41] *Destruxisti omnes sepes eius, posuisti firmamentum eius formidinem.* [42] *Aedificavit turrim* tabernaculi et templi, in qua habitabant principes sacerdotum ad vineae custodiam deputati. *Fodit... torcular* legis, quae purum ab impuro separat promissionibus et minis, spe et timore premens hominum corda ad exprimendum ex eis vinum divinae dilectionis et pietatis. *Locavit eam agricolis* Moysi et Aaron ac successoribus eorum, *et... profectus est,* [43] quia ex quo legem dedit sensibiliter apparens, nunquam amplius universo populo fuit visus.

eique Prophetas misit, sed ingrate ipsa tot beneficia rependens eos persecuta est.

Cum autem tempus fructuum appropinquaret, [44] *expectavit ut faceret uvas:* cum iam, acquisita terra promissionis, pace et quiete fruerentur, ut divino cultui operam dare nullo incommodo impedirentur, *misit servos suos* Prophetas sanctos. Tres servos specialiter referunt Marcus [45] et Lucas [46] missos unum post alterum dimissosque inanes, sine fructibus; fuerunt autem Samuel, Elias et Eliseus. Deinde *misit alios plures prioribus,* [47] tempore enim Isaiae multi Prophetae floruerunt, quorum impius Manasses multos occidit; [48] sic etiam Elias conquestus fuit occisionis Prophetarum cum Deo: *Altaria tua destruxerunt* et *Prophetas... occiderunt,* et *relictus sum ego solus, et quaerunt animam meam.* [49]

Deus vero patienter ferens, novissime Filium suum misit,

Pugnabat humana malitia contra divinam bonitatem. Deus autem patienter ferebat nolens impios colonos perdere: *Qui neminem vult perire, sed omnes ad poenitentiam reverti,* [50] *omnes ... salvos fieri.* [51] Tentat si possit bonitate sua vincere humanam malitiam.

39) Gal 3, 23. Vulg.: *Conclusi in eam,* etc. 40) Cf. 4 Rg 25, 1-22; 2 Par 36, 16-21. 41) Ps 79, 13. Vulg.: *Vindemiant eam omnes,* etc. 42) Ps 88, 41. 43) Mt 21, 33. 44) Ibid. vr. 34. Vulg.: *Appropinquasset,* etc. 45) Cf. 12, 2-5. 46) Cf. 20, 10-12. 47) Mt 21, 36. 48) Cf. 4 Rg 21, 16. 49) 3 Rg 19, 10. 14. Vulg.: *Derelictus sum,* etc. 50) 2 Petr 3, 9. Vulg.: *Nolens aliquos perire,* etc. 51) 1 Tim 2, 4.

Novissime mittit Filium suum unigenitum. O desiderium plane infinitum percipiendi fructus huius vineae ! desiderium, inquam, salutis humanae. Sicut enim vinea ad hoc plantatur, ut afferat fructum, sic homo ad hoc conditus est, ut aeternam salutem bene agendo consequatur: *Verebuntur*, inquit, forte *filium meum.* [52] Sed *agricolae . . . videntes* filium *dixerunt* – o summa impietas ! – *Hic est heres : venite, occidamus eum et habebimus hereditatem.* [53] Iudaei Christum occiderunt ne perderent locum et gentem ; sic enim in concilio dixerunt : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem.* [54] Sic prolata Caiphae sententia : *Expedit . . . ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat,* [55] tunc cogitaverunt ut Christum occiderent. [56]

sed hunc quoque ipsa occidit.

Hic est heres: hic heredem se esse ostendit signis atque miraculis ; *Venite, occidamus eum.* Sic contra Ioseph dixerunt impii fratres : *Ecce somniator venit : venite, occidamus eum ;* [57] hoc autem ne fieret eorum dominus et rex, ne illi fierent servi subditique. Sic vinea fecit non uvas, sed labruscas, uvas agrestes, amaras, felleas. Haec causa reprobationis est : *Malos male perdet ; Auferetur a vobis regnum Dei*, gratia Dei veraque fides, *et dabitur genti facienti fructus eius.* [58]

unde eius reprobatio secuta est.

V. Sed quis nesciat, fratres mei, quod synagoga figura fuit Ecclesiae ? Ecclesia quoque *vinea Domini exercituum est. Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam*, Deus, benignissimus paterfamilias, cuius hodie ostenditur infinita caritas in desiderio fructuum, summum salutis nostrae desiderium, nam alioquin ipse bonorum nostrorum non indiget; [59] infinita clementia, misericordia et bonitas, qua vincere voluit malitiam impiorum agricolarum, et infinita iustitia, qua tandem *malos male* perdidit; hic, inquam, *plantavit vineam* Ecclesiae, fidem [60] Evangelii in hominum pectoribus, summo plane et infinito cum miraculo si consideremus quid credendum, quid agendum universo mundo praedicet Evangelium : quod Christus crucifixus sit

Vinea haec figura etiam Ecclesiae est, quae a divina bonitate in mundo plantata fuit

52) Mt 21, 37. 53) Ibid. vr. 38. 54) Io 11, 47-48. 55) Ibid. vr. 50. 56) Cf. ibid. vr. 53. 57) Gn 37, 19-20. 58) Mt 21, 43. 59) Cf. Ps 15, 2. 60) Ms.: *Finem.*

per fidem Evangelii in cordibus infusam.

verus Deus, quod Deus sit Trinus et Unus, quod in Sacramento altaris sit totus Christus, et alia huiuscemodi spectantia ad intellectum; ad voluntatem vero, ut homo non terrena, praesentia, visibilia diligat bona, sed invisibilia, futura, coelestia; ut poenitentiam agat, ut carnem cum omnibus vitiis et concupiscentiis suis crucifigat, [61] ut Deum super omnia diligat, vitia omnia placentia fugiat, virtutes amplectatur, etc.

Sicut synagoga ex Aegypto, sic ipsa a servitute peccati liberata fuit;

Plantavit vineam, educens illam ex Aegypto peccati et idololatriae, eruens de potestate diaboli et servitute peccati. *Circumdedit sepem... aedificavit turrim, fodit... torcular*, providit omnia necessaria: *Quid... ultra debui facere vineae meae, et non feci?* Providit Divinas Scripturas, Sacramenta, sacerdotes, praedicatores. Vinea plantata in terra bona, in anima facta *ad imaginem et similitudinem Dei*, in intellectu cupidissimo veri et in voluntate cupidissima boni, verum enim et bonum obiecta sunt intellectus et voluntatis. Habet aquas coelestis sapientiae, quibus terra haec irrigatur; habet sepem et maceriam, custodiam increatam Dei et creatam [62] Angelorum et hominum, adeo ut bestiae infernales nonnisi per portam voluntarii consensus possint intrare ad dissipandam hanc vineam divinae fidei et caritatis. Habebat opus hac sepe et maceria vinea haec, quoniam gratia accepta potest amitti. Hoc forte est quod Dominus posuit hominem *in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum* [63] a bestiis infernalibus; nam in anima eius plantaverat Deus paradisum omnium virtutum tum cardinalium tum theologicarum. Ad has servandas opus diligentia erat: *Aedificavit turrim*, templum, domum orationis: *Turris fortissima nomen Domini*, [64] invocatio divina, refugium orationis; *torcular* sacramenti Poenitentiae, quod est altare sacrificiorum: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies;* [65] *locavit eam agricolis*, principibus sacerdotum, Episcopis, sacerdotibus. *Quid... ultra debui facere vineae meae, et non feci?*

speciali providentia Deus eam defendit, omnia divinae gratiae auxilia per Sacramenta ei confert et rectores eius instituit.

VI. Vae nobis, fratres, si non fuerimus *vinea Domini sabaoth* faciens bonas uvas, sed vinea diaboli, de qua dicitur: *De vinea Sodo-*

61) Cf. Gal 5, 24. 62) Ms.: *Custodia increata ... et creata.* 63) Gn 2, 15.
64) Prv 18, 10. 65) Ps 50, 19.

morum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhae; uva eorum uva fellis et botrus amarissimus; fel draconum vinum eorum et venenum aspidum insanabile! [66] Haec vinea diaboli est. Et ipsa quoque habet sepem suam, torcular suum, turrim suam, agricolas suos. Legimus daemoniacum caecum, surdum et mutum: [67] ecce diabolica vinea sepe circumdata ignorantiae, malitiae et impotentiae. Legimus filiam chananaeae male a daemonio vexatam: [68] ecce torcular. Legimus turrim Babel ambitionis et superbiae; [69] et tandem legimus fortem armatum custodientem atrium suum: [70] ecce agricola. Nos itaque, fratres, quaenam vinea sumus? Vita carnalis est [71] vinea Sodomorum, concupiscentia carnalis; haec parit malas cogitationes et prava desideria, sicut vitis uvam. Hinc est consensus in peccatum ipsumque peccatum consummatum, quod generat mortem: [72] ecce *fel draconum... et venenum aspidum insanabile,* quod solus Deus sanare potest.

Diabolus etiam suam vineam habet et quidem optime instructam et defensam,

quae est vita carnalis concupiscentiae.

De vinea Sodomorum vinea eorum. Haec illa vinea est, de qua prohibuit Nazaraeos Deus ne biberent vinum aut acetum aut mustum, nec uvam aut viridem aut passam vel maturam vel immaturam, et ne quid gustarent quod nascitur de vite. [73] Sed Christus est verus Nazaraeus, nos christiani Nazareni; [74] nihil vult Deus ut de vinea hac degustemus: *Fornicatio autem et omnis immunditia... nec nominetur in vobis.* [75] Ah igitur, fratres, consideremus nos ipsos quaenam vinea sumus, consideremus an uvas an labruscas facimus! *Expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas. Expectavi iudicium, et ecce iniquitas..., iustitiam, et ecce clamor:* וַיְקַו לְמִשְׁפָּט וְהִנֵּה מִשְׂפָּח לִצְדָקָה וְהִנֵּה צְעָקָה; [76] expectavi donum et consecutus sum damnum. Sicut d o n u m et d a m n u m voces similes sunt apud nos, ita apud Hebraeos מִשְׁפָּט, i u d i c i u m, et מִשְׂפָּח, i n i q u i t a s; צְדָקָה, i u s t i t i a, et צְעָקָה, [77] c l a m o r; sed pri-

De vinea hac esse non potest qui verus nazaraeus esse vult.

66) Dt 32, 32-33. Vulg.: *Botri amarissimi,* etc. 67) Cf. Mt 12, 22; Mc 7, 32. 68) Cf. Mt 15, 22. 69) Cf. Gn 11, 4. 70) Cf. Lc 11, 21. 71) Ms.: *Et.* 72) Cf. Iac 1, 15. 73) Cf. Nm 6, 2-4. 74) Sic initio christiani appellabantur. Cf. Act 24, 5. 75) Eph 5, 3. 76) Ms.: *Kivili* (!) *lemiscpath vehineh piscpach* (!) *lizdakah vehineh zehakah.* Nos textum hebraicum transcripsimus. 77) Ms.: *Miscpath, miscpach, zedakah, zehakah.*

Videamus ergo vitam nostram an Christi an diaboli vinea sit;

mum differt in finali littera, alterum in media. Sunt multa vitia virtutibus quam similia, sed a veris virtutibus differunt fine et mediis. Sic erat vita hypocritarum Iudaeorum, quos saepe arguit Christus, [78] quoniam ficta sanctitas duplex est iniquitas. Saepe bona quae agimus, ficta sunt, facta non propter Deum, non ex caritate, sed ex cupiditate vanae gloriae et humanae laudis. Mala autem quae agimus, vera mala sunt.

ex uva enim vinea cognoscitur.

Non immerito *vineam* vocavit Ecclesiam suam Deus, nam bona opera sunt uvae, quas Deus desiderat ; uva autem non tota vinum est purum, habet et vinacia multasque faeces. Hinc etiam iustus dicitur *oliva fructifera in domo Dei ;* [79] oliva autem non tota oleum est, sed minima pars. Sic *omnes iustitiae nostrae sicut pannus* mulieris *menstruatae.* [80] Ideo opus est torculari, recto examine conscientiae ad secernenda mala a bonis.

Sicut vinea, nisi uvas faciat, ad ignem tantum apta est, sic homo nisi opera bona faciat.

VII. *Vinea* etiam dicitur Ecclesia, quia sicut vinea, nisi uvas faciat, ad nihilum valet, nisi ut in ignem mittatur, sic Christus ait : *Ego sum vitis . . . omnem palmitem in me non ferentem fructum, Pater meus agricola tollet* et in ignem mittet ; *omnem autem, qui facit fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat ;* [81] *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* [82] O fratres, unusquisque nostrum vitis est huius vineae, plantatio Dei est. Deus enim dedit nobis animam cum tribus potentiis, corpus cum multis sensibus et viribus, sed ut bene vivamus, ut bene operemur. Vade, frater, considera quaenam bona opera agis, vel in anima vel in corpore, vel in contemplativa vel in activa vita. *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur ; Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ?* ait Deus Ezechieli. [83]

Deus quam maxime cupit salutem nostram, ideo Filium suum misit in mundum:

Considerate, fratres, quanto desiderio teneatur Deus, pater iste familiae, ut percipiat fructus huius vineae, nam propter hoc non tantum sanctos Prophetas misit et priores et multo plures posteriores, sed tandem etiam Filium suum unigenitum periculo mortis exposuit. O desiderium ! o sitis horum fructuum, huius vini ! Sed quid ? Nun-

78) Cf. Mt 5, 20; 12, 38; 15, 1-9; 23, 1 sqq. 79) Ps 51, 10. 80) Is 64, 6. Vulg.: *Quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae.* 81) Io 15, 1-2. Vulg.: *Ego sum vitis et Pater meus agricola . . . Et omnem, qui fert fructum,* etc. 82) Mt 7, 19. 83) 15, 2.

quid Deus bonorum nostrorum indiget? Deus hic dicitur *homo*, quia *omne bonum*, [84] Dominus mundi, Rex ditissimus nullius eget.

Sed quidnam *uva*, quid *vinum* significat? Vinum est finis propter quem plantatur vinea; finis propter quem creatus est homo, paradisi gloria est, salus et vita aeterna. Summo desiderio ardet flagratque salutis nostrae, propterea misit Filium suum unigenitum, quoniam pater noster est, *paterfamilias*. Nos sumus familia Dei, vinea Dei, aedificium Dei, regnum Dei et unumquenque nostrum oportet esse agricolam, fabricatorem, rectorem regni animae nostrae et bonum redditorem [84*] fructuum Deo; alioquin, fratres, Christus, filius magni huius patrisfamilias, heres magni huius regni, lapis *factus... in caput anguli*, caput Ecclesiae, caput universi, magnus hic Propheta, causa erit damnationis, non salutis nostrae.

sed si Christus causa salutis nostrae non fuerit, erit utique perditionis.

VIII. Animadvertite, fratres, hodie vaticinia Christi. Praedicit enim mortem suam et causam mortis: *Hic est heres: venite, occidamus eum et habebimus hereditatem eius.* Praedicit locum mortis: eicientes eum *extra vineam... occiderunt.* [85] Christus enim *extra portam passus est.* [86] Praedicit reprobationem Iudaeorum et Gentium electionem: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius.* Praedicit se futurum caput Ecclesiae Gentium, qui repudiatus fuit a synagoga Iudaeorum: *Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.* [87] Praedicit duplex iudicium Dei: *Qui ceciderit super hunc lapidem, confringetur;* sic vas testaceum ex alto cadens super magnum lapidem rumpitur utique; sed *super quem... ceciderit* lapis, *conteret eum,* [88] sicut si magnus lapis ex alto cadat super vas figuli, in minutissimas partes redigit illud, ut ad nihil sit aptum. Sic iudicium Dei aliud temporale est in hac vita, et aliud aeternum in futura vita.

Hodie Christus praedicit mortem suam, Iudaeorum reprobationem, Gentium electionem et futurum iudicium.

Et quidem divini huius iudicii metus deberet nos ab omni malo coercere, cum certi simus quod iudicandi a Domino sumus. Sed facile peccamus, quoniam divini iudicii severitatem minime cogitamus et quoniam quasi sine Deo vivimus. Hoc est quod ait: *Et peregre profectus est,* [89] quoniam homines non cogitant Deum semper et ubique

Severitatem huius iudicii meditari debemus,

84) Ex 33, 19. 84*) Ms.: *Bonos redditores.* 85) Mt 21, 39. 86) Hebr 13, 12.
87) Mt 21, 42. 88) Ibid. vr. 44. Vulg.: *Qui ceciderit super lapidem istum*, etc.
89) Ibid. vr. 33.

ut peccata vitemus.

praesentem. Sed quoniam Deus, postquam synagogam formavit, legem et sacramenta instituit, corporaliter amplius populo minime apparuit, absens populo videbatur, sic etiam nobis, quoniam Christus, postquam vineam Ecclesiae plantavit, abiit in coelum corporali praesentia, absens nobis videtur, nec divinitate semper et ubique praesentem cogitamus. Hinc tam faciles sumus ad peccandum et cogitamus insipienter quod *non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* [90] Hinc ait : *Quare irritavit impius Deum? Dixit enim in corde suo : Non requiret.* [91]

II. ALIA HOMILIA

Homo erat paterfamilias, etc. [1]

Sub hac parabola Christus Ecclesiam designavit.

I. Sicut sanctus vates Nathan, proposita parabola ovis et raptoris, convicit David et fecit ut ipse contra seipsum ferret damnationis et mortis sententiam ob commissum adulterium cum Bethsabee occisumque Uriam, [2] sic hodie Christus, proposita parabola vineae et perversorum vinitorum, facit ut Iudaei hodie proferant contra seipsos sententiam damnationis suae : *Malos male perdet et vineam suam dabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis ;* [3] sic intulit Christus : *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius.* [4] Christus igitur hodie parabolam vineae proponit principibus sacerdotum, Ecclesiam designando.

Multis hieroglyphicis et figuris in Sacra Scriptura Ecclesia designatur,

Sicut enim Ecclesia Dei in Veteri Testamento multis fuit typicis figuris ac velut hieroglyphicis designata – hanc enim paradisus terrestris, [5] hanc arca Noe, [6] hanc Moysi tabernaculum, [7] hanc templum Salomonis, [8] hanc aureum candelabrum septem lucernarum, [9] hanc *Rationale* duodecim lapidum magni sacerdotis, [10] hanc grex quem Moyses duxit in interiora deserti, [11] et innumera alia sacramenta designabant, – sic in Novo Testamento multis parabolis Christus Ecclesiam suam figurate expressit ac designavit. Assimilavit

90) Ps 93, 7. 91) Ps 9, 34. Vulg.: *Propter quid irritavit,* etc.

1) Mt 21, 33. 2) Cf. 2 Rg 12, 1-14. 3) Mt 21, 41. Vulg.: *Locabit aliis agricolis,* etc. 4) Ibid. vr. 43. 5) Cf. Gn 2, 8-14. 6) Cf. ibid. 6, 13-18. 7) Cf. Ex 35, 10-19. 8) Cf. 3 Rg 6, 1-8, 1 sqq. 9) Cf. Ex 37, 17-23. 10) Cf. ibid. 39, 8-18. 11) Cf. ibid. 3, 1.

enim Ecclesiam agro, in quo bonum semen seminatum est et inimicus homo superseminavit zizania;[12] assimilavit sagenae missae in mari et congreganti ex omni genere piscium;[13] assimilavit coenae, unde fuit eiectus non habens vestem nuptialem.[14]

Sed praecipue vineae, nec semel tantum, nam tres parabolas legimus de vinea: primam quidem, ad quam excolendam operarii conducuntur;[15] alteram, ad quam duo filii mittuntur a patre, et alter quidem promisit se iturum et postea non abiit, alter vero dicens se ire nolle, postea poenitentia ductus abiit et fecit voluntatem patris;[16] tandem tertia est hodierna. Nec his contentus Christus se *vitem* appellavit et discipulos suos *palmites*, Patrem vero *agricolam*.[17] Nec tantum in Evangelio, sed etiam in Prophetis quam saepe Ecclesia per *vineam* est designata. Sic enim David: *Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes et plantasti eam.*[18] Sic Isaias: *Vinea ... Domini exercituum domus Israel est.*[19] Sic Ieremias: *Ego ... te plantavi vineam electam, omne semen verum*[20] in ea. Sic apud Ezechielem Ecclesia per *vineam* designatur.[21]

sed praecipue, et quidem pluries, figura vineae tum a Christo tum a Prophetis.

II. Causa autem cur tam frequens sit in Divinis Litteris symbolum vineae ad designandam Ecclesiam, est multiplex. Et prima quidem quod vinea non sponte nascitur, sicut pleraeque aliae plantae, sed plantari necesse est ab agricola. Sic fides, spes, caritas gratiaque Spiritus Sancti, in qua Ecclesia consistit, non suapte natura oritur in humanis cordibus, sed a Deo plantantur hae virtutum vites in anima nostra. Hoc est quod Christus ait: *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam.* Non sua sponte nata est, sed a Deo plantata est: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est.*[22] Sic etiam Isaias ait vineam a Deo plantatam; Ecclesiae enim Deus est auctor atque plantator, qui paradisum voluptatis plantavit a principio.[23] Isaias autem non tantum plantatam a Deo vineam dicit, sed plantatam *in cornu filio olei,*[24] idest loco eminenti, in elevato colle, loco valde pingui et fertili. Fides autem plantatur in mente ac suprema animi nostri portione, quae suapte natura nonnisi verum

Hoc autem triplici de causa: a) quia sicut vinea ab agricola plantari oportet,

sic fides, in qua Ecclesia consistit, ab ipso Deo plantatur in anima nostra;

12) Cf. Mt 13, 24-30. 36-43. 13) Cf. ibid. vrr. 47-50. 14) Cf. ibid. 22, 2-14. 15) Cf. ibid. 20, 1-16. 16) Cf. ibid. 21, 28-31. 17) Cf. Io 15, 1-5. 18) Ps 79, 9. 19) 5, 7. 20) 2, 21. Vulg.: *Plantavi te,* etc. 21) Cf. 17, 5 sqq. 22) Iac 1, 17. 23) Cf. Gn 2, 8. 24) 5, 1.

et bonum quaerit; intellectus enim obiectum est veritas, voluntatis autem bonitas, quam sequitur amor. Nec tantum plantatam optimo loco,[25] sed etiam optimam vitem: *Et plantavit eam electam;*[26] fides enim optima virtus est.

b) quia sicut vinea multis indiget ad conservationem, sic Deus multa Ecclesiae contulit:

Altera causa est quod vinea plantata, quo possit desideratum fructum afferre, multis quidem indiget ad eam conservandam, ne plantata conculcetur aut devastetur a bestiis. Hoc est quod ait: *Sepem circumdedit ei.*[27] Apud Isaiam autem vineam hanc legimus non tantum sepe, sed etiam maceria circumdatam.[28] Haec autem est Dei et Angelorum protectio: *Urbs fortitudinis nostrae... salvator ponetur in ea murus et antemurale.*[29] Quamvis etiam per sepem et maceriam designari possit lex divina quoad praecepta et consilia. Lex enim praeceptis et consiliis constat; lex autem terminos praefigit homini, quos pertransire non licet. Significat etiam sepes et murus principum fidelium potentiam, qua Ecclesia ab hostium incursu protegitur. Sed firmior quidem protectio divina et angelica est, infirmior autem humana; illa murus est, haec autem sepes.

custodiam legum, divinam et angelicam protectionem,

Ad custodiendam etiam vineam a furibus, qui eam demoliri cupiunt, specula opus est, in qua custos maneat et speculator. Sic, inquit, *aedificavit turrim,*[30] quae templum Dei significat domumque orationis et divinae contemplationis: *Turris fortissima nomen Domini.*[31] Torcular etiam necessarium est ad calcandas uvas mustumque exprimendum. Hoc fuit in Lege altare sacrificiorum et [in Ecclesia] Poenitentiae sacramentum, ubi offertur Deo in sacrificium spiritus contribulatus et cor contritum:[32] *Torcular fodit in ea.*[33]

gratiam Sacramentorum,

Tandem cultoribus opus habet vinea, qui eam custodiant atque conservent magnaque cum diligentia et labore colant, fodiant, putent, erigant, alligent ad palos et faciant quicquid necessarium est: *Locavit eam colonis.*[34] Sic vineae huic omnia necessaria provisa sunt, quo possit uberes fructus afferre.

vigilantiam atque curam agricolarum;

Praecipua tamen causa ob quam Ecclesia *vinea* dicta est, quod sicut vinea plantatur atque excolitur ut faciat uvas: Et *expectavi ut faceret uvas,*[35] sic Deus a nobis fructum bonorum operum ex-

c) quia sicut finis quo vinea plantatur est ut fructum afferat,

25) Ms.: *Optimum locum.* 26) Is 5, 2. 27) Mt 21, 33. 28) Cf. 5, 5. 29) Ibid. 26, 1. 30) Mt 21, 33. 31) Prv 18, 10. 32) Cf. Ps 50, 19. 33) Mt 21, 33. 34) Ibid. Vulg.: *Agricolis.* 35) Is 5, 4.

pectat : *Expectavi,* inquit, *iudicium... et iustitiam,* [36] hoc est declinare a malo et facere bonum. [37] Sicut autem vitis, si fructum non faciat, ad nihilum valet nisi ad comburendum, sic Christus ait : *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum* et in ignem mittet, *et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* [38] Fructus igitur bonorum operum a nobis Deus requirit, expectat atque desiderat. Hinc ait : *Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus eius,* [39] uvas eius. Homo quidem non semper aptus est ad bene agendum ; dum infans atque puer est absque rationis usu, virtutum capax non est. Neque enim vitis in hieme, sed in autumno uvas habet. In hieme quidem nuda omnino est sine fructu et sine foliis; appropinquante autem vere, incipit gemmas producere, florere et folia facere ; tunc affert acerbam uvam, quae tandem a sole concocta maturescit et dulcissima fit gustuique gratissima, unde fit vinum optimum, praestantissimum ac generosissimum, laetificans cor hominis bibentis. [40]

sic Deus a nobis requirit fructum bonorum operum.

III. Similis est hodierni Evangelii parabola ei quae est apud Isaiam; sed Isaias quidem contra vineam invehitur ac totalem destructionem comminatur, quoniam non uvas, sed labruscas fecit; non bona opera, sed mala. Christus autem hodie invehitur contra colonos, contra principes sacerdotum et Pharisaeos, qui coloni erant vineae *Domini exercituum,* rectores synagogae : *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis ; Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius.* Ita tamen contra vinitores invehitur, ut etiam contra ipsam vineam vaticinetur: *Auferetur a vobis regnum Dei,* destruetur vinea, auferetur a vobis gratia Spiritus Sancti, gratia adoptionis filiorum Dei, vera fides et cultus Dei, *et dabitur genti facienti fructus eius.*

Vinea Domini synagoga erat, agricolae sacerdotes et Pharisaei, contra quos invehitur hodie Christus destructionem synagogae vaticinans,

Videmus autem iam multis saeculis hoc vaticinium Christi adimpletum contra synagogam Iudaeorum pro Ecclesia Gentium, et Christum a Iudaeis reprobatum factum esse caput Ecclesiae Gen-

quam eventus probavit,

36) Ibid. vr. 7. 37) Cf. Ps 33, 15; 36, 27. 38) Io 15, 2. 39) Mt 21, 34. Vulg.: *Reciperent fructus eius.* 40) Cf. Ps 103, 15.

tium: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli; a Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris,*[41] ut homo tanquam latro a Iudaeis in infami patibulo suspensus, post infamem et turpissimam mortem adoretur a Gentibus tanquam unigenitus Filius Dei verusque Deus, Salvator mundi.

Idem comprobat etiam veritatem fidei nostrae,

Et in hoc quidem Evangelio magnum continetur argumentum ad comprobandam fidei nostrae veritatem, quod Christus Dominus noster ipse sit verus Messias, eo quod Deus *malos male* perdidit *et vineam suam* locavit *aliis agricolis* in poenam mortis Christi, qui se dicebat vineae heredem et unigenitum Filium Dei et propterea occisus est a Iudaeis: *Hic est heres: venite, occidamus eum et habebimus hereditatem eius.*[42] Quare praesenti quidem parabola Christus multa vaticinatur. Primum, quod ipse occidendus erat a Iudaeis et extra vineam, extra Ierusalem, sicque reprobandus erat a principibus Iudaeorum. Secundum, quod Iudaeorum synagoga abicienda et reprobanda erat a Deo: *Auferetur a vobis regnum Dei; Malos male perdet.* Tertium, quod eligenda erat Ecclesia Gentium: *Dabitur genti facienti fructus eius; Vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant,* etc. Quartum, quod ipse Christus futurus erat caput Ecclesiae Gentium: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.*

ex hoc enim Christum verum esse Messiam;

Sic Christus caput et fundamentum Ecclesiae est lapisque angularis: *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit* lapis, *conteret eum.*[43] Peccantium in Christum duplex est poena: altera quidem temporalis, altera vero aeterna multo maior. Prima dicitur: *Confringetur;* altera: *Conteretur.* Aliud est frangi vas, aliud conteri et in minutissimas testas pulveremque reduci. Utranque poenam patitur infelicissima synagoga, nam confracta est in hac vita per universum mundum dispersa; in altera vero contrita est in aeternum damnata. Vide, homo, ne cadas super hunc lapidem peccando, quia cadet super te lapis iste veniens de coelo ad iudicandum. Lapis enim apud Danielem cadens de vertice montis, contrivit et ad nihilum redegit statuam, quam in somniis vidit rex Chaldaeorum.[44] Sic, inquit, *super quem... ceciderit* lapis, *conteret eum.*

synagoga autem, quae in Christum credere noluit, duplici poena percussa fuit: temporali et aeterna.

41) Ps 117, 22-23; Mt 21, 42. 42) Mt 21, 38. 43) Ibid. vr. 44. 44) Cf. 2, 31-35.

IV. Dominus igitur hodie cum Iudaeis se gerit sicut Nathan propheta cum David ;[45] nam et ipse hodie propheta dicitur: *Quia sicut prophetam eum habebant ;*[46] propheta autem tanto maior Nathan, quanto Deus maior est homine. Hinc non tantum sicut Nathan arguit Iudaeos de peccatis praeteritis, sed vaticinatur etiam de futuris : iustitia Dei contra Iudaeos, misericordia erga Gentes ; humiliatione propria apud Iudaeos, exaltatione super Gentes. Praedicit etiam mortis suae tempus et locum : tempus quidem cum ait : *Cum autem tempus fructuum appropinquasset;* in paschali solemnitate vel maxime tenebantur Iudaei omnes Ierosolymam ascendere in templum ad adorandum Deum et offerendum sacrificia,[47] qui quidem erant vineae huius speciales fructus ; locum etiam, quia eicientes extra vineam occiderunt ; Christus autem et paschali solemnitate[48] et extra Ierosolymam passus est.[49]

Hodie Christus prophetam agit, exprobat enim peccata Iudaeorum, vaticinatur de passione sua,

Erant adhuc Prophetae interpretes divinae voluntatis, quam populo nunciabant. Sic Christus hodie aperit Deum a nobis requirere fructum bonorum operum, ut simus vinea Dei, regnum Dei, templum Dei, familia Dei. Filius debet patri amorem et reverentiam, regnum regi obedientiam et tributa, domus aedificatori habitationem, vinea domino uvas. Hi sunt fructus huius vineae: fides viva, ut Deus per fidem habitet in cordibus nostris ;[50] obedientia divinaeque legis observantia, ac super omnia caritas, ut Deum tanquam patrem diligamus. Si vinea hos fructus minime dederit, destruetur, *excidetur et in ignem mittetur :*[51] *Malos male perdet. Horrendum est incidere in manus Dei !*[52]

et docet sanctitatem vitae, ut simus vinea Dei faciens fructum bonum.

Quamvis autem Christus propheta fuerit multo maior Nathan, quam sol luna splendidior, tamen Nathan in David fecit de nocte diem, convertit ipsum David ad poenitentiam; quod quidem Christus minime efficere potuit, quoniam David quidem fragilitate peccavit, Iudaei vero malitia. Hinc iusta est eorum damnatio et in seipsos hodie ferunt damnationis sententiam. Sicut enim ut aliquid videatur necesse est ut sit iusta mensura remotum ab oculis, qui seipsos videre non possunt nec faciem propriam, sic Christus hodie, ut Iudaei

Quia autem Iudaei in eum credere renuerunt, iustam propriae damnationis sententiam sustinent.

45) Cf. 2 Rg 12, 1-14. 46) Mt 21, 46. Vulg.: *Quoniam sicut,* etc. 47) Cf. Ex 23, 14-17; Dt 16, 5-7; 2 Par 30, 1 sqq.; Io 11, 55; 12, 20. 48) Cf. Mt 26, 17-18; Mc 14, 12-14; Lc 22, 1-11; Io 13, 1. 49) Cf. Mt 27, 32-33; Io 19, 17-20; Hebr 13, 12. 50) Cf. Eph 3, 17. 51) Mt 3, 10; 7, 19; Lc 3, 9. 52) Hebr 10, 31.

veluti in speculo seipsos viderent, eorum vitam sub persona agricolarum describit.

Ostenditur in hodierno Evangelio infinita Dei bonitas erga homines et maxima hominum contra Deum impietas.

V. *Agricolae autem videntes* eum a longe *dixerunt...: Hic est heres: venite, occidamus eum et habebimus hereditatem eius,* etc. [53] Sicut [54] impii filii Iacob videntes Ioseph dixerunt: *Ecce somniator venit: venite, occidamus eum,* [55] sic agricolae dicunt videntes heredem unicumque filium patrisfamilias. In sacrosancto autem hodierno Evangelio videre mihi videor summam et infinitam erga homines bonitatem ac pietatem, hominum vero contra Deum ingratitudinem et impietatem.

Deus vere est paterfamilias qui pro vita nostra naturali mundum creavit et pro supernaturali Ecclesiam instituit.

Propter infinitam bonitatem et caritatem suam erga nos Deus dicitur hodie *homo,* nec tantum homo, sed etiam *paterfamilias,* quia nos tanquam filios carissimos diligit. Quoniam vero hominem duplici substantia condidit ac duplicem vitam eum ducere voluit: alteram animalem cum animalibus in terra, alteram vero spiritualem cum Angelis in coelo, duplicem ei formam providit: unam pro vita corporali, quae anima est corpori coniuncta mediantibus spiritibus naturalibus, vitalibus et animalibus, altera vero ipse Spiritus Sanctus est spiritui nostro unitus mediantibus virtutibus: fide, spe et caritate.

Et pro utraque vita conservanda omnia necessaria providit. Pro conservanda enim vita corporali creavit hunc mundum profecto

53) Mt 21, 38.

54) In margine haec adiecta fuerunt: « Videmus hodie primam lucem et primas tenebras abyssi infernalis: infinitam bonitatem et infinitam malitiam. Dei bonitas infinita et aeterna in seipsa: *homo, omne bonum;* erat aeterna: *paterfamilias;* infinita et aeterna caritas Dei erga nos: *Caritate perpetua dilexi te.* Est autem caritas haec ipsemet Deus, nam *Deus caritas est,* infinitus ignis, infinitus calor, infinitus sol, infinita lux. *Plantavit vineam,* beneficium creationis; *sepem circumdedit,* beneficium conservationis, liberat nos ab omni malo, quod nobis inferre cupiunt daemones, sicut Iob intulerunt et daemoniaco illi caeco, surdo et muto. *Fodit in ea torcular,* beneficium redemptionis: *Torcular calcavi solus; Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum Filium suum daret; Sicut Moyses exaltavit,* etc., infinitum plane beneficium, quod divinam adaequat potentiam et bonitatem. *Aedificavit turrim,* beneficium iustificationis et verae religionis in Ecclesia Sancta et vera, quae *aedificium* vocatur: *Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes;* in hac est vera salus ut in arca Noe, hic Sacramenta et salutaris doctrina ac omnia, quae ad salutem requiruntur. *Locavit eam agricolis,* beneficium gubernationis per principes et praelatos quoad corpus et animam. *Et peregre profectus est,* beneficium libertatis; abscondit a nobis praesentiam suam, nec voluit facere nobiscum sicut Hebraeis in deserto, quos veluti ferula regebat tanquam magister, ne serviremus ei formidine poenae, sed virtutis amore. Sicut autem vinea, quam plantavit Noe, fuit ei occasio ut iniuriam pateretur a filio Cham, et ut Cham quidem malidiceretur, Sem autem et Iaphet benedicerentur, sic vinea haec occasio fuit Deo ut multas ab hominibus pateretur iniurias quas Evangelium hoc describit, et item ut Iudaei maledicerentur, Gentes autem benedicerentur: *Auferetur a vobis,* etc. »

55) Gn 37, 19-20.

completissimum. Quid enim in hoc mundo deest ad corporis necessitatem, imo ad voluptatem? Sic pro vita spirituali creavit veluti alterum mundum ἱερακόσμον [56] Ecclesiae, in qua nihil penitus deest quod sit ad spiritualem vitam necessarium, imo utile et iucundum.

in qua nihil deest quod sit necessarium et utile,

Hoc est quod per vineae parabolam hodie significatur. Si enim vinea plantata sit ex bonis propaginibus in optimo fundo, sepe et muro circumdata habeatque suum torcular turrimque ac domum ad habitandum in medio eius sitque colonis locata, ad eam optime excolendam quid amplius in ea desiderari potest? Aqua? At: *Mandabo,* inquit, *nubibus* desuper ut *pluant super eam pluviam.* [57] Sic ait Dominus: Quid ultra erat faciendum vineae et non feci? Vita quidem spiritualis in duobus consistit: in intellectu et voluntate, in cognitione veritatis et amore bonitatis. Hinc duo expectat a vinea domus Israel: *Expectavi... iudicium... et iustitiam;* iudicium autem opus est intellectus, iustitia autem operata opus voluntatis. Ad illustrandum autem intellectum in cognitione summae veritatis providit Deus nobis virtutem fidei Divinasque Scripturas et sacram theologiam sacrosque Doctores et praedicatores. Ad accendendum autem voluntatem amore summae bonitatis providit virtutem caritatis gratiamque Spiritus Sancti, qui in igneis linguis super Apostolos descendit, [58] et in Ecclesia instituit Sacramenta gratiae, quae gratiam conferunt et caritatem donaque Spiritus Sancti omnibus non indigne ad ea accedentibus. *Circumdedit* huic vineae *sepem* divinae protectionis et angelicae custodiae, adeo ut vel mala bestia vel fur intrare non possit ad vineam demoliendam, nisi ostium ei aperiatur voluntarii consensus; non enim est peccatum nisi voluntarium. *Fodit... torcular,* quod specialiter sacramentum Poenitentiae designat; *aedificavit turrim,* domum orationis, sacrum altare, ubi in Sanctissimo Sacramento Deus ipse nobiscum est, ut succurrat nobis in omnibus necessitatibus nostris, si recurramus ad eum, totumque seipsum dat nobis, nedum sua. Si dat totum seipsum, quomodo non secum omnia nobis donabit? [59] *Quid* igitur *debui ultra facere vineae meae, et non feci?* [60] Quoniam *sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum uni-*

ideo bene figurata per vineam optime instructam et excultam.

Ad illustrandum enim intellectum in cognitione veritatis Scripturas et Doctores providit,

ad accendendam voluntatem gratiam Spiritus Sancti infudit et Sacramenta instituit, praesertim Poenitentiae et Eucharistiae.

56) Ms.: *Hieracosmon.* 57) Is 5, 6. Quod S. Auctor ponit hic sensu positivo, apud Isaiam est sensu negativo: *Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* 58) Cf. Act 2, 2-4. 59) Cf. Rom 8, 32. 60) Is 5, 4.

genitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam. [61] Nec tantum Filium hodie misit ad vineam, sed etiam postea Spiritum Sanctum dedit.

Maiora his beneficia conferre non potuit.

VI. Circa hanc igitur vineam expendit infinitos thesauros potentiae suae in miraculis faciendis, sapientiae suae in legibus dandis, bonitatis in Sacramentis instituendis, benignissimae caritatis dum Filium dedit et Spiritum Sanctum, misericordiae in peccatis condonandis, iustitiae in puniendis peccatis in unigenito Filio suo.

Iure ergo a nobis fructus iustitiae expectat,

Quid . . . ultra debui facere vineae meae, et non feci ? Et *expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas,* [62] uvas quidem, sed agrestes, amarissimas, felleas, pessimas. Similes sunt labruscae uvis. Sic ait : וַיְקַו לְמִשְׁפָּט וְהִנֵּה מִשְׂפָּח לִצְדָקָה וְהִנֵּה צְעָקָה. [63] Iudicium perversum simile videtur esse iudicio recto et iniustitia iustitiae, sed fine et mediis differunt. [64] Utraque sunt opera intellectus et voluntatis, cognitione constant et amore. Sed uvae faciunt vinum bonum, labruscae autem pessimum ac quasi amarissimum venenum. Sic iustitia iuvat et iniustitia nocet : *Expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas,* reddidit mala pro bonis. [65] Sic videmus in agricolis hodie. Accepta enim a patrefamilias vinea optime constituta, non solum non afferunt ei fructus, sed cum ille servos mittit ad eos accipiendos, avaritia ducti nec dare volunt, imo servos male tractant verbis et factis, insuper et occidunt, et tandem, ut absoluti fiant vineae possessores et patroni, unicum filium patrisfamilias occidunt. O summum impietatis genus ! Quam iusta est sententia : *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis !*

et inexcusabiles sumus si tantam bonitatem ingrate rependerimus.

At multi sunt qui avaritia, ambitione et amore sui ducti talem benefactorem contemnunt

Sed quot sunt qui, ut cupiditatibus suis satisfaciant, Christum iterum crucifigunt, [66] qui pessime contra Deum divinis beneficiis abutuntur, qui pluris faciunt beneficia quam benefactorem ! Avarus, cum fidem habeat, credit quidem quod divitiae sunt creaturae et dona Dei ; pluris tamen facit divitias quam Deum. Pro divitiis enim male

61) Io 3, 16. Vulg.: *Qui credit in eum,* etc. 62) Is 5, 4. Vulg.: *Et fecit labruscas.*
63) Ibid. vr. 7. Ms.: *Kivithi (!) lemiscpath vehineh miscpach lizdakah vehineh zehakah.*
64) Hoc explicatur supra, hom. praec., pag. 45-46. 65) Cf. Ps 34, 12; 37, 21; Prv 17, 13; Ier 18, 20. 66) Cf. Hebr 6, 6.

cumulandis vel pro malis cumulatis conservandis, contra Deum multa peccata committit. Saul novit quod regnum sibi collatum fuit beneficium Dei; sed cum novit quod Deus auferre volebat ei regnum et dare Davidi, quaesivit pro viribus Davidem ipsum occidere [67] contra iustitiam et contra voluntatem Dei. Sic videmus in hac infelicissima nostra tempestate quod multi pro rationibus Statuum [68] abnegant Christi fidem et haeresim amplectuntur, quoniam statum temporalis principatus pluris faciunt quam ipsum Christum, sicut Iudaei ne statum perderent Christum occiderunt. [69] O avaritia, o ambitio, o amor sui, infinitorum causa malorum! *Hic est heres: venite, occidamus eum et habebimus hereditatem eius.* Sed, o infelices! *Malos male perdet; Auferetur a vobis regnum Dei.*

Ipsiusque beneficiis contra ipsum abutuntur.

Profecto indignum videtur quod divinus iste paterfamilias pro modico fructu vineae filium suum unigenitum periculo mortis exposuerit; ait enim: *Verebuntur* forte *filium meum.* [70] Unicum habet filium et pro modico fructu uvarum mittit ad impios agricolas, et solum absque comitibus mittit. Bone Deus, quidnam est hoc? Non est mercator sapiens qui pro lucro unius aurei exponit periculo centum aut mille. Sed: *A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris.* At profecto non ita est, sed magna prudentia Dei fuit; exposuit enim periculo unum corpus pro salute innumerarum animarum; exposuit periculo vitam temporalem unius pro vita aeterna plurimorum. Nec filium poterat amittere, quoniam occisum et mortuum poterat suscitare.

Inde magis elucet Dei bonitas quod morti tradiderit unigenitum Filium suum pro vita aeterna animarum nostrarum.

VII. *Hic est heres: venite, occidamus eum et habebimus hereditatem eius.* Sancta Ecclesia hodie non tantum vinea Domini dicitur et regnum et aedificium, sed etiam *hereditas* Christi, sicut synagoga dicebatur *hereditas Dei: Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius;* [71] et apud Isaiam: Benedicta *hereditas... mea Israel.* [72] Sic hodie Ecclesia dicitur *hereditas* Christi: *Habebimus hereditatem eius.* Sic enim Deus Christo promisit: *Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos*

Ecclesia dicitur *hereditas* Christi, quia ipse eam acquisivit sanguine suo;

67) Cf. 1 Rg 18, 1-19, 1 sqq. 68) Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Primum*, pag. 295-296, not. 30. 69) Cf. Io 11, 48-53. 70) Mt 21, 37. 71) Dt 32, 9. 72) 19, 25.

terrae. [73] Est autem hereditas haec Christo valde cara, sicut Naboth fuit vinea ipsius, quoniam antiqua hereditas erat patrum suorum, ideo mori potius voluit quam dare vineam illam regi Achab, qui eam desiderabat et petiit ab eo ut vel venderet vel commutaret cum alia vineam illam. [74] Sic Christus hereditatem hanc adeo dilexit, ut mori potius voluerit quam eam amittere vel alienare.

dicitur etiam *possessio* Christi, quia non sufficit ut simus Christi, sed necesse est ut possideamur a Christo;

In *Psalmo* autem dicitur non tantum hereditas, sed etiam *possessio.* Hoc est hereditas possessa ab herede, ut heres habeat non tantum rectum dominium, sed etiam utile et usufructum; potest enim esse ut haec vinea vere sit hereditas huius filii, sed ab alio sit iniuste usurpata et possessa. Quilibet christianus est hereditas Christi; at si malus christianus est, bene credens et male vivens, qui confitetur se nosse Christum, factis autem negat, [75] hereditas Christi est, sed non possessio Christi; est possessio diaboli per peccatum, fructificat diabolo per mala opera, non Christo per bona. Vinea est expectata *ut faceret uvas, fecit autem labruscas,* et expectavit *iudicium, et ecce iniquitas,... iustitiam, et ecce clamor.* [76]

dicitur etiam *regnum sacerdotale,* quia quilibet christianus debet Deo obedientiam divinae legis et cultum sacrae religionis,

Praeterea dicitur Ecclesia *regnum Dei,* [77] *regnum sacerdotale,* [78] *regale sacerdotium:* [79] *Fecisti nos Deo ... regnum et sacerdotes.* [80] Regnum regi duo debet: obedientiam et censum, vectigalia ac tributa. Sic et Deus duo ab Hebraeis requisivit, postquam ex Aegypto eos eduxit: obedientiam divinaeque legis observantiam et cultum sacrae religionis: *Faciant mihi sanctuarium, et habitabo in medio eorum.* [81] Sic iussit offerri sacrificia, adoleri incensum, [82] dari decimas. [83] Sic Ecclesia est *regnum sacerdotale: regnum* per obedientiam, *sacerdotale* per sacrificia. Quilibet christianus debet esse spiritualis sacerdos, ut offerat Deo sacrificium quod Paulus monet: *Obsecro ... fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum;* [84] ut offerat ei incensum orationis, decimas cogitationum suarum, decimas desideriorum, decimas verborum, decimas operum, cogitando de Deo, desiderando quae Dei sunt, laudando Deum et operando propter

ut vere sit Dei spiritualis sacerdos.

73) Ps 2, 8. 74) Cf. 3 Rg 21, 1-13. 75) Cf. Tit 1, 16. 76) Is 5, 7. 77) Cf. Mt 13, 24-27; 20, 1; 25, 1. 78) Ex 19, 6. 79) 1 Petr 2, 9. 80) Apc 5, 10. 81) Ex 25, 8. Vulg.: *Facientque mihi,* etc. 82) Cf. ibid. 29, 30-30, 1 sqq.; Lv 1, 1-2, 1 sqq. 83) Cf. Ex 22, 29; Lv 27, 30. 84) Rom 12, 1.

Deum. Non requirit Dominus omnia a te, sed decimas. Da Deo decimam partem eorum quae possides; sic eris Christi hereditas et possessio, sic Christi regnum non a principe huius mundi, sed a Christo possessum.

Videmus autem quanti fecerit Christus vineae huius hereditatem; nam ne possessionem eius amitteret, periculo mortis seipsum exposuit, sicut Naboth ne daret vineam suam, hereditatem patrum suorum, regi Achab, exposuit se periculo odii regis et mortis, et tandem propterea occisus fuit. Hoc autem idem cum illo mysterio est, quod *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* [85]

Pro hac vinea Christus vitam suam prodegit.

III. ALIA HOMILIA

Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius. [1]

I. Scopus hodierni Evangelii est reprobatio Iudaeorum et electio Gentium, illa quidem ex divina iustitia, haec autem ex divina misericordia. Ex divina iustitia: *Malos male perdet;* ex divina misericordia: *Vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* [2]

Agitur in hoc Evangelio de reprobatione synagogae et electione Ecclesiae,

Vinea synagogae, ut Isaias ait, etsi non eradicanda et ad nihilum penitus redigenda erat, tamen devastanda erat et omnino inculta relinquenda, plantata vinea Ecclesiae. [3] Hoc est quod, conversa ad Deum per poenitentiam civitate Ninive, hedera Ionae a matutino verme corrosa et ab urenti vento exusta, arefacta fuit; unde Ionas, iudaici populi typus, vehementer doluit ferre non valens ardentissimum solem. [4] Per hederam enim synagoga designatur, quae umbraculum populi fuit; templo enim, sacerdotio et sacrificio populum ab aestu tribulationum protegebat. Nunc autem iudaicus populus, umbraculo hoc arefacto, in praesenti captivitate universum per orbem dispersus, magno ubique tribulationis aestu aduritur et afflictatur.

sed synagoga non penitus destruenda erat;

85) Io 10, 11.

1) Mt 21, 43. 2) Ibid. vr. 41. 3) Cf. 1, 8-9. 4) Cf. Ion 4, 5-11.

afferuntur etiam causae illius reprobationis:

Non tantum autem assignatur reprobatio Iudaeorum, sed etiam causa reprobationis, sicut legimus quod Assuerus Vasthi reginam repudiavit deposuitque a regali dignitate, quoniam ei noluit obedire, et haec causa vel occasio fuit ut Esther regina fieret facta sponsa et uxor regis.[5] Causa autem reprobationis est ingratitudo pessima. Hanc causam reddit Isaias: *Quid... ultra debui facere vineae meae, et non feci...? An quod expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?*[6] Altera causa est iniquitas principum, avaritia et ambitio: *Habebimus hereditatem.*[7] Tertia, impia crudelitas, occisio omnium Prophetarum et tandem Christi unigeniti Filii Dei.

prima, pessima ingratitudo maximis Dei beneficiis,

II. Quoad primum, reprobationis prima causa est ingratitudo pessima, quoniam Iudaei Deo mala pro bonis reddidere.[8] Ad demonstrandam autem hanc ingratitudinem, prius demonstratur tum a Christo tum ab Isaia magnitudo beneficiorum Dei. Sunt autem quod *plantavit vineam*, quod *sepem circumdedit ei* –[9] Isaias autem, praeter sepem, etiam maceriam additam fuisse dicit circa vineam. –[10] *et fodit in ea torcular et aedificavit turrim et locavit eam agricolis.*[11] Per plantationem autem beneficium creationis intelligitur, nam: *Plantaverat... Dominus Deus paradisum voluptatis a principio.*[12] Isaias autem dicit plantatam fuisse hanc vineam *in cornu filio olei,*[13] hoc est in loco pingui, in optimo fundo, non in agro sterili et deserto; nec tantum optimo loco plantatam esse, sed etiam quod *plantavit eam electam.*[14] Sic etiam Ieremias dicit: *Ego... te plantavi vineam electam, omne semen verum* in ea; *quomodo... conversa es mihi in amarum, vitis aliena?*[15] Plantationem autem electam dicit, Patriarchas sanctissimos Abraham, Isaac et Iacob, hi enim fuerunt primae plantationes huius vineae.

idest creationis,

Et quidem quod spectat ad beneficium creationis: *Vidit... Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona,*[16] hominem vero *ad imaginem et similitudinem suam*[17] creavit. Deus autem ipsamet bonitas est, sicut sol lux et ignis calor; homo autem similis factus fuit Deo,

5) Cf. Est 1, 10-2, 1 sqq. 6) 5, 4. Vulg.: *Debui ultra facere*, etc. 7) Mt 21, 38. 8) Cf. Ps 34, 12; 37, 21; Prv 17, 13; Ier 18, 20. 9) Mt 21, 33. 10) Cf. 5, 5. 11) Mt 21, 33. 12) Gn 2, 8. 13) 5, 1. 14) Ibid. vr. 2. 15) 2, 21. Vulg.: *Plantavi te... mihi in pravum, vinea aliena?* 16) Gn 1, 31. 17) Ibid. vrr. 26-27; 5, 1; 9, 6.

sicut luna plena soli et ferrum ignitum igni. Anima autem nostra, quae Dei imago et similitudo est, tota est voluntas, totus amor, tota boni desiderium. Sic Deus vineam hanc per creationem plantavit *electam*, valde bonam, et optimo loco, in Sancta Ecclesia, ubi vera Dei fides et religio semper vixit et viguit.

conservationis, protectionis, gubernationis;

Beneficium autem creationis sequitur beneficium conservationis. Ut autem plantata vinea conservetur, circumdatur sepe vel maceria, ne a bestiis vel hominibus conculcetur. Deus autem hominem non tantum creat, sed etiam conservat liberando a malis corporis et animae. Hinc Isaias dicit vineam circumdatam *sepe et maceria*. Habet homo angelicam et divinam protectionem et defensionem a malis. Ad haec sequitur beneficium gubernationis et providentiae omnium rerum necessariarum. Hoc est quod ait : *Fodit in ea torcular et aedificavit turrim et locavit eam agricolis.* Haec enim vineae necessaria sunt : torcular pro tempore vindemiae ad calcandas uvas et exprimendum mustum ; turris, in qua habitare possint agricolae ad vineam tum colendam tum custodiendam a furibus et latronibus ; et tandem opus habet agricolis, qui eam colant, fodiant, purgent, amputent, erigant et faciant quaecunque necessaria sunt. Quid, quaeso, amplius vinea desiderare potest ? Dicetis : aquam. Sed ait : *Mandabo nubibus* desuper ut *pluant super eam aquam.* [18]

providit enim omnia necessaria ad vitam naturalem et supernaturalem;

Iure ergo dicere potest : *Quid ultra debui facere vineae meae, et non feci?* Providit Deus homini omnia necessaria ad utranque vitam, tum corpoream et animalem, tum spiritalem et angelicam. Providentia omnium rerum, quae opus sunt ad vitam corporalem, manifesta est, nullus est enim sensus, nulla potentia corporalis absque suo obiecto convenienti. Similiter quoad spiritualem vitam dedit divinam legem ostendentem homini bona agenda et mala fugienda, praeter lumen naturalis rationis : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine,* [19] quod ostendit nobis bona et dat laetitiam in corde cum bene agimus, tristitiam autem ex remorsu conscientiae cum male agimus.

ne praetexeret ignorantiam misit Prophetas et legisdoctores,

Non potest ergo homo praetexere ignorantiam, non oblivionem, quia ad hoc misit Prophetas divinaeque legisdoctores ; non impotentiam, quia instituit locum orationis, in qua providebat Deus et

18) Is 5, 6. Cf. supra, praec. hom., pag. 55, not. 57. 19) Ps 4, 7.

auxilia gratiae contulit ad servanda mandata.

concedebat omni petenti quicquid ad salutem necessarium erat;[20] *et mandata Dei non gravia sunt,*[21] sed levia: *Iugum... meum suave est et onus meum leve.*[22]

Sed pro tot beneficiis mala reddidit.

Sic Deus tot et tanta contulit homini beneficia ad consequendam salutem, ut dicat: *Quid... ultra debui facere vineae meae, et non feci?* Hac forma dicendi exprimitur copia et magnitudo beneficiorum Dei. Sed ecce ingratitudo: *Expectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas.*[23] Haec igitur prima causa est reprobationis Iudaeorum, ingratitudo qua Deo maleficia pro beneficiis reddidere.

Altera causa reprobationis, ambitio et avaritia,

Altera est ambitio et avaritia: *Habebimus hereditatem; Si dimittimus... sic, omnes credent in eum, et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem.*[24] Ambitio et avaritia sunt duae filiae sanguisugae, quae, ut S a p i e n s ait, nunquam dicunt: Sufficit.[25] Sanguisuga autem caro est; avaritia autem semper praetexit necessitatem, ambitio autem voluptatem ac felicitatem. Sed contra accidit, nam: *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis,* etc.

et tertia, impietas in Deum.

Tertia tandem causa est impietas in Deum et crudelitas in Christum, nam eicientes eum *extra vineam occiderunt.*[26] Ob has causas Iudaei reprobati sunt damnatique et facti sunt ex populo Dei *synagoga satanae,*[27] ex filiis Dei filii diaboli, filii irae, filii gehennae.

Caveamus ergo ne ob easdem causas eandem reprobationem incurramus.

Sed videamus ne in nobis quoque has damnationis causas Deus reperiat, nam: *Apud Deum non est personarum acceptio.*[28] Sed quid? Num etiam nos possumus iterum Christum occidere? Utique, sic enim P a u l u s ait: *Rursum Filium Dei crucifigentes... et ostentui habentes,*[29] etc. Caveamus nobis a vitiis, quae mortis Christi causa fuerunt.

20) Cf. 2 Par 7, 12 sqq. 21) 1 Io 5, 3. Vulg.: *Gravia non sunt.* 22) Mt 11, 30. 23) Is 5, 2. 24) Io 11, 48. 25) Cf. Prv 30, 15. 26) Mt 21, 39. 27) Apc 2, 9; 3, 9. 28) Rom 2, 11. Vulg.: *Non... est acceptio personarum apud Deum;* Col 3, 25. Vulg.: *Non est personarum acceptio apud Deum.* 29) Hebr 6, 6. Vulg.: *Rursum crucifigentes... Filium Dei,* etc.

IV. ALIA HOMILIA

Homo erat paterfamilias, [1] etc.

I. Tres [2] sunt partes Evangelii huius: in prima ostenditur infinita Dei bonitas et beneficentia erga homines ; in secunda infinita hominum malitia et ingratitudo in Deum ; in tertia divinum iudicium contra impios. Similiter apud Isaiam tria haec legimus ; [3] sed ibi invehitur Vates in vineam, fert iudicium contra populum ; hic autem Christus contra vinitores, idest principes et praelatos criminosos, qui ambitione et avaritia moti, occiderunt hereditatis legitimum heredem, ut absoluti domini vineae fierent. Pater enim familias non vendidit eis vineam, non donavit, sed locavit. Qui enim vendit aut donat, amittit dominium rei ; qui autem locat, dominium sibi reservat et utilitatem aliquam ex re locata a conducentibus expectat ; non tamen omnem, nam etiam conducentibus decentem utilitatem relinquit, ut habet usus in locationibus vinearum et agrorum ; cedit enim conducentibus pars media, aut tertia, vel quarta, iuxta conventionem. At probi isti viri nullam fructuum partem domino dare voluerunt et insuper dominio vineae privare eum sategerunt. Ideo in eos Christus invehitur. Sic locavit tibi Deus, o homo, corpus, animam, familiam, et omnia quae habes.

In hodierno Evangelio ostenditur infinita Dei bonitas erga homines, infinita hominum ingratitudo in Deum,

et divinum iudicium contra impios.

Parabola ista tripliciter potest exponi : primo iuxta scopum a Domino intentum, de synagoga ; secundo de Ecclesia ; tertio de quolibet fideli. Sicut enim homo est parvus mundus, [4] ita quilibet fidelis parva Domini vinea est ; plantae autem sunt potentiae animae et sensus corporis ; nam ait : *Qui plantavit aurem non audiet ? . . . qui finxit oculum non considerat ?* [5] Sepes huius vineae est triplex : custodia divina, custodia angelica et custodia propria. Torcular est propria conscientia in corde cuiusque ; turris est caput, sedes intellectus ; coloni intellectus et animus. Vide, homo, quos fructus cor tuum, quales cogitationes, qualia desideria ; quos fructus lingua tua, quos

Vinea figura synagogae, Ecclesiae et cuiusvis hominis,

1) Mt 21, 33. 2) Quae sub sequentibus numeris continentur, in codice diverso stylo et atramento, eadem tamen manu, postea adiecta fuerunt. Sunt autem quaedam summaria, in quibus repetuntur superius dicta. 3) Cf. 5, 1-6. 4) Cf. part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 282, not. 13. 5) Ps 93, 9.

qui Deo pro acceptis beneficiis dignos fructus reddere debet.

fructus sensus tui: oculi, aures, gustus, tactus, manus tuae; si vinea haec faciat uvas an labruscas. Vide ne reddas Deo mala pro bonis, quia sequetur iudicium: *Malos male perdet.* [6] Pater iste familias, qui corporis tui vineam tibi locavit, partem fructuum requirit; non omnes fructus requirit, sed partem; decima contentus est parte, decimam tantum partem fructuum requirit. Quis hominum optimam possessionem pro tam modica parte fructuum locavit unquam? Expendas, homo, saltem decimam temporis partem diei in obsequium Dei pro salute animae tuae, in oratione devota facta ex corde, ut Deo gratias agas pro acceptis ab eo beneficiis.

Ostenditur etiam mos Dei, qui bona sua primo largitur, sed fidelibus semper ampliora concedit,

II. *Homo erat paterfamilias qui plantavit*, etc. Ostendit Evangelium hodiernum morem Dei. Primo, sua bonitate motus operatur bene nobis faciendo, absque ullis meritis nostris; sic mundum creavit propter hominem vineamque paradisi homini locavit. [7] Deinde, si homo acceptis beneficiis bene utatur, cognoscat beneficia, recognoscat, ut par est, benefactorem, adauget dona et semper ad altiora promovet. Sic in mundi creatione ad perfectiora semper manus admovit. [8] Si autem abutatur homo Dei bonitate, dolet super abusu. Sic cum vidit *quod multa malitia hominum esset in terra... poenituit eum quod hominem fecisset in terra, et tactus* fuit *dolore cordis intrinsecus.* [9] Emendare tamen et corrigere cupiens errores mundi, dedit centum annorum tempus ad poenitentiam monens mundum per Noe; [10] sed quoniam resipiscere noluerunt, misit diluvium. [11] Hoc Dei iudicium est, sic semper egit; sic in Pentapoli monuit illos per Loth, sed quia poenitentiam agere contempserunt, igne perierunt; [12] sic flagellavit Aegyptum; [13] sic Saulem regno privavit; [14] sic Ierusalem per Chaldaeos destruxit. [15] Propter impoenitentiam cum malitia semper in peius proficit; nam poenitentibus parcit, sicut pepercit Ninivitis, [16] iudicium autem impoenitentes sequitur, sicut hodiernum Evangelium docet: *Malos male perdet*, quia semper in peius profecerunt, ita ut tandem filium patrisfamilias occiderint.

infidelibus autem et ingratis iustas poenas rependet.

6) Mt 21, 41. 7) Cf. Gn 2, 8 sqq. 8) Cf. ibid. 1, 1 sqq. 9) Ibid. 6, 5-6. 10) Cf. Ibid. vr. 3. 11) Cf. ibid. 7, 1 sqq. 12) Cf. ibid. 19, 14-25. 13) Cf. Ps 77, 43-51; 104, 24-36. 14) Cf. 1 Rg 15, 23. 15) Cf. 4 Rg 24, 10-16; 2 Par 36, 6 sqq. 16) Cf. Ion 3, 4 sqq.

Tria haec mysteria elucent etiam in historia creationis hominis et exitus Israel de Aegypto.

Tria haec mysteria Evangelii hodierni videmus etiam in historia *Sacrae Geneseos :* bonitatem Dei erga hominem, cui totum contulit mundum, [17] ingratitudinem hominis in Deum in peccato, iudicium in eiectione a paradiso aliisque poenis. [18] Haec in historia exitus Israel de Aegypto: bonitatem Dei in miraculis et beneficiis, [19] malitiam populi in adoratione vituli aurei, [20] iudicium in punitione severa, nam propter peccatum illud et alia in Deum commissa sexcenta hominum millia in deserto perierunt. [21]

Etiam Regius Vates praevidit synagogae reprobationem et institutionem Ecclesiae per fidem.

III. Regius Vates *Psalmo 79: Qui regis Israel,* sive *pastor Israel, intende, qui deducis velut ovem Ioseph,* [22] mysteria hodierni Evangelii in spiritu praevisa cecinit; praevidit enim synagogae reprobationem et Deum precatur ut in pristinum statum gratiae eam reducat, quod erit in fine saeculorum, nam cum *plenitudo Gentium* intraverit, tunc *omnis Israel salvus* fiet, [23] *Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes et plantasti eam.* [24] De ea specialiter dicit quod *exterminavit eam aper de silva et singularis ferus depastus est eam,* [25] hoc est diabolus, in cuius figura Nabuchodonosor rex Babylonis destruxit Ierusalem et templum Dei. [26] Hoc enim pro viribus satagit diabolus, ut Ecclesiam destruat. Sicut Achab vineam petiit a Naboth ut eam destrueret et faceret hortum olerum : *Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum ... et dabo tibi ... vineam meliorem,* [27] sic diabolus multos decepit haereticos et schismaticos dicens : Dabo vobis vineam meliorem, religionem multo meliorem Ecclesia Catholica. Sed huic diabolicae tentationi quilibet fidelis et vere catholicus respondere debet cum Naboth : *Propitius sit mihi Deus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi.* [28] Vineam illam Naboth pluris fecit quam gratiam et amicitiam regis, quam magnam denariorum et argenti vel auri copiam, quam propriam vitam. Sic quisque super omnia maxime pendere debet catholicam fidem, quae antiquissima hereditas est patrum nostrorum Sanctorum Apostolorum. Sed colenda haec vinea est ut faciat fructus, nam : *Fides sine operibus mortua est,* [29]

Ideo fides aestimanda est super omnia mundi bona;

17) Cf. 1, 28-30. 18) Cf. ibid. 3, 6 sqq. 19) Cf. Ps 104, 26-37; 105, 7-11. 20) Cf. Ex 32, 1-6. 21) Cf. ibid. vrr. 27 sqq.; Nm 14, 21-38; 26, 64 sqq. 22) Hebraice 80, 2. 23) Rom 11, 25-26. 24) Ps 79 (hebr. 80), 9. 25) Ibid. vr. 14. 26) Cf. 4 Rg 24, 10-16. 27) 3 Rg 21, 2. Vulg.: *Daboque tibi,* etc. 28) Ibid. vr. 3. Vulg.: *Propitius sit mihi Dominus,* etc. 29) Iac 2, 26.

sed fides fructus bonorum operum facere debet.

ut sit *fides, quae per caritatem operatur,* [30] ut non sit vinea, quae expectata est *ut faceret uvas, et fecit labruscas.* [31] Cavendum item ne vineam hanc diabolus vindemiet, quod fit cum bona opera ex hypocrisi fiunt, non propter Deum, sed ob vanitatem gloriae mundanae et humanarum laudum. Sed : *Vae mihi,* inquit Michaeas, *quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiae! Non est botrus ad comedendum, praecoquas ficus desideravit anima mea. Periit sanctus de terra et rectus in hominibus non est ; omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur, malum manuum suarum dicunt bonum.* [32]

Proponitur divinum iudicium contra synagogam.

IV. *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam,* etc. Proponitur in hodierno Evangelio tremendum Dei iudicium contra synagogam et maxime contra principes et rectores synagogae : *Malos male perdet et vineam suam,* etc. ; *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius.* [33] Isaias similem proponit parabolam, sed ille invehitur contra vineam, Christus vero contra agricolas : *Malos male perdet.* Nec tantum proponitur iudicium et severa Dei iustitia, sed etiam causa et duplex quidem causa : abusus divinae bonitatis et divinae patientiae ac longanimitatis.

Deus misericors est,

Duo sunt quae singulariter Divinae Litterae de Deo magnifice praedicant : misericordia et iustitia, quoniam Deus columna est ignis et nubis. [34] Moyses, cum Deum vidisset in monte postquam obtinuit remissionem peccati adorationis vituli aurei, [35] exclamavit dicens : *Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multae misericordiae et verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem et scelera atque peccata, nullusque apud te per se est innocens, qui reddis iniquitatem patrum in filios et nepotes.* [36] Multa dicit de misericordia, multa de iustitia, sicut Deus ipse ait dans legem : *Ego sum Dominus Deus tuus,* Deus *zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem . . . et faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me et custodiunt mandata mea.* [37]

Sed, transacto die, adveniente nocte, columna nubis fiebat co-

30) Gal 5, 6. 31) Is 5, 4. 32) 7, 1-3. 33) Mt 21, 43. 34) Cf. Ex 13, 21 sqq. 35) Cf. ibid. 32, 1 sqq. 36) Ibid. 34, 6-7. Vulg.: *Miserationis ac verax . . . per se innocens est . . . in filiis ac nepotibus.* 37) Ibid. 20, 5-6. Vulg.: *Misericordiam in millia . . . praecepta mea.*

lumna ignis: misericordia convertitur in iustitiam. Paulus ait: *Existimas... o homo,* qui talia agis, *quia tu effugies iudicium Dei? An divitias bonitatis... et patientiae et longanimitatis* eius *contemnis, ignorans quod benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua.*[38] *Divitias,* inquit Paulus, *bonitatis et patientiae et longanimitatis* ac benignitatis Dei. Quis divitias has non videat in hodierno Evangelio?

sed etiam iustus;

Homo erat paterfamilias. Homo dicitur Deus propter infinitam humanitatem suam: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei,* qui *secundum magnam misericordiam suam salvos nos fecit;*[39] *paterfamilias* ob infinitam caritatem; *plantavit vineam,* etc.: per haec intelliguntur omnia beneficia Dei erga nos tum ad naturam tum ad gratiam spectantia, pro conservatione vitae utriusque hominis; sed praecipue per vineam Ecclesia intelligitur; *et locavit eam agricolis,* principibus populi Moysi et Aaron ac successoribus eorum; *et peregre profectus est:*[40] post datam coelitus legem, in coelum se recepit, nec amplius visus est populo.

propter misericordiam et humanitatem dicitur *homo paterfamilias,*

Magna hominibus contulit beneficia ita ut dicat: *Quid amplius debui facere vineae meae, et non feci?*[41] Sed accepit mala pro bonis et patientissime tulit, usque ad occisionem unici Filii. O infinitam patientiam hominis patrisfamilias, imo regis magni! Non statim ira efferbuit, sed multa cum patientia tulit tam magna crimina laesae maiestatis, ita ut aliquando servi Dei indignati sint Deo ob tantam ipsius patientiam et tolerantiam, sicut Ioab regi David indignatus fuit quod mortem fleret Absalom;[42] sic Ionas Deo indignatus fuit quod Ninivitis pepercerit;[43] sic Elias conquestus cum Deo fuit quod permiserit destrui sua altaria et suosipsius Prophetas occidi,[44] et vice quadam, cum multa mala comminatus fuisset Achabo, quoniam non statim eum punivit ut fuerat comminatus, quoniam Achab poenitentia ductus Deo se humiliavit,[45] ipse, veluti timens ne

beneficus est enim, patientissimus et longanimis,

38) Rom 2, 3-6. Vulg.: *Ignorans quoniam... secundum opera eius.* 39) Tit 3, 4-5. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit,* etc. Affert ex Liturgia. Cf. Breviarium Rom. in Festo Nativitatis Domini, capit. in 1 Vesp. 40) Mt 21, 33. 41) Is 5, 4. Vulg.: *Quid est quod debui ultra facere,* etc. 42) Cf. 2 Rg 19, 5-6. 43) Cf. Ion 4, 1-2. 44) Cf. 3 Rg 19, 4-14. 45) Cf. ibid. 21, 18-27.

ab Elia argueretur, ait ei: *Num vidisti humiliatum Achab?* [46] Sic magna supramodum est Dei patientia et longanimitas. Habere dicitur pedes valde graves Deus: *Crura eius columnae marmoreae,* [47] sicut in *Apocalypsi* etiam legimus de Angelo, cuius crura erant sicut columnae. [48] Per Isaiam ait ipse: *Vinea meri... ego Dominus qui servo eam, repente propinabo ei,* idest per momenta irrigabo eam, *ne... visitetur contra eam,* idest ne malum aut damnum ei inferatur, *nocte et die servo eam: indignatio non est mihi. Quis dabit me spinam aut veprem in proelio, gradiar super eam* et *succendam eam pariter?* Idest: Quis me provocabit ad iram ut eam destruam? *An potius tenebit fortitudinem meam? Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi.* [49]

vere pater ad poenitentiam peccatores expectans;

Apud Oseam, cum arguisset Dominus Israelis ingratitudinem, quod cum non tantum veluti pater ei fuisset, sed etiam veluti nutritius, ipsi tamen idola coluerint, tandem veluti consultans intra se quid facto opus sit, ait: *Quomodo dabo te, Ephraim, protegam te, Israel? Quomodo dabo te sicut Adama, ponam te ut Seboin?* idest ut Pentapolim. *Conversum est in me cor meum,* idest mutavi sententiam, *pariter conturbata est poenitudo mea. Non faciam furorem irae meae, non convertar ut disperdam Ephraim, quoniam Deus ego* sum *et non homo; in medio tui sanctus, et non ingrediar civitatem,* idest ad eam disperdendam; *post Dominum ambulabunt.* [50] Deum inducit tanquam patrem amantissimum filios corripere pro malefactis cogitantem ac veluti animo consultantem. Sed *non faciam,* inquit, *furorem,* quia *Deus ego* sum *et non homo,* qui vincitur ira animique impotentiam patitur. Sic ait hodie: *Verebuntur* forte *filium meum.* Sic benignitas Dei ad poenitentiam peccatores expectat.

sed nimium provocatus magna ira etiam exardescit.

Sed tandem nimium provocatus magna exardescit ira. Sic enim Isaias ait: *Sicut... in monte divisionum stabit Dominus, sicut in valle quae est in Gabaon irascetur, ut faciat opus suum,* idest opus iudicis, quoniam iudex est mundi, *alienum opus eius: ut faciat opus suum, peregrinum... opus eius,* idest neminem punire vellet. *Et nunc nolite illudere, ne forte constringantur vincula vestra, consummationem enim et abbreviationem audivi a Domino... exercituum,* [51] idest magnum exterminium.

46) Ibid. vr. 29. Vulg.: *Nonne vidisti,* etc. 47) Ct 5, 15. Vulg.: *Crura illius,* etc. 48) Cf. 10, 1. 49) 27, 2-5. 50) 11, 8-10. 51) 28, 21-22. Vulg.: *Ut operetur opus suum, peregrinum,* etc.

V. *Qui ceciderit super lapidem . . . confringetur*, etc. In sacrosancto hodierno Evangelio Christus dicitur *lapis* et homines *vasa testacea.* Saepissime autem Christus in Divinis Scripturis dictus est *lapis.* D a v i d ait : *Lapidem quem reprobaverunt,* [52] etc. ; I s a i a s : *Erit . . . in sanctificationem et in lapidem . . . offensionis et . . . petram scandali ;* [53] et : *Ecce . . . ponam in Sion lapidem angularem, probatum, pretiosum, in fundamento fundatum ; qui crediderit non festinet ;* [54] apud Z a c h a r i a m Christus est *lapis* cum septem oculis ; [55] et multis aliis locis. [56] Homo similiter saepe dicitur *vas figuli : Reges eos in virga ferrea et tanquam vas figuli confringes eos;* [57] I s a i a s hominem comparat lagenae, [58] et figmento figuli; [59] [sic] I e r e m i a s , [60] sic et P a u l u s *Romanis* [61] et aliis locis quam plurimis. [62] Utitur autem Spiritus Sanctus in Divinis Scripturis humilibus hisce metaphoris non secus ac pictor excellentissimus, qui solo carbone vel calamo et atramento imaginem pulcherrimam et elegantissimam efficit.

In hodierno Evangelio Christus dicitur *lapis*, homo autem *vas testeum* ;

Praeter multas autem rationes, quibus Christus dicitur *lapis,* praecipua est ob insuperabilem et perpetuam potentiam ac fortitudinem ; homo vero *vas figuli* ratione fragilitatis et impotentiae. Quamvis etiam ratione praedestinationis sic dici potest, ut tractat P a u l u s *Romanis,* et ratione creationis, nam : *Formavit . . . Deus hominem de limo terrae ;* [63] ratione etiam reformationis, iuxta quod legimus apud I e r e m i a m 18 de vase fracto et refecto a figulo.

***lapis* Christus ob potentiam, *vas* homo ob fragilitatem;**

Praecipua tamen causa est fragilitas, impotentia et humilitas. Et lapidis quidem duo legimus : humilitatem et exaltationem, nam reprobatus prius fuit, deinde factus *in caput anguli ;* legimus lapidem in terra, ita ut vasa cadant super ipsum, et postea quod ipse lapis ex alto cadit super vasa. Primum est mysterium passionis et mortis: *Hic est heres : venite, occidamus eum:* et eicientes eum *extra vineam . . . occiderunt :* [64] hic lapis est reprobatus, lapis in terra positus. Secundum vero mysterium est resurrectionis et gloiiae, qua Christus *assumptus . . . in coelum . . . sedet ad dexteram Dei.* [65] Casurus est autem

***lapis* Christus ob humilitatem et passionem, et etiam ob exaltationem et gloriam.**

52) Ps 117, 22. 53) 8, 14. 54) Ibid. 28, 16. Vulg.: *Mittam in fundamentis Sion . . . lapidem probatum, angularem,* etc. 55) Cf. 3, 9. 56) Cf. Ez 1, 26; Dn 2, 45; Zach 4, 7; Act 4, 11; Rom 9, 32-33; Eph 2, 20; 1 Petr 2, 4-8. 57) Ps 2, 9. 58) Cf. 30, 14. 59) Cf. ibid. 45, 9. 60) Cf. 18, 1-6; 19, 1-2. 61) Cf. 9, 20. 62) Cf. Sap 15, 7-11; Eccli 33, 13-14; 38, 32-35; Is 29, 16; Thr 4, 2. 63) Gn 2, 7. 64) Mt 21, 39. 65) Mc 16, 19. Vulg.: *Sedet a dextris Dei.*

hic lapis ex alto, quia venturus est ad iudicandum homines, qui prius iudicatus ab ipsis fuit.

vas homo, quia si peccaverit conteretur,

Vasorum autem legimus integritatem et confractionem; confractionem autem duplicem, reparabilem et irreparabilem: *Qui ceciderit super lapidem . . . confringetur :* haec est fractio reparabilis, *super quem* autem *ceciderit* lapis, *conteret eum :* [66] haec est fractio irreparabilis. Si vas in duas tantum partes aut tres frangatur, reparari potest; sed si conteratur in minutissimas partes, reparari non potest. Vas integrum homo est ante peccatum, sine peccato; cadere autem super lapidem est peccare, Christum offendere. Sicut autem si cadat vas super lapidem, non laeditur lapis, sed vas, ita cum homo peccat, non laeditur Deus, sed homo. Peccavit Adam, confractus est, amisit gratiam et amicitiam Dei, privatus fuit gloria et felicitate paradisi, privatus vitae immortalitate, multis fuit poenis affectus; [67] Deus autem nil laesus fuit. Peccaverunt Iudaei contra Christum et tanquam vasa figuli confracti sunt : *Auferetur a vobis regnum Dei ; Malos male perdet ; Christus* autem *manet in aeternum* Filius Dei, [67a] heres Dei, princeps universi: *Rex regum et Dominus dominantium.* [68] Vas cadens super lapidem potest quidem laesionem aliquam illi facere, sed minimam. Ita Christus in carne tantum laesus a Iudaeis fuit, caro autem minima est pars Christi ; fractio autem ista reparabilis est. Cum vas cadit super lapidem, cum homo peccat, rumpitur vas, amittit gratiam Dei, vitam spiritus, integritatem iustitiae ; sed reparari potest per poenitentiam, sicut in David factum videmus. [69] At si lapis cadat supra vas, *conteret eum* eritque confractio irreparabilis, quod fit in iudicio particulari in morte, et in universali in fine mundi. In morte enim irreparabiliter rumpitur *hydria super fontem,* ut Salomon ait ; [70] tunc frangitur lagena, ita ut nulla illius pars deserviat vel ad ferendum igniculum vel ad accipiendam aquam de fovea, ut ait Isaias, [71] et sicut apud Ieremiam vas figuli confractum irreparabiliter legimus. [72]

ut ostenditur in historia Iudaeorum.

Dupliciter *vas* hoc confringi potest: reparabiliter et irreparabiliter.

Caveamus ergo a peccato

Caveamus igitur nobis, fratres, ne cadamus super lapidem hunc, quia cadet etiam ipse super nos, sicut cecidit super Iudaeos, quorum ruinam oculis videmus : *Auferetur a vobis regnum Dei ; Malos male*

66) Mt 21, 44. 67) Cf. Gn 3, 6 sqq. 67a) Io 12, 34. 68) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 69) Cf. 2 Rg 12, 1-13. 70) Eccle 12, 6. 71) Cf. 30, 14. 72) Cf. 19, 11.

perdet. Videmus vas figuli iuxta petram offensionis et scandali, [73] sicut in Psalmo iuxta virgam ferream: *Reges eos in virga ferrea et tanquam vas figuli confringes eos;* sicut apud Ieremiam *virgam vigilantem* iuxta *ollam succensam* respicientem ad aquilonem. [74] Timeamus nobis et caveamus a severitate divinae iustitiae, «ne pereamus in tremendo iudicio». [75] Satagamus ut sit nobis Christus *lapis adiutorii;* [76] lapis de quo egressae sunt aquae sitienti populo; [77] lapis de quo exivit ignis ad comburendum sacrificium Gedeonis [78] et Manue; [79] lapis de quo fluit mel et oleum: *Ut sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo.* [80] Petrus enim de hac petra loquens ait: *Vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem lapis quem reprobaverunt aedificantes... et lapis offensionis et petra scandali.* [81] Videamus ne accidat nobis sicut Isaias ait: *Erit vobis iniquitas haec sicut interruptio cadens et requisita,* idest magna et eminens, *in muro excelso, quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio... et comminuetur,* sive erit contritio, *sicut* cum *conteritur lagena figuli contritione pervalida, et non invenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio aut hauriatur parum aquae de fovea.* [82] Hoc est quod ait: *Super quem autem ceciderit, conteret eum,* quoniam lapis est magnus et cadet de loco alto et sublimi.

ne severitatem divini iudicii incurramus;

tunc enim Christus nobis erit *lapis adiutorii,* non *lapis offensionis et petra scandali.*

73) Cf. Rom 9, 33; 2 Petr 2, 8. 74) 1, 11-13. 75) Breviarium Rom. in Festo SS. Angelorum, in 2 Vesp. antiph. ad *Magnificat.* 76) Cf. 1 Rg 4, 1; 5, 1; 7, 12. 77) Cf. Ex 17, 6-7; Nm 20, 8-11. 78) Cf. Idc 6, 20-26. 79) Cf. ibid. 13, 19-20. 80) Dt 32, 13. 81) 1 Petr 2, 7-8. 82) 30, 13-14.

SABBATO DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

Coelum maxime laetatur in poenitentia peccatoris.

I. Si mercator amissum thesaurum reperiens non potest non magna laetitia et gaudio in corde animoque repleri, sicut magna tristitia et dolore repletus fuit cum illum amisit; nec posset amantissimus pater, si e coelo concessum sibi esset ut dilectissimus filius iam defunctus revocaretur ad vitam, non exultari et gaudere supra quam dici possit, cum magna videamus laetitia repleri parentes cum audiunt filios dilectos ex Dei gratia a captivitate inimicorum et durissima servitute catenisque liberatos; quid mirum si evangelicus iste paterfamilias hodie gaudet, laetatur, exultat in reversione filii sui? Exultare *et gaudere oportebat, quia ... mortuus erat et revixit, perierat et inventus est.*[1] *Sic,* inquit, *gaudium est magnum in coelo super uno peccatore poenitentiam agente.*[2] O nos felices, si poenitentiam veram egerimus, si cum filio isto prodigo hodie vere et ex corde ad[3] Deum patrem nostrum conversi fuerimus! Replebimus coelum gaudio.

Homo quidam habuit duos filios: et dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiae, quae me contingit.[4]

Amor paternus erga filios adaequat totam virtutem patris.

II. Ineffabili laetitia repletus fuit patriarcha Iacob cum audivit filium suum Ioseph vivere,[5] quem mortuum credebat devoratumque a fera pessima.[6] Sic gaudet nimiumque laetatur evangelicus iste pater, prodigo filio ad ipsum reverso: Quoniam, inquit, *mortuus erat et revixit, perierat et inventus est.* Magnus est et ineffabilis amor pii patris

1) Lc 15, 32. 2) Ibid. vr. 7. Vulg.: *Sic gaudium magnum erit,* etc. 3) Ms.: *A.* 4) Pericope huius diei Lc 15, 11-32. Cf. Missale Rom. 5) Cf. Gn 45, 25 sqq. 6) Cf. ibid. 37, 33-35.

erga filios non tantum optimos atque pulcherrimos, sed etiam si nec valde boni nec valde formosi sint. Diligunt non tantum sanos sed etiam infirmos, non tantum vivos sed etiam mortuos, adeo ut, si proprio sanguine eos tanquam pelicani vivificare possent, [7] libentissime vel totum effunderent. Sic enim David, mortuo Absalone impio filio, nimium flevit dicens : *Absalom fili mi, fili mi Absalom! Quis mihi det ut pro te moriar . . . fili mi Absalom?* [8] Amor paternus adaequat totam virtutem patris, ut pro filiis faciat quaecunque potest ; hinc David mori etiam cupit pro Absalom.

Sic in Deo amor et misericordia erga peccatores adaequat divinam essentiam, sicut lux substantiam solis et calor ignem. Abraham diligebat non tantum Isaac, sed etiam Ismaelem nimiumque displicuit ei e domo illum una cum matre eicere ; [9] Isaac non tantum Iacob dilexit, sed etiam Esau, et hunc quidem multo magis quam Iacob, [10] cum tamen Iacob sanctus esset, Esau autem peccator. Sic homo iste evangelicus habuit duos filios, ambos quidem dilectos, quorum tamen alter iustos, alter peccatores designat.

sic in Deo amor et misericordia erga peccatores adaequant divinam essentiam.

Murmurabant Pharisaei de Christo quod cum peccatoribus conversaretur ; [11] Dominus autem dicens se non venisse *vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam,* [12] quia *non est opus valentibus medicus, sed male habentibus,* [13] et se venisse *quaerere et salvum facere quod perierat,* [14] ad probandum quod non immerito salutem peccatorum quaerebat, adduxit tres parabolas, quarum prima est de pastore habente centum oves et quaerente unam ex eis, quae perierat ; [15] secunda de muliere habente decem drachmas et summa cum diligentia quaerente unam ex eis perditam ; [16] tertia est parabola, sive potius aenigma hodierni Evangelii de patre nimium laetante ob reditum filii prodigi in domum, ubi ostendit Dominus Deum peccatores diligere sicut pastor ovem pereuntem, sicut mulier drachmam perditam et sicut pater filium mortuum vel infirmum ac pereuntem. Et quod si pastor quaerit ovem quae periit, mulier drachmam quam perdidit, pater cupit pereuntem filium salvari, sic Deus.

Hoc ostendit Christus parabolis pastoris ovem et mulieris drachmam quaerentis

et hodierna quoque parabola.

7) Cf. S. Augustinus *Enarrat. in Psalmos, ps. 101,* (P. L. 37, 1299); S. Isidorus Hisp. *Etymol.,* lib. 12, cp. 7, ibid. 82, 462; Vincentius Bellovacensis *Speculum Naturale,* lib. 17, cp. 127.
8) 2 Rg 18, 33. Vulg.: *Fili mi Absalom, Absalom fili mi! Quis mihi tribuat,* etc. 9) Cf. Gn 21, 10-14. 10) Cf. ibid. 25, 28. 11) Cf. Lc 15, 2. 12) Ibid. 5, 32. 13) Mt 9, 12. 14) Lc 19, 10. 15) Cf. ibid. 15, 3-7. 16) Cf. ibid. vrr. 8-10.

In hac etiam ostendit ad salutem consequendam requiri ut homo gratiae Dei cooperetur.

Sed in duabus primis inducit Dominus pastorem quaerentem ovem et mulierem quaerentem drachmam; sed ne putaremus quod peccatori nihil agendum est pro salute sua, adducit tertiam parabolam, in qua non pater quaerit filium, sed filius patrem, pater autem clementissime recipit; quoniam necesse est ut nos quoque cooperemur Deo, si salvari volumus. Salus enim veluti partus est; sed absque copula maris et mulieris non potest esse partus. Sic necesse est ut nostrum liberum arbitrium convertatur ad Deum recipiendo gratiam praevenientem, respondendo divinae vocationi, non resistendo divino tractui, non fugiendo pastorem quaerentem, desiderando propriam salutem.

Filius adolescentior figura peccatoris,

III. *Homo quidam habuit duos filios,* Deus in Ecclesia iustos et peccatores. Ostendit autem Dominus quomodo homo aversus a Deo fiat ex iusto peccator, et conversus iterum ex peccatore iustus. *Dixit adolescentior ex illis patri.* Adolescentis filii imagine Christus depingit peccatorem, sicut et mortuus filius viduae naimitis adolescens describitur,[17] quoniam peccatum, ut plurimum, oritur ex concupiscentia carnis et ex ignorantia mentis. In aetate enim adolescentiae haec duo maxime regnant: in carne fervor sanguinis, vigor sensualis appetitus, et in anima imprudentia rerumque humanarum vel minima experientia; hinc omne malum. *Pater, da mihi portionem substantiae, quae me contingit,* quae iure hereditario mihi obvenit. Pater autem *divisit* illi *substantiam.*[18] Quid autem haec significent aperiendum est.

qui gratiam in Baptismo acceptam malo usu liberi arbitrii dissipat;

Omnes fideles in Baptismo rite suscepto constituuntur filii Dei, heredes ipsius Dei et templa Spiritus Sancti. Haec autem gratia conservatur in unoquoque secura usque ad aetatem adolescentiae, transactis terminis infantiae et pueritiae; gratia enim non amittitur, nisi ob letale peccatum, istud autem non committitur, nisi libera voluntate et malo usu liberi arbitrii. Usum autem liberi arbitrii non habet homo usque ad aetatem adolescentiae; tunc homo est consilii et rationis capax, tunc discernit inter bonum et malum, tunc eligere potest quod vult, vel Deo vel mundo, vel spiritui vel carni servire.

filius maior figura iusti,

Et multi quidem tunc temporis, speciali quadam gratia coelestique ac supernaturali prudentia donati cognoscentes mundi pericula et laqueos diaboli, eligunt servire Deo *in sanctitate et iustitia . . . omnibus*

17) Cf. ibid. 7, 12-14. 18) Ibid. 15, 12.

diebus[19] vitae suae. Hic est filius natu maior, qui cum patre vult manere in domo, qui ait : *Ecce tot annis servio tibi et mandatum tuum nunquam praeterivi;*[20] cui pater : *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.*[21] Hi sunt qui Deo serviunt in perpetua innocentia absque culpa mortalis delicti, conservantes et augentes semper gratiam, quam in sacro Baptismo coelitus acceperunt.

qui in perpetua innocentia vivit.

Alii autem minori lumine praediti, mundo potius volunt servire quam Deo, et terrena potius, carnalia et temporalia bona eligunt quam spiritualia, coelestia et aeterna. Hic est imprudens et insipiens adolescentior, qui se vult a paterna domo dividere, liber et sui iuris cupiens esse, nolens vivere sub iugo paternae obedientiae. Deus autem statim *divisit* illi *substantiam.* Deus enim apud se neminem vi tenere, neminem vult cogere ; liberum enim arbitrium cogi minime potest. Multos videmus homines, qui non Deo serviunt, sed mundo, multis bonis naturae et fortunae donatos : naturae quidem, in anima magno intellectu, ratione, iudicio, ingenio, eloquentia, scientia, prudentia et similibus ; in corpore integritate membrorum, vigore sensuum, sanitate, fortitudine, pulcritudine, etc.; bonis fortunae : divitiis, honoribus, dignitatibus, deliciis aliisque huiuscemodi, quae quidem omnia procul dubio a Deo sunt : *Quid... habes,* homo, *quod non accepisti?*[22]

Pater dicitur substantiam divisisse petenti, quia Deus neminem vi apud se tenere vult nec ulli denegat dona sua.

IV. His autem bonis acceptis, discedit homo a paterna domo ut serviat mundo pergitque *in regionem longinquam*[23] a domo patris. Mundus iste regio utique longinqua a Deo [est], nam : *Mundus totus in maligno positus est;*[24] *Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis,* etc.;[25] *Mundus eum non cognovit;*[26] quod si non cognoscit, nec diligere, nec recordari eius potest. *Ibique dissipavit* omnem *substantiam suam vivendo luxuriose,*[27] magno cum luxu victus atque vestitus.

Bonis acceptis, homo Deum deserit ut mundo serviat.

Tunc, consumptis omnibus temporalibus bonis, *facta est fames valida in regione illa.*[28] Peccatoribus, quos salvare vult Deus, permittit temporalia mala ut vexatio det intellectum,[29] sicut apud Ieremiam legimus : *Scito et vide quia... amarum est reliquisse te*

Consumptis bonis, prodigus coepit valde esurire.

19) Ibid. 1, 75. 20) Ibid. 15, 29. Vulg.: *Et nunquam mandatum tuum praeterivi.*
21) Ibid. vr. 31. 22) 1 Cor 4, 7. 23) Lc 15, 13. 24) 1 Io 5, 19.
25) Ibid. 2, 16. Vulg.: *Concupiscentia carnis est.* 26) Io 1, 10. 27) Lc 15, 13. Vulg.: *Et ibi dissipavit,* etc. 28) Ibid. vr. 14. 29) Cf. Is 28, 19.

quia Deus permittit temporalia mala, ut vexatio det intellectum.

Dominum Deum tuum et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum. [30] Sic Hebraeos in Aegypto permisit gravissima persecutione a Pharaone opprimi; [31] sic Manasses, impiissimus et scelestissimus vir, in tribulatione Dominum cognovit, sicut legimus de eo: Manasses, inquit, *postquam coangustatus est* bello, videlicet captus a principibus exercitus regis Assyriorum captivusque ductus in Babylonem, catenis et compedibus vinctus, *postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum et egit poenitentiam valde coram* Domino *Deo patrum suorum; deprecatusque est eum et obsecravit intente, et exaudivit orationem eius reduxitque... Ierusalem in regnum suum; et cognovit Manasses quod Dominus ipse esset Deus... et abstulit deos alienos et simulacrum de domo Domini.* [32] Sic et Deus Nabuchodonosor ob peccatum convertit in bestiam, et, cum septem annis sic afflictus fuisset, tandem elevans oculos in coelum Deum cognovit pristinoque statui restitutus fuit. [33] Sic templum Domini destructum a rege Chaldaeorum igneque combustum [34] reaedificatum fuit post septuaginta captivitatis annos [35] dictumque de eo est: *Magna erit gloria domus istius novissimae magis quam primae.* [36]

Elongatus a Deo homo servus fit triplicis concupiscentiae,

Non tamen filius prodigus iste statim ut in calamitatem incidit reversus ad patrem est, sed *abiit et adhaesit uni civium regionis illius,* qui misit eum in villam ad pascendum porcos, cupiens saturari *de siliquis, quas porci manducabant; et nemo illi dabat.* [37] Tres sunt praecipui cives huius regionis: *concupiscentia carnis... concupiscentia oculorum et superbia vitae,* [38] servire avaritiae est servire mammonae, nec potest homo unquam saturari. Sic arboris Nabuchodonosor non solum rami praecisi fuerunt, sed etiam truncus usque ad radices, solaque radix relicta fuit, sed ligata vinculis ferreis et aeneis. [39] Infelix iste ex summa felicitate in summam infelicitatem et miseriam, ex summa nobilitate ad summam ignobilitatem devenit, ex nobilissimo filio principis vilissimus servus unius civis destinatus ad pascendos porcos, et nec siliquarum, quas porci manducabant, copiam habens ad explendum ventrem.

et sicut prodigus ex summa nobilitate in summam ignobilitatem praecipitat.

30) 2, 19. 31) Cf. Ex 1, 8 sqq. 32) 2 Par 33, 11-15. 33) Cf. Dn 4, 30 sqq. 34) Cf. 4 Rg 25, 8-17; 2 Par 36, 17 sqq. 35) Cf. 1 Esr 1, 1 sqq.; 5, 1-2. 36) Agg 2, 10. Vulg.: *Plus quam primae.* 37) Lc 15, 15-16. 38) 1 Io 2, 16. 39) Cf. Dn 4, 11-12.

V. Sed ecce vexatio dat intellectum : *In se autem reversus dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!* [40] Hinc poenitentia vera incipit, a consideratione propriae miseriae et felicitatis, qua servi Dei etiam in hoc mundo fruuntur. Initium poenitentiae est resipiscentia vera, cognitio peccati et infelicitatis, quam peccatum affert, unde sequitur propositum relinquendi pristinam vitam, relinquendi mundum, sese convertendi ad Deum : *Surgam et ibo ad patrem meum;* [41] tertio, propositum non excusandi et defendendi purgandique peccatum, sed accusandi : *Pater, peccavi in coelum et coram te : iam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis;* [42] ut sit confessio vere humilis et ex corde, magno cum dolore et contritione, nam contritio cordis cum proposito confitendi iustificat hominem deletque peccatum. Hinc ait quod *cum... adhuc longe esset, vidit eum pater eius et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum eius et osculatus est eum* [43] ante actualem confessionem.

Sed in tribulatione resipiscit et dolens confiteri peccatum suum, illud proponit, hoc est autem quod iustificat

O Dei infinita plane misericordia excedens omnem spem omnemque opinionem hominum! Videns filium sic male affectum sua culpa non indignatur, non irascitur, sed misericordia movetur; non expectat domi, ut filius ostium pulset, sed accurrit obviam ei, amplexatur et osculatur eum in signum remissionis et pacis; non acriter arguit et increpat ; vix sinit ut filius peccatum suum confiteatur : *Pater, peccavi in coelum et coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus.* Praecipit : *Cito afferte stolam* illam, *primam* [44] illam; restituit eum in pristinum statum et gradum gratiae, a quo primo peccando decessit, nam gratia subsequens vivificat omnia opera bona et merita gratiae praecedentis mortificata per letale peccatum. Hinc ait: *Cito proferte stolam* illam, *primam* illam, idest pristinam, qua prius induebatur, *et date anulum in manu eius.* [45] Anulus ornamentum est manus in digitis, hinc merita designat bonorum operum, quae simul sunt cum caritate et gratia, cum qua etiam dantur habitus virtutum cardinalium, quae sunt indumenta affectuum nostrorum : hinc etiam ait :

et Deum ad misericordiam inclinat,

qui in pristinum statum gratiae peccatorem restituit,

40) Lc 15, 17. 41) Ibid. vr. 18. 42) Ibid. vrr. 18-19. 43) Ibid. vr. 20. Vulg.: *Vidit illum pater ipsius*, etc. 44) Ibid. vr. 22. *Illam primam*, graece enim est cum articulo attributivo: τὴν πρώτην. Cf. similis casus part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 237.
45) Lc 15, 22. Vulg.: *In manum eius.*

cum ornamentis virtutum

Et calceamenta in pedibus eius.[46] Unde his ornamentis homo indutus dignus fit participatione Sanctissimae Eucharistiae : *Occidite vitulum* illum *saginatum,*[47] illum qui Christum specialiter designat.

et spiritualibus consolationibus.

Et adhuc coelestibus et spiritualibus consolationibus digni fiunt ; hoc enim est convivium cum symphonia et choro : *Quia,* inquit, *hic filius meus mortuus erat et revixit, perierat et inventus est;*[48] tantaque saepe Deus conversis peccatoribus spiritualia gaudia largitur ut iusti, qui semper in perpetua innocentia Deo servierunt, nunquam talibus consolationibus affecti, vehementer admirentur. Sic videmus hodie ipsum etiam Esau benedictum : *In pinguedine terrae et in rore coeli desuper erit habitatio tua.*[49] Quae quidem benedictio maior videtur esse quam benedictio Iacob ; in illa enim dicitur : *Det tibi Deus de rore coeli et de pinguedine terrae abundantiam frumenti et vini;*[50] in hac autem : *In pinguedine terrae et in rore coeli desuper erit habitatio tua;* non est illud *desuper* in benedictione Iacob.

Hoc evenit iis qui ex fragilitate vel ignorantia peccaverunt, non autem qui ex malitia;

VI. Sic Deus hodie erga peccatores, qui ex fragilitate et ignorantia peccant, tanquam benignissimum patrem se ostendit ; non autem in eos, qui ex malitia peccant. Hinc sequenti capite apud L u c a m , post Evangelii huius enarrationem, ponitur severa Dei iustitia contra epulonem, quoniam peccatum ipsius non ex ignorantia et fragilitate, sed ex impietate procedebat.[51] Pius est et misericors Dominus erga eos, qui ex infirmitate vel ignorantia peccant : *Erravi sicut ovis quae periit.*[52] Oves pereuntes quaerit pastor, non lupus ; qui enim sub christiano nomine ex malitia peccat, lupus est sub ovina pelle ;[53] qui autem peccat ex infirmitate, drachma est perdita.

pius est enim Deus cum illis, eosque benignissime suscipit.

Hinc *mulier* coelestis misericordiae *accendit lucernam* praedicationis divini verbi, mittens etiam Christum ad praedicandum, *et everrit domum et quaerit diligenter, donec inveniat* eam.[54] Sic hodie pater clementissime miseretur filio peccanti, sed adolescentiori, peccanti ex ignorantia et infirmitate. Hinc Dominus in templo sanavit caecos et claudos qui accesserunt ad eum, sed eiecit inde vendentes et ementes.[55] Est enim Christus Cherub habens faciem hominis erga peccatores,

46) Ibid. Vulg.: *In pedes eius.* 47) Ibid. vr. 23. Vulg.: *Adducite vitulum saginatum et occidite.* 48) Ibid. vr. 24. Cf. Missale Rom. Epistola Missae huius diei. 49) Gn 27, 39-40. Ex hebraico. 50) Ibid. vr. 28. 51) Cf. 16, 19-31. 52) Ps 118, 176. 53) Cf. Mt 7, 15. 54) Lc 15, 8. 55) Cf. Mt 21, 12-14.

qui ex fragilitate et ignorantia peccant, sed faciem leonis [56] contra eos, qui peccant ex malitia. Qui peccat ex fragilitate, peccat in Patrem, cui tribuitur potentia ; qui peccat ex ignorantia, peccat in Filium, cui tribuitur sapientia ; sed qui peccat ex malitia, peccat in Spiritum Sanctum, cui tribuitur bonitas. Peccatum autem in Spiritum Sanctum non remittitur *neque in hoc saeculo neque in futuro,* [57] quoniam qui sic peccat difficillime poenitet ex corde.

istos autem repellit, quia in Spiritum Sanctum peccant.

Nos [58] autem, o fratres, quaenam, quaeso, peccata committimus ? Quomodo peccamus ? Ex fragilitate, quia non possumus resistere tentationibus ? *Fidelis... est Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis, sed facit cum tentatione etiam proventum.* [59] Ex ignorantia ? Si invincibilis ignorantia est, non voluntaria, excusat quidem, sed voluntaria minime excusat. Sed quam ignorantiam praetexere possumus, si lex Dei una eademque est cum lege naturae ? *Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona ? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine ; dedisti laetitiam in corde meo.* [60] Quod si ex cordis malitia peccamus, quid de divina misericordia tantopere confidimus, imo praesumimus? Misericordiam suam pollicetur Deus peccatoribus quidem, sed poenitentibus ; clementer suscipit pater filium prodigum, sed revertentem ad eum, sed dicentem : *Surgam et ibo ad patrem meum et dicam ei : Pater, peccavi in coelum et coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus.*

Cavendum ergo a peccatis nobis est, quia de divina misericordia nimium praesumere non debemus.

O fratres, si pro salute nostra tantopere laboravit Deus, Christus verus Deus, pastor iste quaerens ovem quae periit, diligentissima ista mulier divinae pietatis tanta cum diligentia quaerens drachmam perditam, ah ! nonne etiam ratio ipsa exposcit ut nos quoque pro salute nostra aliquid agamus ? Id quod filius iste prodigus egit. O fratres, si statuisset Deus ut si quis salvari vellet, nonnisi cum Christo per crucem, per martyrium salvari posset, profecto non magnum fuisset, leve nobis parere debuisset, nam : *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* [61] Et si pro salute infirmi multa patitur medicus, non magnum esset si requireret ut eadem pateretur infirmus, ac ut servus pateretur id quod pro servo

Deus nil aliud a nobis requirit nisi sinceram cordis poenitentiam et humilem confessionem.

56) Cf. Ez 1, 10; 10, 20 sqq. 57) Mt 12, 32. 58) Ms.: *Non.* 59) 1 Cor 10, 13. Vulg.: *Fidelis. . . . Deus est, qui non patietur . . . sed faciet etiam cum tentatione proventum.*
60) Ps 4, 6-7. 61) Rom 8, 18.

patitur dominus. Et tamen multo leviora requirit: veram tantummodo conversionem per veram poenitentiam et sacramentalem Confessionem, vel saltem cordis veram contritionem cum proposito confessionis.

Hoc est quod prodigus egit, qui sic meruit a patre peramanter amplecti et in pristinum statum restitui;

Sic enim egit homo iste : *Surgam et ibo ad patrem meum et dicam ei : Pater, peccavi in coelum* spernens coelestia et amans terrena, et peccavi etiam *coram te; Tibi soli peccavi et malum coram te feci:* [62] *Non sum dignus vocari filius tuus;* peccatum enim reddit hominem omni bono indignum – hinc post peccatum eiectus fuit homo a paradiso, [63] – indignum gratia, indignum gloria. Sed antequam confiteatur, pater venientem a longe videt, misericordia movetur, occurrit ei, amplexatur eum et osculatur. O pietas infinita ! Induit eum vestibus honorabilibus, veste nuptiali, restituit eum in gradum pristinum, celebrat diem festum, epulatur, laetatur, gaudet, exultat, quia filius eius, qui perierat, inventus est, qui mortuus fuerat, revixit.

vera enim cordis poenitentia gravissima quaeque peccata remittere potest.

Peccatum hic dicitur *mors* et *perditio; mors* quoad gratiam et gloriam amissam, *perditio* quoad culpam et poenam, quae sequitur culpam, sicut ignis alligatus ad caudam vulpium Samsonis. [64] Et Deus sola cordis contritione contentus hominem in gravissima facinora lapsum reumque mortis aeternae perpetuarumque poenarum absolvit ab omni peccato, adoptat in filium. [65]

62) Ps 50, 6. 63) Cf. Gn 3, 22 sqq. 64) Cf. Idc 15, 4-5. 65) Desinit in principio folii 122b; deinde, reliqua parte et tribus sequentibus foliis albis relictis, transit ad folium 126.

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMAE

Erat Iesus eiciens daemonium et illud erat mutum. Et cum eiecisset daemonium, locutus est mutus. [1]

I. Proponitur nobis in hodierno Evangelio magnum gratiae et virtutis Christi beneficium humano generi collatum in hoc daemoniaco mirabiliter curato. Magnum utique et mirabile beneficium, nam : *Admiratae sunt turbae,* [2] viso tali tantoque miraculo ; nam infelix a diabolo non solum obsessus erat, sed etiam factus caecus, surdus et mutus. [3] Tale factum fuit humanum genus arte diaboli per peccatum Adami.

In hoc daemoniaco mirabiliter curato proponitur magnum beneficium gratiae Christi humano generi collatum.

Erat Iesus eiciens daemonium, opus sane arduum ac difficile. Per Isaiam Dominus ait : *Nunquid tolletur a forti praeda ? aut quod captum fuerit a robusto salvum esse poterit ?* [4] Sed Christo nihil difficile, hinc sequitur : *Quia haec dicit Dominus : Equidem et captivitas a forti tolletur, et quod ablatum fuerit a robusto salvabitur.* [5] Ostendit primo difficultatem operis. Quis potest de ore leonis agnum eripere ? David poterat Dei virtute armatus. [6] Si, inquit, potentissimus tyrannus, uti nunc est Turcarum imperator, arcem aliquam impugnatam ac expugnatam vi capiat, et ipse eam postea fortificet ac muniat magno praesidio militum, magna vi armorum, quis poterit eam de manu eius eripere ? Sic ait Christus hodie : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt* omnia *quae possidet; si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet . . . et spolia . . . diripiet.* [7]

Nil difficilius quam obsessum a diabolo liberare.

1) Pericope huius diei Lc 11, 14-28. Cf. Missale Rom. 2) Lc 11, 14. 3) Cf. Mt 12, 22. 4) 49, 24. 5) Ibid. vr. 25. 6) Cf. 1 Rg 17, 34-36; Eccli 47, 3. 7) Lc 11, 21-22. Vulg.: *Et spolia . . . distribuet. Omnia* lect. cod.

qui prima tentatione victum hominem sub sua potestate tenebat.

O mirabilem Christi sapientiam! Comparat hominem obsessum atrio, sive arci, daemonem tyranno potenti et armato. Ubi insinuat Christus quod prima hominis tentatio fuit veluti impugnatio arcis, quam sic impugnavit satanas, ut etiam expugnaverit [8] et ceperit bonaque omnia et spolia universa diripuerit; postea vero eam pro sua sede omnibus, quibus potuerit, viribus communierit, ut inexpugnabilem redderet, populo infelicissima ac durissima capitivitate detento. Accidit Adamo sicut Sauli, a quo cum ob peccatum recessisset spiritus Domini, invasit eum spiritus malus et exagitabat eum. [9]

Diabolus dicitur *fortis* et *armatus*, quia duplici fortitudine praeditus: intrinseca naturali et extrinseca artificiali.

II. Appellat Christus daemonem *fortem* et *armatum* instar ducis duplici fortitudine praediti: naturalium virium corporis et animi, quae intrinseca est fortitudo, et artificiali extrinseca armorum diversi generis tum ad defendendum tum ad offendendum. Sic diabolus in Divinis Litteris *fortis* et *armatus* describitur. Unus Angelus potuit omnes primogenitos Aegypti una nocte occidere; [10] unus Angelus potentissimum exercitum Sennacherib centum octoginta quinque millium militum una nocte perdidit. [11] Sicut anima magnam vim habet supra corpus suum, ita diabolus naturaliter vim habet magnam supra universam naturam corporalem. *Fortem* et *armatum* ostendit historia Iob; nam ad perdenda eius armenta incitavit uno die eademque hora Sabaeos et Chaldaeos; ad perdendas oves ipse ignem demisit ex alto; ad perdendos filios et filias turbinem excitavit ac ventum vehementissimum, qui, concussis fundamentis, domum ac magnum palatium funditus evertit omnesque filios et filias universamque familiam oppressit; ac tandem ipsum Iob a planta pedis usque ad verticem capitis pessimo ulcere vulneravit. [12] In hodierno Evangelio infelicem hunc hominem dementarat, excaecarat, mutum et surdum effecerat. Potentissimus est ad nocendum et acerrimo in nos odio armatus est multisque artibus ac fraudibus praeditus.

Vis naturalis diaboli superat universam naturam corporalem.

Nec tantum ad nocendum corpori, sed praecipue spiritui et animae. Hinc in Divinis Litteris appellatur *lupus* et *leo*: *Lupus rapit et dispergit oves;* [13] *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret.* [14] Appellatur *serpens* et *draco*. In *Apo-*

Non nocet tantum corpori, sed praecipue animae

8) Ms.: *Expugnavit.* 9) Cf. 1 Rg 16, 14. 10) Cf. Ex 12, 29-30. 11) Cf. 4 Rg 19, 35. 12) Cf. Iob 1, 13-2, 1-8. 13) Io 10, 12. 14) 1 Petr 5, 8.

calypsi legimus : *Visum est ... signum in coelo: ... ecce draco magnus rufus habens capita septem et cornua decem, et in capitibus eius diademata septem, et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum ... et misit eas in terram;* [15] sed a Michaele de coelo eiectus est : *Proiectus est,* inquit, *draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem.* [16] *Magnum signum* dicitur, idest monstrum prodigiosum ac portentosum ; *draco magnus* et *serpens antiquus: draco* ob potentiam, *serpens* ob venenum odii et iniquitatis, hinc diabolus dicitur c a l u m n i a t o r, [17] potentissimus ad calumniandum etiam divina opera, sicut hodie scribae et Pharisaei calumniati sunt Christi miraculum dicentes : *In Beelzebub principe daemoniorum eicit daemonia ;* [18] *serpens antiquus,* qui peccati veneno infecit universum genus humanum, propterea ait quod *seducit universum orbem,* ut luce clarius est in idololatria universali.

Innumeris artibus ac fraudibus, ideo dicitur *lupus* et *leo,*

draco et serpens,

Cum enim homines ob originale peccatum nascerentur gratia et virtutibus destituti : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea,* [19] sine gratia Spiritus Sancti, sine caritate, sine spe, sine fide, in magna ignorantia et magna cum propensione ad malum : *Sensus enim et cogitatio humani cordis ad malum* tantum *prona sunt* [20] *omni tempore,* [21] cum nascerentur, inquam, homines sine Dei cognitione et fide, persuasit se deum verum esse, ita ut ab omnibus tanquam verus deus coleretur et adoraretur in idolis. Hoc autem duplici persuasit via : armis atque potentia, signis mendacibus ac fallacibus miraculis, ut patet in magis Pharaonis, [22] in impio Balaam, [23] in Simone Mago [24] aliisque innumeris [25] magicis artibus imbutis, qui virtute diaboli mira operantur, maxime autem ad nocendum potentissimi sunt. Decepit mundum oraculis dans responsa, praedicens futura, manifestans occulta, loquens per statuas velut dans vitam et spiritum inanimis simulacris.

qui mille modis genus humanum seduxit ut ad idololatriam perduceret.

III. Sic *fortis* est, potens ad mira operandum quae supra naturam videntur, quamvis praestigia sint ac spectra, imagines rerum, portentosa phantasmata, persequendo etiam fideles et pios Dei cultores.

Dicitur *fortis,* quia mira operari potest ad iustos persequendos.

15) 12, 3-4. 16) Ibid. vr. 9. 17) Sic latine Διάβολος interpretatur. 18) Lc 11, 15. 19) Ps 50, 7. 20) Gn 8, 21. Vulg.: *In malum prona sunt.* 21) Ibid. 6, 5. 22) Cf. Ex 7, 11-12; 8, 7; 9, 11. 23) Cf. Nm 22, 1 sqq. 24) Cf. Act 8, 9-11. 25) Cf. 1 Rg 28, 3-20; 2 Par 33, 6; Dn 5, 11; Mc 13, 22; Act 13, 6-8; 16, 16.

sicut in hebraeum populum semper persecutiones commovit, ut verum Dei cultum destrueret;

Hinc tot legimus populi Dei ac iustorum omnium persecutiones, praeter tentationes internas. Commovit contra populum Dei animos infidelium, nunc quidem Aegyptiorum, [26] nunc Madianitarum, [27] nunc Philisthaeorum, [28] nunc Assyriorum [29] et Chaldaeorum [30] cupiens, destructo illo populo, una cum eo fidem et religionem Dei destruere. Sic movit contra Abelem animum Cain, [31] contra Isaac animum Ismaelis, [32] contra Iacob animum Esau, [33] contra Ioseph animum fratrum, [34] contra Iob animum trium amicorum [35] animosque Sabaeorum et Chaldaeorum ad diripienda ipsius armenta et animalia.

iniquis secunda fortuna favet, fideles autem adversis impugnat, ut in fide deficiant;

Cumque multa operari possit in natura, excitare aereas tempestates in terra et in mari, unde multa accidunt infortunia, sic quodammodo his quidem prosperitates immittere potest, illis vero adversitates ; quare saepe legimus quod videntes Hebraei prosperam fortunam Gentilium idololatrarum, quibus pro voto fere omnia succedebant, sicut nunc infidelibus Turcis nos videmus accidere, avitam religionem ac patrias leges relinquentes ad idolorum cultum sese transferebant, [36] sicut etiam in deserto fecerunt invitati a Moabitis.[37] Quare apud I e r e m i a m legimus quod ipsi praedicanti dixit populus : *Sermonem, quem locutus es . . . in nomine Domini, non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne verbum, quod egreditur ex ore nostro, ut sacrificemus reginae coeli et libemus ei libamina, sicut fecimus nos et patres nostri, reges nostri et principes nostri in urbibus Iuda et in plateis Ierusalem ; et saturati sumus panibus et bene nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo autem tempore, quo cessavimus sacrificare reginae coeli et libare ei libamina, indigemus omnibus et gladio et fame consumpti sumus.* [38] Sic diabolus adversa fortuna impugnabat fideles et, proposita idololatrarum prosperitate, animos commovebat ut, patriae ac legis divinae desertores facti, ad partes Gentilium transirent.

armatus, quia hominum malitia utitur contra Deum;

Nec tantum *fortis* dicitur, sed etiam *armatus*, malitia utique et potentia hominum ; nam, cum iam animis idololatriae superstitio

26) Cf. Ex 1, 1 sqq.; 5, 1 sqq. 27) Cf. Nm 25, 17 sqq.; 31, 1 sqq.; Idc 6, 1 sqq. 28) Cf. 1 Rg 4, 1-7, 1 sqq.; 17, 1 sqq.; et fere per totum duo primi libri Regum. 29) Ms.: *Assyrii*. Cf. 4 Rg 18, 9 sqq. 30) Cf. ibid. 24, 1-25, 1 sqq. 31) Cf. Gn 4, 6-8. 32) Cf. ibid. 21, 9. 33) Cf. ibid. 27, 41-42. 34) Cf. ibid. 37, 4-28. 35) Cf. Iob 5, 1-6, 1 sqq.; 8, 1 sqq.; 11, 1 sqq. 36) Cf. Ier 12, 1 sqq.; Hab 1, 13 sqq.; Mal 3, 14-15; 1 Mach 1, 12. 37) Cf. Nm 25, 1-3. 38) 44, 16-18. Vulg.: *Quod egredietur de ore nostro*, etc.

insedisset, omnes pro avita religione constantissime pugnabant; sic longe lateque universum per orbem diffusa idololatria est.

Alia adhuc via homines daemon seduxit, nimirum ut diabolus calumniator, Deum verum ac veros Dei fideles calumniando; nam Dei opera calumniatus est per seipsum, [39] et per ministros suos philosophos et poetas opus creationis, quod mundus sit aeternus; opus providentiae, quod omnia natura fiunt et fortuna eveniunt; calumniatus est legem et Prophetas, quod doctrina sit vana, nulla ratione aut demonstratione fulta; miracula Prophetarum, quod facta sint arte magica: *In Beelzebub principe daemoniorum eicit daemonia.* Sic *fortis* et *armatus* custodiebat et possidebat in pace atrium suum, factus mundi princeps, Pharao rex Aegypti: *Venit... princeps mundi huius et in me non habet quicquam.* [40] Sed tandem fortior eo venit.

calumniator, quia per se et per ministros suos opera Dei et veram fidem semper calumniatur.

IV. *Erat Iesus eiciens daemonium... Et cum eiecisset daemonium, locutus est mutus et admiratae sunt turbae;* [41] *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eicietur foras.* [42] Divus Ioannes in *Apocalypsi* aperit hoc mysterium dicens: *Vidi Angelum descendentem de coelo, habentem clavem abyssi et catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, et ligavit eum per annos mille; et misit eum in abyssum et clausit et signavit super eum, ut non seducat amplius gentes.* [43] Eiectus est daemon, expulsus de mundo satanas, a Christo per Angelum ligatus est in catena, clausus in carcere infernalis abyssi, ut inde exire non possit. Hinc destructa est idololatria, defecerunt oracula, non permittitur loqui per statuas, non facere mendacia signa fallaciaque miracula; eiectus est de mundo, ita ut quasi non sit in mundo; unde Ioannes in *Apocalypsi* ait: *Bestia, quam vidisti, fuit et non est, et ascensura est de abysso,* [44] idest diabolus fuit princeps mundi huius, sed nunc non est amplius, quoniam a Christo eiectus est; sed antichristi tempore ascensura est de abysso bestia haec crudelis, ita ut tunc concedendum sit ei ut libere omnem potestatem suam exerceat contra Ecclesiam.

Diabolus a Christo victus et expulsus de mundo fuit,

ita ut non possit amplius multa mira facere, sicut antea.

39) Cf. Gn 3, 1-5. 40) Io 14, 30. 41) Lc 11, 14. 42) Io 12, 31. 43) 20, 1-3. Vulg.: *Et signavit super illum*, etc. 44) 17, 8.

Fortis est diabolus, quia natura nobilissimus,

V. *Erat Iesus eiciens daemonium; Fortior eo superveniens* vicit *eum.* Fortis diabolus est in naturali potentia, fortis in intellectuali scientia, rerum cognitione, omnibus scientiis et artibus praeditus. Sed multo fortior Christus potentia ad operandum miracula, sapientia divina praeditus : *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* [45] Dei. Sic utique potentia et sapientia sua diabolum vicit praedicatione Evangelii et miraculorum operatione, mundum ad verum Dei cultum convertit ab idololatriae superstitione. Sic liberavit *nos a potestate tenebrarum et transtulit in regnum* [46] et *admirabile lumen suum.* [47] Erat mundus caecus ante Christi tempora, non cognoscebat Deum ; surdus erat, non audiebat voces Dei, legis et Prophetarum ; mutus, Deum non invocabat, non laudabat, non magnificabat aut gratias agebat.

sed fortior illo Christus, quia Filius Dei.

Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet. Fortior fuit Iosue Og rege Basan, [48] David Golia, [49] Moyses Pharaone [50] vicitque ac superavit eum, sed divina praeditus virtute: *Constitui te deum Pharaonis.* [51] Sic Christus tanta Dei virtute praeditus est ut homo deificatus, ut dicat : *In digito Dei eicio daemonia.* [52] Tanto, inquit, sum fortior daemone, ut solo digito eum in terram deiciam.

II. ALIA HOMILIA

Christus non magicis artibus, sed vere et virtute sua daemonem expellit.

I. Sicut vehemens potensque ventus magno cum impetu flans ab aquilone, vere et non ficta quadam apparentia nebulas ab aere pellit faciemque coeli serenat, et lux nocturnas tenebras eliminat tetramque noctem in clarum diem convertit, pulsis horroribus caecis, et ignis ardens maximo suo calore fugat frigus omne hiememque in aestatem reducit ; sic Christus, qui spiritus ille est de quo dicitur: *Deus spiritus est,* [1] sol, de quo scriptum est : *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiae,* [2] et ignis, de quo legimus : *Deus noster*

45) Col 2, 3. 46) Ibid. 1, 13. Vulg.: *De potestate,* etc. 47) 1 Petr 2, 9. 48) Cf. Nm 21, 33 sqq. 49) Cf. 1 Rg 17, 41-50. 50) Cf. Ex 14, 1 sqq. 51) Ibid. 7, 1. 52) Lc 11, 20.

1) Io 4, 24. Vulg.: *Spiritus est Deus.* 2) Mal 4, 2. Vulg.: *Orietur vobis timentibus,* etc.

ignis consumens est, [3] vere hodie eicit daemonium, qui nebula est infernalis, nox sempiterna quae nunquam videbit faciem solis, et frigus maximum absque ullo caritatis calore ; vere, inquam, et non ficte aut apparenter, suaque virtute et non virtute principis daemoniorum, uti impii scribae et Pharisaei calumniantur dicentes : *In Beelzebub principe daemoniorum eicit daemonia.* [4] Et sicut vere a corporibus eiciebat daemonia, ita et multo magis ab animabus atque spiritibus, etc.

Erat Iesus eiciens daemonium et illud erat mutum. Et cum eiecisset daemonium, locutus est mutus, et admiratae sunt turbae. [5]

II. Sicut sanctus David sono suae citharae psallens et cantans divinas laudes fugabat daemonem, malum illum spiritum, qui vexabat Saul regem, [6] sic Christus hodie *erat eiciens daemonium.* Christus enim verus est David, homo secundum cor Dei, [7] in quo Deus sibi complacuit. [8] Non alium legimus in Scripturis Divinis Veteris Testamenti, qui hominem a daemone obsessum liberarit, nisi David, qui sono suae citharae fugabat cacodaemonem a Saul.

In Veteri Testamento solum Davidem legimus daemonem fugasse sono citharae.

Et mirum quidem est quomodo David sono citharae fugaret spiritum nequam. Si enim non darentur daemones, ut Peripatetici volunt, [9] sed naturalis sit infirmitas ac tetricus quidam humor melancholicus valde gravis ac potens, quo affecti sint, quos a daemonibus obsessos dicimus, mirum non esset ; musica enim vim habet animum exhilarandi dulci sua illa suavitate. Sed cum nedum fide et Sacrarum Scripturarum innumeris testimoniis, sed naturalibus etiam rationibus et manifestissima experientia constet dari daemonia, cum arreptitios videamus arcana revelare secreta et sapientissime loqui doctissimeque disserere de quavis scientia et facultate, quae nunquam didicerunt, non potuit naturalis esse illa operatio ; vel si daemones aerea corpora haberent, sicut Platonici volunt, [10] mirum adhuc non

Hoc autem in figura factum fuit.

daemones enim sicut et Angeli suapte natura incorporei sunt.

3) Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 4) Lc 11, 15. 5) Ibid. vr. 14. Affert ex Missali Rom. 6) Cf. 1 Rg 16, 23. 7) Cf. ibid. 13, 14; Act 13, 22. 8) Cf. Mt 3, 17; 17, 5. 9) Cf. Origenes *Comment. in Matthaeum*, (P. G. 13, 1106-1107); S. Thomas *Sentent.*, lib. 4, dist. 34, q. 1, a. 3; Suarez *De Angelis*, lib. 7, cp. 1, pag. 539. 10) Cf. S. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. 9, cp. 8, (P. L. 41, 263); lib. 21, cp. 10, ibid. col. 724-725; S. Fulgentius *De Trinitate*, cp. 9, ibid. 65, 505; Rupertus Abbas *De Trinitate*, etc., lib. 1 ,

esset, nam musicalis concentus et harmonia in aere fit atque recipitur. At daemones sicut et Angeli spiritus sunt, suapte natura incorporei, corporea materia nulla constantes. Cur ergo daemon harmonico illo sono male affectus horrescens aversabatur et fugiebat, quasi ferre nullo modo valeret?

videlicet ut significaretur valde diabolo displicere concentus orationis et divinae laudis.

Displicet daemoni suavis concentus cum sacris hymnis et divinis laudibus, sicut infirmis oculis displicet lux et corrupto gustui suavis dulcisque sapor, quoniam Deum odit divinaeque bonitatis laudes ferre non potest et nimium aegre fert memoriam coelestis Angelorum concentus: *Ubi eras... cum me laudarent... astra matutina et iubilarent omnes filii Dei?* [11] *Qui facit concordiam in sublimibus suis;* [12] *Audivi vocem... sicut citharoedorum citharizantium in citharis suis, et cantabant... canticum novum.* [13]

Cithara davidica figura est mundi tum terrestris tum coelestis tum empyrei,

Et totus iste mundus nonnisi cithara quaedam est in manu Dei, constans ex ter decem chordis. In mundo enim elementali decem sunt genera entium: simplicia elementa, meteora omnia quae sursum in aere fiunt, lapides, metalla, herbae, arbores, aves, pisces, animalia terrestria et tandem homo. In coelo etiam decem sunt coelestia corpora: novem sphaerae mobiles et decima immobilis, empyrea. Supra coelum novem Angelorum ordines et super omnes Angelos Rex Angelorum Christus, qui *tanto melior* est *Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit.* [14]

figura etiam hominis, et praesertim Christi daemonium ab homine eicientis.

Erat prius Lucifer princeps Angelorum, suprema huius citharae chorda; sed fracta per peccatum, a summo citharoedo Deo in terram proiecta fuit; hinc odio habebat sonum citharae David, quoniam etiam cithara illa Christum praefigurabat. Nam si mundus iste magnus magna quaedam Dei cithara est, homo, cum sit mundus parvus, [15] parva est Dei cithara, ipse quoque in manu Dei; Christus autem omnium hominum perfectissimus, perfectissima cithara suavissimum divinissimumque reddens concentum. Hinc sacratissima ista cithara humanitatis Christi pulsata hodie manu Davidis divina virtute Verbi, quod Deus est vere יְהוָה, [16] tetragrammaton, quod

cp. 11, ibid. 167, 208; *De Operibus Spiritus S.*, lib. 9, cp. 21, ibid. col. 1825; *De Victoria Verbi*, lib. 1, cp. 26. 28, ibid. 169, 1240. 1242; Honorius August. *Liber Duodecim Quaestionum*, cp. 11, ibid. 172, 1183; *Libellus Octo Quaestionum*, cp. 3, ibid. col. 1188-1189. 11) Iob 38, 4-7. 12) Ibid. 25, 2. 13) Apc 14, 2-3. 14) Hebr 1, 4. 15) Cf. part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 513, not. 24. 16) Ms.: *Iehovah*.

virtute continetur in nomine David – יהוה enim arithmetice valet viginti sex, דוד autem virtute tantundem, constat enim ex duplici quaternario et senario ; quaternarius autem virtute denarium continet, –[17] sic, inquam, manu David virtute divini Verbi pulsata hodie haec cithara daemonium eicit : *Erat Iesus eiciens daemonium*, liberat Saul a spiritu malo.

Homo enim, qui per gratiam rex universi constitutus fuerat,

Accidit homini sicut accidit Sauli, qui prius bonus erat vir, Spiritu Sancto plenus et Deo gratus ;[18] sed in regnum evectus in superbiam elatus transgressus fuit divinum mandatum, unde regno privatus fuit[19] discessitque ab eo spiritus Domini, sic enim ait : *Spiritus . . . Domini recessit a Saul et exagitabat eum spiritus nequam a Domino*[20]. Sic, inquam, Adam bonus fuit a Deo creatus, sed positus in paradiso terrestri[21] mundique princeps factus: *Dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae;*[22] *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius ;*[23] tunc arte diaboli in superbiam elatus divinum mandatum transgressus fuit,[24] unde Spiritus Sancti gratiam amisit recessitque ab eo spiritus Domini et a spiritu satanae statim obsessus fuit, sicut aer mox discedente luce possidetur a tenebris et corpus discedente anima, quae vita ipsius est, statim morti subicitur. Sic videmus hodie hominem a daemonio obsessum.

per peccatum regnum amisit, recessit ab eo spiritus Domini et a spiritu satanae obsessus fuit.

Continetur in his verbis lapsus angeli et hominis.

III. *Erat Iesus eiciens daemonium.* Continetur in his verbis lapsus Angeli et hominis una cum utriusque causa. Angelus enim per peccatum factus est daemonium et homo per peccatum factus est daemoniacus, daemoni subiectus. Causa autem utriusque lapsus fuit: *Erat Iesus*, quae quidem forma loquendi aeternitatem designat, sicut : *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum.*[25]

17) Nomen יהוה arithmetice valet 26, nam:
י = 10, ה = 5, ו = 6, ה = 5, s. t. 26.
Nomen דוד constat ex duplici quaternario et senario, nam:
ד = 4, ו = 6, ד = 4.
Dicitur autem quaternarius numerus virtute denarium continere, forte quia antiquitus numerus quaternarius latine signabatur quattuor lineis verticalibus: IIII; aliter autem his lineis dispositis perficitur denarius: X. Hoc est quod ait etiam Lud. Caelius: « Denarius numerus est quaternarii compositio ». *Lect. Antiq.*, lib. 22, cp. 9, col. 1237. 18) Cf. 1 Rg 9, 2; 10, 1-11. 19) Cf. ibid. 13, 14; 15, 23. 20) Ibid. 16, 14. 21) Cf. Gn 2, 15. 22) Ibid. 1, 26. Vulg.: *Praesit piscibus*, etc. 23) Ps 8, 6-8. 24) Cf. Gn 3, 1-7. 25) Io 1, 1.

Lucifer cecidit quia divinum mandatum, ut Verbum incarnatum adoraret, contempsit,

Disposuerat ab aeterno Deus, cum Christum praedestinavit : *Qui praedestinatus est Filius Dei,* [26] Verbi incarnationem et assumptionem humanae naturae ad hypostaticam unionem Verbi, ut esset homo una cum vero Deo, Filio Dei, persona, et ob id mox, creatis Angelis, iussit ut Christum Deum hominem adorarent : *Et cum iterum introducit primogenitum* suum *in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* [27] Audivit mandatum Lucifer princeps Angelorum, et intellexit possibile esse creaturam fieri Creatori similem et aequalem per unionem hypostaticam, uti est in Christo. At, inquit, si hominem possibile est fieri Deo aequalem, multo magis Angelum ; ego autem princeps sum Angelorum ; hinc dixit in corde suo : *Ascendam in coelum, super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, conscendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* [28] Sic divinum contempsit mandatum et obedire noluit ; sic eclipsata fuit luna ista, maxima ista stella post solem. Nec tantum eclipsata, sed etiam de coelo in terram proiecta; [29] sic Angelus factus est daemonium, princeps Angelorum factus est princeps daemoniorum.

et sic ex principe Angelorum factus est princeps daemoniorum,

semper intentus ut divinae voluntatis propositum de incarnatione Verbi impediret.

Positus autem in terra, ut divinae voluntatis consilium divinaeque dispositionis propositum impediret, ne Verbum incarnaretur et Deus fieret homo, sciens Deum summum esse inimicum peccati, hominem in paradiso tentationibus artibusque suis vafrax et versipellis tentator et antiquus serpens aggreditur, ut [ad] peccatum impelleret atque coniceret, arbitratus quod Deus humanam naturam peccati infectam nunquam assumeret ob execrandi peccati abominationem. Sic malitia fraudibusque armatus hominem circumveniens, labi in peccatum fecit; et quoniam *a quo . . . quis superatus est illius et servus est* [30] iure belli, hinc homo factus est daemoniacus, daemoni subiectus ab eoque possessus et obsessus.

Sed divinum propositum mutatum non fuit,

At vero divinum propositum minime immutatum fuit, sed semper mansit: *Erat Iesus.* Imo alia adhuc superaddita fuit ratio incarnationis. Si enim non peccasset homo, incarnatus fuisset Filius Dei, ut glorificator esset humani generis, [30a] nunc autem ut et glorificator et

26) Rom 1, 4. 27) Hebr 1, 6. 28) Is 14, 13-14. Vulg.: *In coelum conscendam... ascendam super altitudinem*, etc. 29) Cf. ibid. vrr. 12-15. 30) 2 Petr 2, 19. Vulg.: *Huius et servus est.* 30a) Cf. Io. Duns Scotus *Sentent.*, lib. 3, dist. 7, q. 4; dist. 19, q. unica.

salvator redemptorque esset, hinc ait: *Erat Iesus eiciens daemonium. Erat*, inquit, quia ab initio mundi coepit. Statim enim post peccatum, antequam contra hominem sententiam iudicii fulminaret, dixit Deus ad serpentem : *Quia fecisti hanc rem, maledictus eris inter omnia animantia et bestias terrae: super pectus tuum gradieris et terram comedes cunctis diebus vitae tuae. Inimicitias ponam inter te et mulierem et* inter *semen tuum et semen illius; ipsum conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius*, [31] sive : *Conteres calcaneum eius*, ut est in hebraico, ubi expressa fuit Christi incarnatio et passio ; incarnatio quidem : *Inimicitias ponam*, etc. : ecce in sacrosancto hodierno Evangelio mulier serpentis inimica : *Beatus venter qui te portavit;* [32] et ecce passio : *Ipsum conteret caput tuum et tu conteres calcaneum eius*, idest carnem Christi.

ante peccatum enim Verbum incarnatum esset ut glorificator humanitatis.

Ob id dixit Ioannes quod Christus agnus est *occisus ... ab origine mundi*, [33] quoniam ex tunc fuit sententia mortis Christi, ut eius sanguine delerentur peccata. Hinc ex tunc instituta fuerunt sacramenta et sacrificia Deo accepta, quibus iustificatus fuit Abel et omnes iusti Veteris Testamenti, ex quorum cordibus Christus virtute passionis et mortis suae praevisae eiecit daemonia : *Erat Iesus eiciens daemonium.* Veniens autem Christus in mundum per incarnationem, opus istud redemptionis humanae a potestate diaboli absolvit atque perfecit. Hinc ait : *Cum eiecisset daemonium, locutus est mutus, et admiratae sunt turbae.* Hinc Christus ante passionem suam dixit : *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eicietur foras. Et ego cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* [34] Sed postea loquens de adventu Spiritus Sancti, post coenam et institutionem Sacramenti Corporis et Sanguinis sui, dixit : *Cum venerit ille, arguet mundum ... de iudicio ... quia princeps huius mundi iam iudicatus est.* [35]

Ob id Christus dicitur *agnus occisus ab origine mundi*,

qui genus humanum a potestate diaboli liberavit.

IV. *Erat eiciens daemonium*, principem mundi huius, qui *totus in maligno positus est*, [36] plenus concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae, [37] qui Deum non cognovit. [38] Huius

Diabolus per peccatum factus est princeps mundi;

31) Gn 3, 14-15. Vulg.: *Quia fecisti hoc maledictus es ... ipsa conteret*, etc. *Ipsum* ex hebraico.
32) Lc 11, 27. 33) Apc 13, 8. 34) Io 12, 31-32. Vulg.: *Et ego si exaltatus*, etc.
35) Ibid. 16, 8-11. 36) 1 Io 5, 19. 37) Cf. ibid. 2, 16. 38) Cf. Io 1, 10.

autem mundi factus est princeps ob peccatum primi hominis; non quod ius aliquod haberet in homine, cum totus homo iuris esset sui Creatoris, sed quia Deus in poenam peccati permisit hominem potestati diaboli [tradi] tanquam iudex reum potestati tortoris, et reus ob admissum crimen dicitur esse sub potestate tortoris postquam traditus illi est a iusto iudice ex iusta sententia. Quare iusta erat diaboli in hominem potestas, licet esset voluntas iniusta, ut docet Divus Gregorius 2 *Moralium*, cp. 10, tractans de facultate data a Deo satanae contra Iob et de vexatione Saul a spiritu maligno: *Spiritus Domini malus* irruebat in Saul: [39] « *Spiritus*, inquit, *Domini* dicitur propter iustam potestatem, sed *malus* propter iniustam voluntatem ». [40]

homo autem, qui potuit seipsum satanae potestati tradere,

Traditus autem sic fuit homo in manu impiissimi huius tortoris ut non posset se sua virtute ab eius potestate liberare sicut Samson saepe liberavit se de manu Philisthaeorum, quandiu tonsus non fuit; tonsus autem et spiritu Dei destitutus, non potuit se liberare. [41] Sic homo, quia potuit seipsum occidere, non potuit seipsum vivificare; potuit seipsum in profundissimam foveam lacumque immittere, non autem inde ascendere; potuit, inquam, peccare, sed non a peccato se liberare et a peccati poena, idest morte.

non potuit se ab eius infestatione liberare.

Nec vim habuit vincendi omnes diaboli tentationes impellentes in peccatum. Hinc mundus plenus fuit idololatria ac sic diabolus ratione peccati princeps mundi erat, non princeps coeli et terrae, quae a Deo facta et creata sunt, sed hominum, qui in peccatis concepti et nati, in peccatis vivunt; et quoniam in Adam omnes peccaverunt, hinc absolute *mundi princeps* dicitur, princeps dirigens mundum ad interitum et perditionem aeternam, abutens potestate sibi a Deo super homines tradita, qua solum in malum utitur pertrahendo homines ad quaevis vitia et peccata.

Christus diabolum eiecita mundo quoad potestatem, et magna ex parte quoad possessionem,

Eicit autem Christus hunc principem a mundo absolvendo homines a peccatis per gratiam suam, hoc est serpentis caput conterere, hoc est caput Goliath amputare, omni principatus potestate diabolum privare. In principatu autem duo considerantur: potestas iuridica et possessio regni. Aliquis enim vere est rex, sed regnum a tyranno occupatum non possidet; et tyrannus possidet, qui tamen

39) 1 Rg 16, 16. 40) P. L. 75, 564. 41) Cf. Idc 14, 19; 15, 9-15; 16, 1-30.

non totaliter quoad efficaciam, quia hoc pendet ex voluntate hominis;

non est legitimus princeps nec iuridicam habet potestatem. Eiecit Christus diabolum ab universo mundo quantum ad potestatem, et magna ex parte quantum ad possessionem; totum quoad sufficientiam, non totum quoad efficaciam, quia eripi a possessione diaboli non potest, nisi qui vult sua sponte renuntiare peccato et servire Deo. Abstulit Christus potestatem diaboli, veluti si imperator aut rex supremus habens sub se principem iniustum, quem ob iniustitiam privet principatu absolvens omnes subditos atque vassallos a iuramento et debito subiectionis, obedientiae et tributi, liberat quidem omnes vassallos a potestate tyranni; at si multi sua sponte velint ei servire, hi manent adhuc in possessione tyranni.

multi autem sunt qui adhuc in possessione diaboli permanere volunt.

Sic Christus universum humanum genus liberavit a diaboli potestate. Hoc est enim quod ait: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum; omnia*, sive *omnes*, ut graece est,[42] omnes homines, universum genus humanum. Quantum ad potestatem, sic enim universorum est Dominus ut vivorum et mortuorum dominetur: *Iudex vivorum et mortuorum;*[43] *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra*;[44] sed non quoad potestatem simul et possessionem. Infideles enim et mali christiani sunt adhuc in possessione diaboli, sed sunt tanquam rebelles Christi, quos omnes in die iudicii mittet in ignem aeternum cum diabolo et angelis eius.[45] Sic in sacrosancto Evangelio videmus quod, cum Christus eiecisset daemonium, *admiratae sunt turbae* glorificantes Christum, alii autem dicebant: *In Beelzebub principe daemoniorum eicit daemonia.* Illi erant Christi quoad potestatem et possessionem, tanquam vere liberati de manu diaboli; hi autem quoad possessionem adhuc erant in manu diaboli, tanquam rebelles et inimici Christi.

Christus eripuit mundum de potestate diaboli non ex sola misericordia, sed ex vera iustitia;

V. Ait autem et non immerito: *Erat Iesus eiciens.* Iesus Deus et homo, non in gloria et maiestate, sed in mansuetudine et humilitate, patiens ab hominibus pessimas iniustissimasque calumnias, quoniam etsi potuisset Deus absoluta potestate divinitatis suae eripere hominem de manu diaboli ex sola misericordia sua erga homines et imperio erga diabolum, sicut potest iudex traditum tortori reum ad cruciandum de manu illius liberare liberumque dimittere

42) Graece: Πάντας. 43) Act 10, 42. 44) Mt 28, 18. 45) Cf. Ibid. 25, 41.

ex gratia, quamvis reus esset mortis, noluit tamen sola divinitatis potestate id agere, sed ratione iustitiae hominem de manu diaboli liberare. Hinc misit Filium suum in mundum hominem factum *in similitudinem carnis peccati,* [46] absque tamen ullo peccato, [47] ut si diabolus in Christum hominem Dei Filium sicut in ceteros homines desaeviret tanquam mittens manum in messem alienam, iure privaretur omni potestate quam super homines habebat.

Iuste enim diabolus principatu expoliatus fuit, quia in Christum desaeviit, in quem nullam habebat potestatem.

Dedit enim illi Deus potestatem super homines ob peccatum, quare super homines peccatores, non iustos et sanctos; quare Christus, Sanctus Sanctorum, immunis omnino fuit a diaboli potestate. Quoniam vero diabolus contra omnem iustitiam abusus est sua potestate etiam in Christum, eum saevissime tentando, persequendo et occidendo, propterea omni privatus potestate fuit; veluti si tortor iniuriam faceret filio regis in carcerem descendenti tanquam reo, si filius coram rege in iudicio causam agat contra impium illum tortorem, iure tortor a rege omni potestate privabitur et ad poenas etiam graves damnabitur. Hoc igitur est: *Erat Iesus eiciens daemonium.*

Christus liberando hominem a potestate diaboli,

Sicut prima lux expulit primas illas tenebras quae *erant super faciem abyssi,* non tamen expulit omnes, nam divisit Deus inter lucem et tenebras et vocavit *lucem diem et tenebras noctem;* [48] *erat eiciens daemonium,* ille qui peccatores angelos eiecit de paradiso coelesti [49] et homines de terrestri, [50] sicut Iosue eiecit Chananaeos de terra promissionis. [51] Et sicut Ezechias eiecit proiecitque de templo Domini omnem immunditiam idolorum valvasque templi clausas aperuit, [52] nam impius Achaz idololatria templum profanaverat, lucernas aurei candelabri extinxerat et templum clauserat ne Deo adoleretur incensum aut offerrentur sacrificia, [53] sic utique infelix iste daemoniacus; homo erat, templum Dei, sed a diabolo pollutum, qui lucernas eius extinxerat, nam, ut Matthaeus ait, erat daemoniacus iste caecus; [54] clauserat valvas, quoniam etiam mutus erat et, per consequens, etiam surdus; κωφὸς enim et κωφὸν [55] graece utrunque, et mutum et surdum, significat. Sed *cum eiecisset daemonium, locutus est mutus,* restituit daemoniacum pristinae sanitati et

eum pristinae integritati restituit,

46) Rom 8, 3. 47) Cf. Hebr 4, 15. 48) Gn 1, 2-5. 49) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 50) Cf. Gn 3, 6 sqq. 51) Cf. Ios 6, 1-21; 8, 1-29; 10, 1 sqq.; 12, 1 sqq. 52) Cf. 2 Par 29, 1 sqq. 53) Cf. 4 Rg 16, 1 sqq.; 2 Par 28, 1-7. 54) Cf. 12, 22. 55) Ms.: Κωφος et: Κωφον.

integritati, destruens omnia opera diaboli. Sicut enim arca Dei in terra Philisthaeorum, ingressa in templum Dagon eiecit illum de loco suo proiectumque in terram capite manibusque privavit, [56] sic Christus, qui arca est Dei omnipotentis, diabolo caput amputavit omni principatus potestate illum privans, amputavit et manus, quia omnia eius opera destruxit viresque abstulit. Sic enim legimus : *Surde et mute spiritus . . . exi ab eo et amplius ne introeas in eum.* [57] Est enim veluti rabidus canis daemon, sed a Christo catenis alligatus ut latrare quidem possit, mordere autem vel nocere non possit, nisi quis sponte accedat. [58] Debilis est hostis qui non vincit, nisi vinci volentem.

et omnia opera inimici destruxit viresque abstulit.

VI. *Et cum eiecisset daemonium, locutus est mutus, et admiratae sunt turbae.* Vere admirandum fuit hoc hodiernum Christi opus, si consideremus eicientem, eiectum, modum eiectionis et beneficium collatum homini, a quo eiecit daemonium. Eiciens est Christus mysticus David, vir fortissimus, *cuius cor . . . quasi leonis,* [58a] qui leones, ursos gigantesque occidit ; [59] vir sapientissimus, divina sapientia plenus, [60] ut in libro *Psalmorum* cernimus ; vir optimus, homo secundum cor Dei, [61] Angelus Dei, qui nec benedictione nec maledictione movetur. [62] Sic Christus virtus et potentia Dei est, Dei sapientia [63] *et imago bonitatis ipsius,* [64] fortior Samsone, qui leonem occidit, [65] sapientior Salomone [66] et sanctior Iosia ; [67] arca Dei, in qua erat virga virtutis Dei, [68] Dei sapientia in tabulis depicta [69] et vas plenum manna, [70] quod hieroglyphicum est bonitatis divinae.

Considerandae sunt circumstantiae huius operis admirabilis: *a)* eiciens Christus est,

Christus hodie ostendit potentiam contra daemonium, bonitatem erga daemoniacum et sapientiam adversus calumniatores dicentes quod in Beelzebub principe daemoniorum eiciebat daemonia. Et ad liberandum hominem in spiritu de manu diaboli tria haec necessaria erant : potentia ad operandum miracula, sapientia ad dandam docendamque scientiam salutarem et bonitas ad sanctificandas animas.

qui hodie ostendit potentiam, bonitatem et sapientiam suam;

56) Cf. 1 Rg 5, 2-5. 57) Mc 9, 24. 58) Cf. S. Augustinus *Sermo 37*, (P. L. 39, 1820). 58a) 2 Rg 17, 10. 59) Cf. 1 Rg 17, 34-51; Eccli 47, 3-8. 60) Cf. 2 Rg 14, 20; 29, 9. 61) Cf. 1 Rg 13, 14; Eccli 47, 8-13. 62) Cf. 2 Rg 14, 17. 63) Cf. 1 Cor 1, 24. 30. 64) Sap 7, 26. Vulg.: *Bonitatis illius.* 65) Cf. Idc 14, 5-6. 66) Cf. 3 Rg 3, 8-12; 2 Par 1, 10-12; Eccli 47, 15-18. 67) Cf. 4 Rg 23, 2-25; 2 Par 34, 1 sqq.; Eccli 49, 1-5. 68) Cf. Nm 17, 10; 20, 9; Hebr 9, 4. 69) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 70) Cf. Ex 16, 33; Hebr 9, 4.

Sic Christus miracula innumera fecit, quae solius divinae sunt potestatis, dedit condiditque novam legem sua sapientia, et instituit Sacramenta gratiae sua bonitate.

b) eiectus diabolus est, princeps potentissimus, ipse enim princeps erat Angelorum, peccando autem naturalia dona non amisit,

Eicitur autem daemonium, de quo scriptum est : *Non est potestas super terram, quae comparetur ei.* [71] Hic est fortissimus maximusque gigas Goliath, [72] hic *leo rugiens* [73] quem Samson occidit, hic Pharao rex Aegypti et rex Babylonis, *ipse est rex super omnes filios superbiae.* [74] Hunc Christus in sacrosancto hodierno Evangelio *regem* dicit, cuius regnum non est divisum ; rex enim est et princeps daemoniorum, caput reproborum hominum, quem etiam dicit *fortem armatum: Cum fortis armatus custodit atrium suum.* [75] *Fortis* natura est, *armatus* malitia ; fortis natura et omnium Angelorum fortissimus, quoniam princeps creatus fuit Angelorum ; superior autem Angelus suapte natura fortior est inferiore. Ipse igitur fortissimus omnium, quoniam peccando non naturam aut naturalia, sed gratiam et gratuita dona amisit. Unius autem tantum Angeli quis dicere poterit quanta sit fortitudo ? Unus tantum Angelus una nocte occidit omnia primogenita totius regni Aegypti ; [76] unus Angelus uno die occidit ex Hebraeis tempore David septuaginta millia hominum ; [77] unus Angelus una nocte destruxit universum exercitum Sennacherib centum octoginta quinque millium virorum. [78]

ideo fortissimus est,

Si ergo talis tantaque est fortitudo unius tantum Angeli inferioris ordinis, qualis quantaque erit ordinis superioris atque supremi ? Lucifer autem supremus fuit. Hinc merito dicitur a Christo *fortis*, nec tantum fortis, sed etiam *armatus*, armis utique non corporalibus, sed spiritualibus, quibus sapientes viri in ludo litterario contra se invicem concertant.

omni scientia naturali, arte et experientia praeditus,

Sicut autem diaboli maxima omnium Angelorum est naturalis fortitudo, ita et naturalis scientia in intellectu. Novit omnia secreta naturae, omnes specificas differentias, virtutes et facultates omnium rerum naturalium, coelestium et terrestrium ; novit omnium hominum naturales complexiones, ingenia, inclinationes, studia, actiones, praeter intima cordium secreta, quae solus Deus novit. Summa praeditus

71) Iob 41, 24. Vulg.: *Non est super terram potestas*, etc. 72) Cf. 1 Rg 17, 4-10.
73) 1 Petr 5, 8. 74) Iob 41, 25. Vulg.: *Super universos*, etc. 75) Lc 11, 21.
76) Cf. Ex 12, 29-30. 77) Cf. 2 Rg 24, 15. 78) Cf. 4 Rg 19, 35.

est experientia omnium rerum, quae acciderunt ubique gentium ab initio mundi usque modo, et novit etiam futura omnia, quae secundum cursum naturalem eventura sunt. Sic omni scientia et arte, omni rerum experientia historiaque praeditus est, summaque prudentia, quae contra Deum est.

Sic *fortis* est *armatus;* armatus autem non tantum scientia et artibus, sed multo magis dolis et fraudibus ex summa pessimi cordis malitia et odio in Deum et homines. Hinc infelicem hunc daemoniacum caecum fecit, surdum et mutum. Et, si permitteret illi Deus, multo peius faceret omnibus hominibus, quam fecisse legimus Beato Iob, quem omnibus bonis fortunae et sanitate ipsa privavit pessimisque ulceribus plagavit. [79] Sed Christus fortior eo est : *Cum autem*, inquit, *fortior eo superveniens vicerit eum.* [80] Nec tantum ipso Lucifero solo Christus est fortior, sed etiam omnibus simul daemoniis. Hinc ex uno homine integram daemonum legionem eiecit [81] et alios sine numero ex hominum corporibus profligavit.

hinc dicitur *fortis* et *armatus*, quia plenus malitia et odio in Deum et homines;

Nec minus mirabilis est modus, quo Christus daemonia eiciebat: *Si*, inquit, *in digito Dei eicio daemonia;* [82] M a t t h a e u s habet: *Si... in spiritu Dei.* [83] Hoc est quod maxime admirabantur turbae, quod *in potestate et virtute* imperabat spiritibus immundis et obediebant ei exeuntes de corporibus, ut legimus M a r c o 1 [84] et L u c a 4, [85] ubi Christus primum daemoniacum liberavit comminatus spiritui immundo dicens : *Obmutesce et exi ab homine.* [86] Sic etiam M a r c o 9 : *Surde et mute spiritus, ego praecipio tibi : exi ab eo et amplius ne introeas in eum.* [87] Eiciebat *in digito Dei;* digitus autem minima pars manus est ; hinc elucet summa et infinita Christi potentia.

c) modus etiam mirabilis est quo Christus daemonia eiciebat, idest solo imperio;

Tandem admirabile est hodiernum hoc opus Christi ex beneficio collato miserabili daemoniaco. Vexabatur infelix homo a spiritu immundo, sicut de alio daemoniaco legimus quod apprehensus a daemone allidebatur in terram ac lacerabatur, unde spumabat sese volutans in terra, et stridebat dentibus et arescebat saepeque diabolus nunc in ignem, nunc in aquam mittebat eum, ut perderet eum, et dilaniabat eum. [88] Sic miser iste male a daemonio vexatus [89]

d) magnum beneficium collatum, quod quadruplex est,

79) Cf. Iob 1, 13-2, 1-7. 80) Lc 11, 22. Vulg.: *Si autem*, etc. 81) Cf. ibid. 8, 30-33. 82) Ibid. 11, 20. 83) 12, 28. 84) Vr. 27. 85) Vr. 36. 86) Mc 1, 25. Vulg.: *De homine.* 87) Vr. 24. 88) Cf. Mt 17, 14-17; Mc 9, 16-26; Lc 9, 38-43. 89) Cf. Mt 15, 22.

liberat enim a daemonio hominem et simul visum, auditum et loquelam restituit.

torquebatur, unde caecum ipsum effecerat, surdum et mutum. Christus autem simul ei quattuor beneficia confert : liberam ab omni diaboli vexatione sanitatem, clarum visum, apertum auditum et promptam expeditamque loquelam. Hoc autem totum ex sola Christi clementia et bonitate absque ullis meritis. Sic totum hominem sanum fecit, [90] *Dei* enim *perfecta sunt opera.* [91]

Daemoniacus hic figura est animae cum a daemonio obsidetur, concupiscentiis enim agitatur, caeca, surda et muta fit quoad Deum,

VII. Vexat diabolus obsessum hominem inordinatis affectibus et passionibus cordis et animi, superfluis curis ac cupiditatibus inexplebilibus. Hinc *allidit eum* in terram per immoderatum affectum terrenorum ; volutat eum in terra, ut animus, terrenis tantum cogitationibus involutus, in pulvere volutetur ; hinc [92] *spumat* per luxuriam, *stridet dentibus* per iram, *arescit* [93] per avaritiam, mittitur nunc *in ignem* nunc *in aquam*, in extrema maximaque tum animae tum corporis pericula, impellente nunc amore nunc odio. Et quoad Deum facit hominem caecum, ut non videat viam salutis, surdum, ut non audiat vocem Dei, mutum, ut non petat auxilium a Domino veniamque suorum peccatorum.

non autem quoad mundum.

Quoad Deum, inquam, haec facit, non quoad mundum ; nam Adamo post peccatum aperti sunt oculi ad videnda terrena, unde cognovit se nudum esse ; apertae sunt aures ad audiendas voces serpentis, soluta est lingua ad excusandum peccatum suum. [94] Sic filii huius saeculi in mundanis negotiis oculatissimi sunt, habent oculos apertissimos et acutissimos, apertissimas et acutissimas aures, linguas solutissimas et expeditissimas. Sed quoad Deum caeci sunt, surdi et muti, peccantes tum ex ignorantia tum ex fragilitate et impotentia tum etiam ex impii cordis malitia.

Quos autem Christus liberat, ab omnibus his malis per gratiam sanat.

Christus autem quos a diaboli potestate liberat, sanat per Spiritus Sancti gratiam ; illuminat per fidem coelestemque prudentiam; facit loqui ad Deum in oratione et clamare : *Abba, Pater,* [95] per spem et filialem in patrem fiduciam ; aperit aures per caritatem, quae Deo obedit divinaque servat mandata. Sic *cum eiecisset daemonium, locutus est mutus, ita ut loqueretur et videret,* inquit Matthaeus. [96]

90) Cf. Io 7, 23. 91) Dt 32, 4. 92) Ms.: *Hic.* 93) Mc 9, 17. 94) Cf. Gn 3, 1-13. 95) Rom 8, 15; Gal 4, 6. 96) 12, 22.

VIII. *Cum eiecisset daemonium, locutus est mutus.* Daemonium verum peccatum est, quod nos diabolo subiectos facit. Hoc daemonium quaesivit Christus semper eicere, ex quo homo peccavit. Ob id homines post peccatum de paradiso eiecit, ut ipsi ex vero odio per veram poenitentiam eicerent de suis cordibus istud daemonium; ob id graves poenas humano generi inflixit « in hac lacrimarum valle » [97] et tandem mortem ipsam; ob id misit diluvium aquarum, ignem de coelo, pestes, fames, bella, innumera flagellorum genera; ob id dedit legem de coelo, instituit Sacramenta ac sacrificia Veteris Legis, misit Prophetas et tandem Filium suum, qui ob id tot miracula operatus fuit, Sacramenta instituit, populis praedicavit, tandem passus et mortuus est ut daemonium istud eiceret. Et nos adhuc daemoniaci sumus? Etc.

Peccatum est daemonium quod hominem diabolo captivat, a quo nos liberare Deus semper quaesivit.

Ante haec verba: *Erat Iesus eiciens daemonium*, ut legimus L u c a 11, dixerat Dominus, concludens sermonem habitum de orationis perseverantia, quae a Deo omnia obtinet: *Si... vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester coelestis dabit spiritum bonum petentibus se?* [98] Ac tunc statim subiungit eiectionem spiritus mali. Sicut enim non possunt in eodem loco et subiecto duo contraria in se invicem pugnantia ac se invicem expellentia permanere, ignis et aqua, calor et frigus, lux et tenebrae, nox et dies, aestas et hiems, sanitas et infirmitas, vita et mors, sic non possunt simul manere Deus et diabolus, spiritus Dei et spiritus diaboli, spiritus bonus et spiritus malus, gratia et peccatum, virtus et vitium, arca Dei et Dagon, [99] Christus et Belial. [100]

Orationi instandum est ut spiritus malus in nobis non habitet.

IX. *Quidam autem dixerunt: In Beelzebub principe daemoniorum eicit daemonia.* M a t t h a e u s dicit quod hi fuerunt Pharisaei, [101] M a r c u s autem quod fuerunt scribae venientes ab Ierosolymis. [102] Quare turbae quidem admirabantur opus Christi, scribae autem et Pharisaei calumniabantur. Turbae admirabantur virtutem Dei in Christo, nam, ut M a t t h a e u s ait: *Stupebant omnes turbae dicentes: Nunquid hic est filius David?* [103] idest Messias; scribae autem

Viso tali miraculo Christi, turbae admirabantur, Pharisaei autem calumniabantur.

97) Breviarium Rom. antiph. finalis post singulas Horas a Trinitate ad Adventum.
98) Vr. 13. Vulg.: *Pater vester de coelo*, etc. 99) Cf. 1 Rg 5, 2-5. 100) Cf. 2 Cor 6, 15. 101) Cf. 12, 24. 102) Cf. 3, 22. 103) 12, 23. Vulg.: *Omnes turbae et dicebant*, etc.

et Pharisaei non valentes negare miraculorum evidentiam, virtuti diaboli tribuebant. Quare Christus hodie est sicut columna illa ignis et nubis, quae populum Dei praecedebat positaque in medio castrorum Hebraeorum et Aegyptiorum, his quidem nubes erat obscura et tenebrosa, illis autem ignis lucens et splendens. [104] Et sicut Moyses ipse, qui in Aegypto faciens miracula divina virtute ad Dei gloriam et pro salute populi, ab Hebraeis quidem sanctus Dei propheta virque, ut vere erat, divinus habebatur, a Pharaone autem et Aegyptiis incantator et magus, diaboli opera et virtute miracula faciens, sicut erant Iannes et Mambres magi Pharaonis, [105] qui ipsi quoque virtute daemonum, sicut Moyses virtute divina, converterunt virgas in serpentes [106] et aquam in sanguinem, [107] producentes ipsi quoque incantationibus suis ranas multas ; [108] sicut etiam sol qui in Aegypto erat Hebraeis lucidus et splendidissimus, faciens clarissimum diem, Aegyptiis autem obscurus erat ac tenebrosus ; sic Christus hodie turbis quidem est Propheta mirabilis, scribis autem et Pharisaeis magus et incantator, quod miracula faceret sicut magi Pharaonis.

sicut visis miraculis Moysi Hebraei credebant, non autem Aegyptii, quia eorum magi eadem signa faciebant.

Sed sicut inter miracula Moysi et magorum Pharaonis non parva conspicitur differentia, ita magnum utique discrimen est inter miracula quae fiunt virtute divina et ea quae fiunt arte et opera daemonum. Nam Moyses quidem virgam suam in serpentem convertit magnum ac multo maiorem serpentibus magorum, quos omnes virga Moysi devoravit ; et Moyses magnum flumen in sanguinem convertit, magi vero parum aquae ; et Moyses in universa terra Aegypti infinitam ranarum multitudinem ex aquis ebullire fecit, magi vero paucas quasdam. Deinde Moyses statim et solo veluti nutu miracula faciebat, magi vero multis incantationibus et cum spatio et mora temporis. Et tandem non potuerunt magi omnia facere quae Moyses fecit, non enim potuerunt producere ex pulvere cinifes sicut Moyses, [109] unde dixerunt Pharaoni : *Digitus Dei est hic.* [110] Miracula igitur Moysi maiora [sunt], multo plura et mirabiliori modo potentiorique virtute facta quam miracula magorum Pharaonis. Sic sunt omnia miracula quae divina virtute fiunt, multo sunt per omnem

Sed magnum discrimen conspicitur inter miracula virtute divina facta et ea quae fiunt arte daemoniorum,

miracula enim Moysi maiora et mirabiliora fuerunt signis magorum;

104) Cf. Ex 14, 19-24. 105) Cf. 2 Tim 3, 8-9. 106) Cf. Ex 7, 11-12. 107) Cf. ibid. vrr. 20-22. 108) Cf. ibid. 8, 5-7. 109) Cf. ibid. vrr. 16-18. 110) Ibid. vr. 19.

modum maiora quaeque daemonum opera et arte fiunt, vel vera sint vel apparentia per sensuum illusiones, ut frequentissime faciunt qui magicis artibus sunt addicti.

Christi itaque miracula non potuerunt apparentia esse et non vera, qualia saepe magorum sunt. Nam qui a Christo quavis erant sanitate homines donati, vel illuminati a caecitate, vel suscitati a morte, vere se sanatos, illuminatos et suscitatos experiebantur et omni loco et tempore omnibusque sic videbantur. Magi autem, si qua vera miracula faciunt, naturali virtute faciunt, applicando activa passivis, ex cognitione occultarum proprietatum virtutumque rerum naturalium, unde fiunt mirabiles effectus.

sic miracula Christi vera, non apparentia fuerunt, nec incantationibus facta, sed virtute divina.

At si Christus naturali virtute miracula operatus fuisset, non potuisset caecos illuminare et mortuos suscitare, haec enim omnem naturalem virtutem longe superant, quare nec a daemonibus haec fieri possunt. Daemones enim, cum non possint aliquid ex nihilo creare, si qua mirabilia operantur, virtute utique naturali operantur, applicando activa passivis, et sic possunt brevissimo tempore citissime et quasi in momento mirabiles effectus operari. Sic possent infirmos curare, sicut medici, sed quam citissime, possent aquam in vina mutare sicut magi Pharaonis aquam mutarunt in sanguinem ; sed caecum a nativitate illuminare aut mortuum suscitare nullatenus possunt. Christus autem omnia potuit et in instanti, sine aliqua mora et solo imperio, imo solo nutu voluntatis, [111] non solum praesens, sed etiam absens, [112] absque ulla applicatione virtutis naturalis. Igitur supernaturali divinaque virtute operabatur miracula ad ostendendum se verum esse Messiam, sicut Moyses multa miracula ad hoc fecit, ut ostenderet se vere a Deo missum, utque fides haberetur ei tanquam divino nuntio vatique. [113]

qualia daemon virtute sua nunquam facere valet.

Falsissima igitur est calumnia maximaque blasphemia scribarum et Pharisaeorum dicentium quod Christus in virtute diaboli operabatur miracula. Hinc Christus dixit eos peccare in Spiritum Sanctum, idest in Deum, quoniam quod vere erat supernaturalis divinaeque virtutis ipsi diabolo tribuebant : Qui peccaverit, sive *dixerit verbum in Filium hominis,* calumniando opera humanitatis

Impie ergo in Spiritum Sanctum blasphemabant Pharisaei dicentes Christum miracula patrare virtute daemonis.

111) Cf. Mt 8, 26; Mc 5, 41-42; Lc 4, 39; 5, 13; Io 11, 43-44. 112) Cf. Mt 8, 13; 15, 28.
113) Cf. Eccli 45, 1-5.

Christi : *Ecce homo vorax . . . potator vini, publicanorum et peccatorum amicus,* [114] *remittetur ei,* est aliqua venia dignus ; *qui autem dixerit* verbum in *Spiritum Sanctum,* calumniando opera divinitatis, tribuendo opera divinae virtutis virtuti daemonum, *non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro,* [115] nulla sunt venia digni.

Eorum impietatem Christus efficacissimis rationibus confutat.

X. Quoniam vero calumnia ista maximi erat momenti, hinc Christus eam efficacissimis et sapientissimis rationibus confutat ; calumnia enim haec atque blasphemia omnem evertit fidem. Christus siquidem fundamentum est fidei : *Fundamentum . . . aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus;* [116] fundamentum autem principaliter ratione divinitatis, quoniam Deus obiectum est fidei. Si autem Christus virtute diaboli eiciebat daemonia et operabatur miracula, non erat Deus ; ergo falsa est fides nostra.

Prima ratio: eicere aliquem e domo sua signum est discordiae, quae potentissima etiam regna corruere facit,

Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. Si ergo . . . satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum eius ? [117] Haec prima est ratio : Eicere, inquit, aliquem e sua domo profecto manifestum est signum inimicitiae, odii et malivolentiae. Si igitur ego virtute unius daemonis eicio alium, ergo inter daemones sunt inimicitiae et odia, in regno satanae seditiones, bella civilia, divisiones et partes contra se invicem. Sed si inter daemones essent factiones, non potuisset stare usque adhuc a mundi initio regnum diaboli, sed finem habuisset: « Concordia enim parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur ». [118] Sic per bella civilia et odia intestina non tantum domus particularesque familiae et civitates, sed potentissima etiam regna discordia corruerunt. Regnum autem satanae stetit a principio mundi usque modo et adhuc stat. Ergo non est inter daemones discordia, sed concordia. Non potest ergo satanas satanam eicere, cum hoc sit manifestum odii et inimicitiae signum. Apud Marcum ratio ista sic ponitur : *Quomodo potest satanas satanam eicere ? . . . Si regnum in se dividatur, non potest stare regnum illud . . . Et si satanas consurrexit in semetipsum, dispertitus est et non poterit stare, sed finem habet.* [119]

regnum autem satanae ab initio mundi firmissimum est.

114) Mt 11, 19. 115) Ibid. 12, 31-32. Vulg.: *Contra Filium hominis,* etc.
116) 1 Cor 3, 11. 117) Lc 11, 17-18. Vulg.: *Si autem. . . satanas,* etc. 118) Sallustius *De bello Iugurthino,* n. 10. 119) 3, 23-26. Vulg.: *Non potest regnum illud stare. . . consurrexerit in semetipsum, dispertitus,* etc.

Secunda ratio: si credebant eorum exorcistas daemonia eicere in virtute Dei, nonnisi ex odio hoc de Christo negare poterant;

Addit Dominus secundam rationem: *Si ... ego in Beelzebub eicio daemonia, filii vestri in quo eiciunt?* [120] De similibus, inquit, idem est iudicium. [121] Ex manifesta enim similitudine rerum constant species et genera rerum, et quale secundum speciem est unum individuum et singulare, tale censendum est et alterum: si Petrus homo, ergo et Paulus. Tunc ait Christus: Vos habetis exorcistas, qui eiciunt daemonia in virtute Dei per invocationem divini nominis, ut legimus *Actis* 19. [122] Si, inquit, vestri exorcistae eiciunt daemonia non in virtute principis daemoniorum, sed in virtute Dei, cur vultis me non in virtute Dei, sed in virtute principis daemoniorum eicere daemonia? Profecto nonnisi ex vestro odio et malivolentia contra me procedit, et propterea *ipsi erunt iudices vestri* [123] in die iudicii. Quod si ego *in digito Dei, in spiritu Dei,* in virtute et potestate Dei, ex imperio *eicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei,* [124] regnum gratiae et gloriae, quod vos expectatis a Messia. Si, inquit, divina virtute et propria auctoritate eicio daemonia, sine dubio credendum est quod ego sim Messias, quod iam Messias venit.

et si credendum erat Moysen et Prophetas Dei virtute operatos esse miracula, iniuste eandem potestatem Christo negabant.

Et eodem argumento vult probare Christus se divina virtute miracula operatum contra calumniatores miraculorum eius. Si enim Christus virtute daemonum operatus est miracula, qua virtute operati sunt Moyses, Elias, Eliseus et alii Prophetae Dei? Aut cur credendum est illos virtute divina operatos fuisse miracula, non autem Christum? De similibus idem est iudicium.

Tertia ratio: ut quis alium principem vincat et ex regno eiciat, necesse est illo fortiorem esse;

Addit Christus et tertiam rationem: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quae possidet. Cum autem fortior eo superveniens vicerit eum,* etc.; [125] quae apud Marcum sic habentur: *Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius alligaverit fortem, et tunc domum eius diripiet.* [126] Sic et apud Matthaeum: *Quomodo potest quisquam in domum fortis introire et vasa eius diripere, nisi prius alligaverit fortem?* [127] Si, inquit, duo sint duces, ambo potentes, ambo feroces, quibus in viribus et armis omnis spes sita sit, si alter velit alteri regnum eripere, in quo

120) Lc 11, 19. 121) Axioma philosophicum, de quo cf. part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 532, not. 92. 122) Cf. vr. 13. 123) Lc 11, 19. Vulg.: *Iudices vestri erunt.* 124) Mt 12, 28; Lc 11, 20. 125) Lc 11, 21-22. Vulg.: *Si autem,* etc. *Omnia* lect. cod. 126) 3, 27. Vulg.: *Nisi prius fortem alliget,* etc. 127) 12, 29. Vulg.: *Intrare in domum fortis,* etc.

ille regnat magna custodia armorum, exercituum, turrium fortissimarum et arcium inexpugnabilium munitus, antequam illum corona privet regnoque et domo eiciat, necesse est ut illum vincat, nec vincere potest, nisi multo fortior ac potentior sit. Illo autem devicto et superato, diripit civitatem, aufert spolia suisque militibus distribuit. Si igitur ego, inquit, aufero vi spolia diaboli liberando obsessos a daemonibus, necesse est igitur ut diabolus sit a me victus et me illo esse multo fortiorem, alioquin quis sineret domum suam depraedari, bona sua diripi alienisque distribui? Quis [128] unquam principum alicui servorum suorum id concessit? Quomodo ergo diabolus sua sponte sinat diripi bona sua? Quod si vi diripio spolia diaboli, igitur illum vici, illo igitur multo sum fortior.

si ergo Christus diabolum superat, oportet fortiorem eo esse,

Efficax ratio; hinc ait: *Quomodo potest quisquam in domum fortis intrare et vasa eius diripere?* Includit dilemma: vel fortis armatus custodiens atrium suum sua sponte concedit ut quis domum ingressus universa eius bona deripiat, vel vi patitur. Ut sua sponte concedat, profecto contra naturam est, ut sponte quis et data opera permittat bona sua furari ac depraedari. Si autem vi, necesse est ut direptor sit multo fortior ac potentior.

nemo enim sua sponte bonis suis spoliari permittit.

Adhuc autem Dominus quartam rationem addit et ipsam efficacissimam ac validissimam dicens: *Qui non est mecum, contra me est, et qui non congregat mecum, spargit.* [129] Si, inquit, in mundo sint duo tantum principes et capitales inimici ad invicem, profecto qui non vult esse cum uno, necesse est ut sit cum altero et per consequens inimicus ac contrarius illius, nam in duo tantum regna divisus esset mundus. Sed vere sic est in universitate animarum, quod duo tantum sunt principes: Deus et diabolus summe inimici. Qui non est cum Deo, necesse est ut sit cum diabolo contra Deum; et qui non est cum diabolo, necesse est ut sit cum Deo contra diabolum. Duo enim regna sunt peccatum et gratia, virtus et vitium; gratia et virtus regnum Dei est, peccatum et vitium regnum diaboli. Hinc in duas turmas in die iudicii dividentur omnes gentes. [130] Si igitur ita se res habet, quod qui non est cum diabolo, quamvis non videatur contra eum esse, est tamen illi animo contrarius et inimicus, profecto multo magis qui illi contrarius et inimicus manifeste est, cum eo non

Quarta ratio: in mundo duo sunt tantum regna inter se opposita: Dei et diaboli;

128) Ms.: *Quid.* 129) Mt 12, 30. 130) Cf. ibid. 25, 31-33.

est. Sed ego manifeste sum contra eum, dum ad Dei gloriam eicio daemonia ; ergo impossibile est ut sim cum eo et ut in Beelzebub eiciam daemonia. Si igitur vos creditis non dari medium inter Deum et diabolum, ut vere non datur, et propterea cum non velitis credere me in virtute Dei eicere daemonia, necesse est ut credatis me ob id non posse cum diabolo esse, quoniam diabolum ipsum eicio.

si ergo Christus ad gloriam Dei eicit daemonia, impossibile est ut cum diabolo sit.

XI. *Loquente Iesu ad turbas, extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti.* [131] In initio sacrosancti hodierni Evangelii videmus Christum eicientem daemonium et in fine audimus laudes Sanctissimae Matris eius Mariae Virginis Dominae nostrae : *Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti,* quoniam in eo complentur mysteria illa redemptionis nostrae, quae Dominus post peccatum promisit dicens ad serpentem : *Quia fecisti hanc rem, maledictus eris inter omnia animantia et bestias terrae,* idest lues maiores poenas multoque graviores omnibus damnatis, quoniam peccatorum omnium causa extitisti ; *super pectus tuum gradieris,* terram toto corpore reptans tanquam totaliter coelo privatus, totaliter humiliatus atque deiectus ; *et terram comedes,* idest terrenos tantum homines, impios, peccatores ad te trahes illosque devorabis, nam homo peccator pulvis et terra est, sicut dictum est homini post peccatum ; [132] hoc autem *omnibus diebus vitae tuae,* usque ad diem iudicii, cum penitus inferni carcere includeris cum omnibus damnatis; *inimicitias ponam inter te et mulierem,* inter illam mulierem, *et inter semen tuum et semen illius,* inter filios tuos et filium illius, *ipsum* semen, ipse filius, *conteret caput tuum,* omni te potestate et principatu mundi privabit, *et tu insidiaberis, conteres calcaneum eius.* [133] Sic enim videmus in sacrosanto hodierno Evangelio. *Erat Iesus eiciens daemonium:* ecce contritio capitis serpentini ; *Beatus venter qui te portavit :* ecce mulier illa insignis ; scribae autem et Pharisaei calumniantes miracula Christi ex odio et invidia, invidentes et odio habentes Christum, sicut filii Iacob fratrem suum Ioseph, [134] ipsi sunt semen et filii diaboli, quibus Dominus ait : *Vos ex patre diabolo estis.* [135]

In hodierno Evangelio omnia mysteria redemptionis nostrae continentur,

ostenditur enim adimpleta serpentis maledictio, cuius caput semen Beatae Mulieris contrivit.

131) Lc 11, 27. Affert ex Breviario Rom. lectio Evangelii ad Mat. hac Feria. 132) Cf. Gn 3, 19; S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim,* pag. 287-288. 133) Gn 3, 14 15. Ex hebraico. 134) Cf. ibid. 37, 4. 135) Io 8, 44.

De hoc mysterio disserit etiam Divus Ioannes.

De iisdem mysteriis disserit Divus Ioannes in *Apocalypsi*, dum coelestem adducit mulierem et serpentem inimicum ipsius: *Signum magnum apparuit in coelo: mulier amicta sole et luna sub pedibus eius et in capite eius corona stellarum duodecim et in utero habebat:* ecce mulier inimica serpentis; *et ecce draco magnus* et *rufus habens capita septem et cornua decem, et in capitibus eius diademata septem; et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum ... et misit eas in terram; et draco stetit ante mulierem, quae erat paritura, ut cum peperisset, filium eius devoraret.* [136] Sed mulier *peperit filium masculum*, qui *raptus est ... ad Deum et ad thronum eius,* [137] et draco proiectus in terram est persecutusque mulierem. [138]

Merito laudatur Beata Virgo, quia Christus filius eius verus Deus est.

Huic mulieri canitur istud encomium: *Beatus venter*, utique beatus, quia *peperit filium masculum*, qui *raptus est ... ad Deum et ad thronum eius*, peperit filium verum Deum; nisi enim Christus verus Deus fuisset, virtute sua de mundo diabolum eicere nequaquam potuisset. Unde etiam Eva intellexit filium illum, qui serpentis caput contriturus erat, utique non tantum hominem, sed etiam Deum fore; [139] unde, cum filium primogenitum peperit, ait: קָנִיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָה: [140] *Acquisivi virum Deum*, sive *cum Deo*, [141] tetragrammaton; hic est Christus *Emmanuel, nobiscum Deus.* [142]

Diabolus maxima fortitudine, scientia et calliditate praeditus est, quia de supremo ordine Angelorum erat,

XII. Divina, inquam, opus erat virtute ad vincendum diabolum; in eo enim tria sunt: natura, intellectus et voluntas; natura eius infinita prope fortitudine praedita est, intellectus scientia et calliditate, voluntas vero aequali malitia et iniquitate. Quoad fortitudinem videmus in universo hoc quod superior natura inferiori potentior est. Terra impotentissimum est elementum, nulla [potentia] potest seipsam suapte natura movere. Aqua potentia nonnulla praedita est, movet seipsam perpetuo fluxu, ut in fluminibus videmus et in fluxu atque refluxu maris; est etiam elementum terra potentius, cui et prodesse et nocere potest irrigando et inundando. Aer multo potentior aqua est, ut in flatu et spiratione ventorum

136) 12, 1-4. Vulg.: *Et in utero habens*, etc. 137) Ibid. vr. 5. 138) Cf. ibid. vrr. 13-17. 139) Cf. S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim*, pag. 337-338. 140) Ms.: *Kanithi isc eth iehovah.* 141) Gn 4, 2. Ex hebraico. 142) Is 7, 14; 8, 8. 10; Mt 1, 23.

cernimus, estque potentior aqua, movet enim universum mare. Ignis autem potentissimum elementorum est; coelum autem multo potentius igne, hinc trahit secum suo motu universam sphaeram ignis; sic coelum superius trahit secum inferius, et primum mobile omnes inferiores orbes. Supra coelum autem natura angelica est, multo potentior, motrix coelestium sphaerarum.[143] Archangelus Angelo est suapte natura potentior, sic ordo superior inferiori. Lucifer autem de supremo ordine fuit, seraphico, igneo, potentissimo, et princeps caputque illius ordinis.[144]

per peccatum autem naturalia non amisit, quibus solo Deo inferior erat;

Bone Deus! igitur quis dicere potest quae eius sit potentia, quae fortitudo? Non enim hanc peccando amisit, quoniam gratiam peccando, non naturam perdidit. Quot mala posset mundo inferre, nisi Deus potentiam eius freno virtutis suae coerceret tanquam eques ferocissimum equum? Inter omnia creata solus Deus Lucifero natura superior, fortior ac potentior erat.

ideo quamvis lapsus, maxima semper potentia, scientia et malitia pollet.

Idem de scientia dico. Videmus enim superiores naturas maiori claritate praeditas esse, aquam esse clariorem terra, aerem aqua, ignem aere, coelum igne, superius inferiori, sicut luna lucidior sol est. Angelica natura summa praedita est claritate intellectus, sed superior ordo clarior est inferiori; Lucifer autem princeps fuit supremi ordinis; solus igitur Deus, ipso suapte natura superior, maiori erat scientia praeditus. Voluntatis autem eius malitia aequalis est eius tum fortitudini tum scientiae.

Ad eum ergo vincendum opus est Christum divina potentia, sapientia et bonitate praeditum esse.

Ad vincendum igitur diabolum divina opus erat potentia, divina sapientia, divina bonitate. Sic videmus hodie in Christo veluti in arca Dei virgam divinae virtutis,[145] divinam sapientiam in tabulis descriptam[146] et coeleste manna in vase.[147] Divinam potentiam contra diabolum: *Erat Iesus eiciens daemonium;* divinam sapientiam contra membra filiosque diaboli, qui miraculum calumniabantur factumque dicebant in virtute Beelzebub principis daemoniorum; et bonitatem erga infelicem daemoniacum, cui multa simul beneficia largitur, liberat enim eum a vexatione diaboli, illuminat oculos, aperit aures, solvit vinculum linguae, absque ullis meritis ipsius, ex

143) Cf. part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 312, not. 105. 144) Io. Cassianus *Collationes*, coll. 8, (P. L. 49, 733-736). 145) Cf. Nm 17, 10; 20, 9; Hebr 9, 4. 146) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 147) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4.

sola sua misericordia et bonitate : *Cum eiecisset daemonium, locutus est mutus, et admiratae sunt turbae.*

In hoc autem mirabili opere divina bonitas maxime ostenditur.

Magna sunt omnia beneficia haec. Magnus rivus a magno fonte emanat, magnus calor a magno igne, magnus radius a magna luce. Eo autem maiora sunt, quo absque ullis meritis et forte cum multis demeritis collata sunt. Sic utique magna et infinita est erga nos Dei bonitas, benignitas et misericordia, si quis causam consideret ex qua homo a diabolo obsessus fuit; peccatum enim infinitae maiestatis Dei infinita iniuria est, cum homo diabolo potius credere et obedire voluit quam Deo, pessime credens et fidens verbis serpentis quae contra Deum erant ac malitiae et invidiae iniuriam Deo inurebant.[148]

III. ALIA HOMILIA

Erat Iesus eiciens daemonium. [1]

Multos legimus in Sacra Scriptura viros fortissimos,

I. In sacrosancto hodierno Evangelio ostenditur potentia Christi contra diabolum pro salute generis humani. Pro miraculo referunt Divinae Scripturae quod Samson inermis occiderit leonem[2] et asini mandibula armatus occiderit exercitum mille Philisthaeorum armatorum ipse solus;[3] quod David inermis occiderit ursum atque leonem[4] et tandem fortissimum gigantem, qui terrori erat universo exercitui Hebraeorum.[5] Laudat etiam Divina Scriptura tres viros fortissimos duces exercitus David, quorum primus occidit una vice octingentos viros, alter percussit solus exercitum Philisthaeorum *fecitque Dominus salutem magnam* per manum eius, unde merito dicebatur Eleazar; tertius nomine Semma simile facinus exhibuit, cum enim exercitus Israel fugisset a facie Philisthaeorum, ipse solus pugnavit contra universum exercitum et reportavit victoriam fecitque Deus per manum ipsius salutem magnam.[6] Laudat etiam Divina Scriptura de fortitudine Abisai fratrem Ioab, quod lancea sua pugnarit contra trecentos viros et occiderit eos, et Banaiam filium Ioiadae

148) Cf. Gn 3, 1-6.

1) Lc 11, 14. 2) Cf. Idc 14, 6. 3) Cf. ibid. 15, 14-16. 4) Cf. 1 Rg 17, 34-51. 5) Cf. ibid. vrr. 4-10. 6) Cf. 2 Rg 23, 8-12.

quod occiderit duos leones Moab et, quod mirabilius est, in diebus nivis descenderit cisternam ibique leonem occiderit. [7] Facinora profecto ista sunt heroicae fortitudinis.

sed fortissimus omnium Christus, quia diabolum ipsum superavit.

Sed si hodie spectemus fortitudinem Christi, haec sola nobis videbitur admiratione digna: *Erat Iesus eiciens daemonium. Cum fortis armatus custodit atrium suum in pace sunt* omnia *quae possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum.* [8] Fortis proponitur diabolus, sed multo fortior Christus. Diabolus quidem *fortis* et *armatus; fortis* viribus propriis, *armatus* viribus aliorum daemonum, quia princeps est daemoniorum, quia rex est: *Si... satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum eius?* [9] Hinc in Divinis Scripturis designatur diabolus per Og regem Basan, qui pugnavit contra Israelem victusque fuit a Iosue; erat enim ipse gigas fortissimus et armatus copiosissimo ac potentissimo exercitu. [10] Hinc ait: *Cum fortis armatus.*

Unus tantum diabolus fortior est omnibus hominibus, satanas autem omnium Angelorum fortissimus est, quia princeps coelestis exercitus;

Fortis est ipse tanquam gigas fortissimus et *armatus* infinito daemonum exercitu copiisque ac legionibus innumerabilibus. Unus tantum daemon suapte natura fortior est omnibus hominibus; unus enim tantum angelus malus omnes homines posset occidere sicut unus tantum Angelus percussit universam Aegyptum, [11] unus universum exercitum Sennacherib, [12] unus Angelus multa hominum millia in Israel ob peccatum David, quando contra legem Dei populum numeravit; [13] unus Angelus universum exercitum Pharaonis in mari Rubro submersit. [14] Satanas autem suapte natura omnium Angelorum fortissimus est, quoniam princeps conditus fuit Angelorum; [15] eius igitur infinita quodammodo fortitudo est. Sic *fortis* est et *armatus* fortitudine omnium daemonum, qui omnes fortissimi sunt. Sic ipse Goliath est fortis et armatus, sed Christus David est: *Cum autem fortior eo superveniens vicerit eum.*

Christus virtute sua omnes daemones maxima facilitate vincit.

Erat eiciens daemonium, sed quomodo? Sicut lux tenebras pellit. Nec tantum, inquit, *daemonium*, sed *in spiritu Dei*, inquit, *eicio daemonia.* [16] Primo quidem dicit *daemonium* quatenus vincit fortem, deinde *daemonia* quatenus vincit armatum; vincit autem quomodo?

7) Cf. ibid. vrr. 18-20. 8) Lc 11, 21-22. *Omnia* lect. cod. 9) Ibid. vr. 18.
10) Cf. Nm 21, 33 sqq.; Dt 3, 1-3. 11) Cf. Ex 12, 29-30. 12) Cf. 4 Rg 19, 35.
13) Cf. 2 Rg 24, 10-15. 14) Cf. Ex 14, 24 sqq. 15) Cf. Io. Cassianus *Collationes*, coll. 8, (P. L. 49, 733-736). 16) Mt 12, 28. Vulg.: *Eicio daemones.*

In digito Dei,[17] non *in brachio* Dei *extento,* non *in manu* Dei *forti,*[18] sed *in digito,* quae minima pars est manus. Tanta est virtus fortitudinis Christi, ut minimo negotio, minimo virtutis suae gradu, diabolum vincat et superet. Homo quidem uno tantum digito vel nihil operari potest, nisi minimum quippiam movere. Si quis autem magnum lapidem uno moveret digito, hic profecto vir fortissimus ab omnibus haberetur. Christus vero ait : *In digito Dei eicio daemonia.* O vere infinita Christi virtus et fortitudo !

Exercet diabolus potestatem suam contra hominem,

II. Diabolus quidem sua usus est potestate contra hominem, Christus autem pro homine. Diabolus hominem in suam potestatem redactum excaecavit mutumque et surdum fecit :[19] caecum profecto reddidit, ut homo nec Deum nec seipsum cognosceret ; mutum, ne Deum laudaret et peccata sua accusaret ; surdum, ne Dei vocem audiret divinamque legem observaret. Si universum populum gentilem mundumque universum consideremus in eo statu, in quo erat cum Christus venit in mundum, plane hominem daemoniacum videbimus caecum, surdum et mutum ; erat enim subiectus diabolo per idololatriam, nec nisi daemonibus serviebat. Caecus erat, quia Deum minime cognoscebat et omnino ignorabat ; hinc erat Athenis ara, in qua scriptum erat : *Ignoto Deo.*[20] Erat surdus, quia Dei voces minime audiebat, nec legi divinae nec Prophetis obediebat, nec credebat quidem, sed deridebat. Mutus erat, quia Deum minime laudabat, nec pro acceptis beneficiis gratias agebat, nec peccata sua Deo accusabat vel veniam petebat divinam misericordiam et clementiam implorando.

quem in vilissimum statum redegerat,

Nunc autem Christi opera mundus Deum creatorem agnoscit mundique gubernatorem creditque in Deum. Credit etiam Divinis Scripturis, audit divinae legis praedicationem obeditque divinis mandatis. Loquitur, laudat Deum, ut fit in omnibus ecclesiis septies in die, *in psalmis . . . hymnis et canticis spiritualibus*[21] laudatur Deus. Habet nunc mundus solutam linguam ad confitendum peccata sua, ad implorandum divinam misericordiam; nec amplius idolis servit, sed unum verum Deum adorat et colit.

Christus autem nonnisi in beneficium hominis, quem ad divina sublevavit.

17) Lc 11, 20. 18) Cf. Dt 5, 15; 26, 8. 19) Cf. Mt 12, 22; Lc 11, 14. Cf. supra, hom. secunda huius diei, pag. 94. 20) Act 17, 23. 21) Eph 5, 19.

Hoc autem quomodo factum est? *In digito Dei eicio daemonia,* non in brachio Dei, non in manu Dei, sed *in digito Dei.* Cum Deus eduxit Israel de Aegypto, eduxisse dicitur *in manu forti et brachio extento,* [22] quoniam id per meram potentiam agere visus est, multis plagis gravissimis percutiendo Aegyptum. [23] Sed ad liberandum mundum de potestate diaboli non potentia usus est, sed infirmitate, non maiestate et gloria, sed humilitate. Si enim Christus venisset in mundum in maiestate sua, sicut veniet ad iudicandum, [24] si apparuisset gloriosus sicut in transfiguratione comitatus Moyse et Elia, [25] si electos suos in hac vita glorificasset et incredulos damnasset, *in manu forti et brachio extento* liberasset mundum de potestate diaboli. Sed voluit *in digito Dei* eicere daemonia, per mortem et passionem suam, virtute Crucis; hic baculus est, quo David contra Goliam perrexit armatus. [26] O magnum miraculum! Merito *cum eiecisset daemonium... admiratae sunt turbae.* Sic etiam dedit potestatem hominibus dimittendi peccata [27] et eiciendi daemonia, [28] unde peccatores iustificantur et sanctificantur fiuntque templa Dei. Hoc est *in digito Dei* eicere daemonia per hominem vilem et miserabilem vincere diabolum et universam tartaream potestatem.

Christus dicit se daemonia eicere *in digito Dei* ad significandum se daemonium superasse non tantum potentia,

sed potius humilitate.

IV. ALIA HOMILIA

Erat Iesus eiciens daemonium, et illud erat mutum. Et cum eiecisset daemonium, locutus est mutus, et admiratae sunt, etc. [1]

I. Hominem videmus hodie a daemonio obsessum, caecum, surdum et mutum. [2] Sicut autem Saul propter inobedientiam meruit ut discederet ab eo spiritus Domini et arriperet eum spiritus malus, [3] sic Adam propter transgressionem divini praecepti amisit gratiam Spiritus Sancti una cum ipso Spiritu Sancto et sub diaboli potestate constitutus fuit. [4] Tunc caecus, surdus et mutus evasit. Fides

Daemoniacus evangelicus figura Adae propter peccatum sub potestate diaboli constituti.

22) Dt 5, 15; 26, 8. 23) Cf. Ps 104, 27-37. 24) Cf. Mt 25, 31. 25) Cf. ibid. 17, 3; Mc 9, 3; Lc 9, 30. 26) Cf. 1 Rg 17, 40. 27) Cf. Io 20, 23. 28) Cf. Mt 10, 1-8; Mc 6, 7-13; Lc 9, 1; 10, 17-20.

1) Lc 11, 14. 2) Cf. Mt 12, 22. Cf. supra, hom. secunda huius diei, pag. 94. 3) Cf. 1 Rg 15, 1-23; 16, 14. 4) Cf. Gn 3, 6-11.

est lumen oculorum nostrorum, spes divinae misericordiae et bonitatis movet linguam ad orandum ad Deum et caritas aperit aures nostras ad obediendum Deo : *Si quis diligit me, mandata mea servabit.* [4*]

nam ob peccatum originale genus humanum fidem, spem et caritatem perdidit et mancipium diaboli evasit.

Ob illud autem peccatum universum genus humanum perdidit caritatem propter transgressionem praecepti, quia seipsum suamque gloriam magis dilexit quam Deum ; perdidit spem, quia promissionibus serpentis magis fidit quam Dei ; perdidit fidem, quia serpenti magis credidit quam Deo. Hinc nos omnes nascimur cum peccato originali, a diabolo obsessi, unde exorcizatur homo ante Baptismum, [5] et nascimur sine fide, sine spe, sine caritate, absque omni virtute ; nam in Baptismo una cum gratia infunduntur nobis omnes virtutes et dona Spiritus Sancti, praecipue vero tres theologicae virtutes : fides, spes, caritas. Et sic videmus daemoniacum caecum, mutum et surdum omnem hominem ante Baptismum, et hominem a daemone liberatum, illuminatum, donatum loquela et auditu. Magnum plane miraculum : *Admiratae sunt turbae.*

Proponuntur in hodierno Evangelio duo regna: Dei et satanae;

II. Habemus autem in sacrosancto hodierno Evangelio duo regna : alterum quidem Dei : *Si in digito Dei eicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei;* [6] alterum vero diaboli : *Si . . . satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum eius ?* [7] Regnum Dei sunt turbae credentes et admirantes virtutem Christi : *Cum eiecisset daemonium, locutus est mutus, et admiratae sunt turbae.* Regnum autem diaboli scribae et Pharisaei non credentes, sed calumniantes miracula Christi : *Quidam autem . . . dixerunt : In Beelzebub principe daemoniorum eicit daemonia.* [8] De his duobus regnis ait Christus : *Qui non est mecum, contra me est, et qui non congregat mecum, spargit.* [9] Regnum Dei sunt *qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud;* [10] regnum Dei est homo a daemonio virtute Christi liberatus, qui videt, audit et loquitur. Regnum autem diaboli est homo daemoniacus, caecus, surdus et mutus. Omnis homo necesse est ut ad alterutrum horum regnorum spectet, non enim inter haec datur medium, sicut nec inter

ad alterutrum pertinere necesse est.

4*) Io 14, 23. Vulg.: *Sermonem meum servabit.* 5) Cf. Rituale Rom. tit. 2, *De Sacramento Baptismi,* cp. 2. 6) Lc 11, 20. 7) Ibid. vr. 18. 8) Ibid. vr. 15. 9) Mt 12, 30. 10) Lc 11, 28.

gratiam et peccatum. Omnis homo vel est servus et vassallus Dei vel diaboli : *Qui non est mecum, contra me est, et qui non congregat mecum, spargit.*

Nunc igitur videndum nobis est, fratres, an regnum Dei sumus. Regnum Dei, inquit Apostolus, iustitia et pax in sanctificatione veritatis.[11] Videndum est an simus filii lucis an tenebrarum,[12] de grege Iacob an de grege Laban,[13] si sumus cum Isaac filii liberae an filii ancillae secundum carnem,[14] si sumus de servitute Esau an de semine Iacob,[15] munda an immunda animalia in hac arca Noe;[16] non enim datur inter haec medium.

Videndum nobis est ad quodnam pertineamus;

Omnis homo vel est templum Spiritus Sancti vel templum satanae. Qui a satana possidetur, caecus est, mutus est, surdus est; qui autem a Christo ereptus est de potestate satanae, videt, audit et loquitur, hoc est cognoscit Deum et seipsum, obedit Deo et libenter audit verba Dei, nam : *Qui ex Deo est verba Dei audit,*[17] loquitur laudando Deum et confitendo peccata sua, accusando seipsum, orando ad Deum.

captivus satanae caecus, mutus et surdus est; liberatus a Christo videt, audit et loquitur divina;

Sed, heu! ubi est inter nos hodie ista visio, hic auditus, loquela ista? Quomodo videmus, si lutum vitiorum auro virtutum praeferimus, terram coelo,[18] mundum Deo? Si satanae magis obedimus quam Christo thesaurizando in terra, non in coelo,[19] vivendo secundum mundanam concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitae?[20] Mundi vitia sectando quam imitando Christum?

sed multi sunt qui de satanae magis quam de Christi regno esse volunt.

III. Sed vide, o homo, vide et audi. Deus misertus tui, ut te a daemonio liberaret, dedit legem e coelo, misit Prophetas sanctos, tandem misit unigenitum Filium suum. Venit Christus et annis triginta tribus laboravit, ut te a diaboli potestate liberaret; praedicavit Evangelium, operatus est miracula, instituit Sacramenta, passus est multa incommoda, tandem illusus, flagellatus, spinis coronatus, crucifixus, mortuus et sepultus est. Liberavit te a daemonio, sed ita tamen ut iterum possis in diaboli potestatem redigi. Hoc est enim

Multa fecit Deus ut nos a potestate daemonis liberaret.

11) Cf. Rom 14, 17. 12) Cf. Io 12, 36; Eph 5, 8-9; 1 Thess 5, 5; 1 Io 1, 5-7. 13) Cf. Gn 30, 32-42. 14) Cf. Gal 4, 21 sqq. 15) Cf. Rom 9, 6-13. 16) Cf. Gn 7, 2. 17) Io 8, 47. 18) Ms.: *Coelum.* 19) Cf. Mt 6, 19-20. 20) Cf. 1 Io 2, 16.

sed si iterum sub potestate diaboli redierimus, poenas maiores dabimus quam quisque infidelis.

quod ait hodie: *Cum immundus spiritus*, etc., *fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.* [21] Christiane, si tua culpa iterum in diaboli potestatem redactus caecus, surdus et mutus factus es, multo maiora tormenta poenasque in inferno dabis, quam quisque infidelis, qui nunquam fidem Christi percepit. Malus enim christianus male vivendo *fidem negavit et est infideli deterior,* [22] cum enim verbis confiteatur se nosse Deum, factis negat [23] et inimicus ac rebellis Dei constituitur. Principes autem multo gravius puniunt rebelles quam inimicos.

Cavendum igitur nobis est ab omni peccato, maxime a recidivo.

Cavendum nobis est ab omni peccato, maxime autem a recidivo, quoniam sicut accidit in corporali infirmitate, ita in spirituali. David de peccato adulterii et homicidii [24] facile a Deo veniam obtinuit; mox enim ut ait corde contritus: *Peccavi Domino,* audivit a Propheta: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum;* noli timere, *non morieris.* [25] At non sic accidit cum iterum peccavit numerando populum ex animi elatione, contra Dei praeceptum; sed in poenam illius peccati vel famem septem annorum, vel bellum plurium mensium, vel pestem plurium dierum eligere compulsus fuit. [26] Sic recidivum peccatum [27] semper multo magis displicet Deo, et reincidens in manus diaboli multo arctiori custodia vinculisque fortioribus constrictus servabitur, ne iterum effugiat e carcere peccati. Nabuchodonosor rex Babelis, cum urbem Ierosolymam primo cepisset, expoliavit eam omnibus bonis omnemque nobilitatem captivam duxit. [28] At quoniam postea defecit ab eo civitas, iterum captam, ne iterum deficeret, igne combussit summisque malis affecit. [29] Sic diabolus saevius agit in eos qui iterum peccant, sicut multo peius tractavit Iob, cum secundo accepit a Deo potestatem super eum; priori enim vice eum bonis privavit, sed posteriori pessimis plagis percussit malisque extremis afflixit. [30] Sic inquit: *Fiunt novissima hominis illius peiora prioribus,* quoniam prius ab uno tantum spiritu immundo inhabitabatur, sed postea a multis nequioribus.

quod in peiorem servitutem et arctiorem custodiam diaboli nos constringet.

IV. Cavendum est a peccatis, quoniam sicut accidit in infirmitatibus corporalibus, ita accidit in spiritualibus. Sunt aliquae corpo-

21) Lc 11, 24-26. 22) 1 Tim 5, 8. 23) Cf. Tit 1, 16. 24) Cf. 2 Rg 11, 2 sqq. 25) Ibid. 12, 13. 26) Cf. ibid. 24, 1-13; 2 Par 21, 1-12. 27) Ms.: *Peccati.* 28) Cf. 4 Rg 24, 10-16. 29) Cf. ibid. 25, 1-21. 30) Cf. Iob 1, 11-2, 1-8.

rales infirmitates adeo graves, ut sint omnino incurabiles et mortales et omnino desperata sit salus. Sicut igitur corporalis infirmitas ad eum malitiae gradum pervenit, ut impossibilis sit secundum naturam curatio, et infirmus tunc a medicis tanquam mortuus derelinquitur, sic spiritualis infirmitas ad eundem gradum pervenire potest. Hinc legimus : Qui peccaverit in Filium, *remittetur ei; qui autem* peccaverit *in Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro.* [31]

Cavendum etiam est a recidivo ne infirmitas spiritualis incurabilis evadat,

Non dico quod sit aliquod peccatum quod Deus non potest remittere, sed quod est aliquod peccatum, quod Deus iusta indignatione commotus non vult remittere. Hinc apud Amos prophetam saepe legimus : *Super tribus sceleribus... et super quartum non convertam eum.* [32] Absque poenitentia autem non est remissio peccati ; poenitentia autem fit per conversionem ad Deum. Sed non convertitur ad Deum nisi convertat Deus : *Converte nos, Domine, et convertemur ad te.* [32a] At Deus dicit : *Non convertam eum super quartum* scelus, cum homo traditus fuerit *in reprobum sensum* [33] et corde duro ac impoenitenti thesaurizat sibi iram. [34]

non quia Deus eam curare non possit, sed quia reincidentia in peccatum indurat cor et indignum reddit gratia Dei,

Cum enim homo ad certum quendam malitiae gradum pervenerit, qui Deo cognitus est, tunc Deus indurat cor illius, sicut cor Pharaonis ; [35] et sicut de Aegyptiis legimus, quod Deus *convertit cor eorum, ut odirent populum eius et dolum facerent in servos eius,* [36] sic facit Deus iis qui eo devenerint, ut ex certa malitia in Spiritum Sanctum peccent. Cum enim impleverint mensuram peccatorum suorum, cum consummata fuerit Chananaeorum iniquitas, [37] tunc nulla est spes salutis. Non quod Deus non possit, sed quod, ita exigente divina iustitia, non vult tam gravia peccata totque et talia scelera dimittere, sicut nec ad preces Samuelis voluit dimittere peccatum Saul. [38]

et impleta mensura peccatorum, misericordia locum dat iustitiae.

Semper igitur magno cum timore vivendum nobis est, ne impleamus mensuram peccatorum nostrorum et quaerentes postea spatium poenitentiae invenire non possimus, [39] sicut Esau qui, quoniam *pro-*

31) Mt 12, 32. 32) 1, 3. 6. 9. 11. 13; 2, 1. 4. 6. Vulg.: *Super quattuor*, etc.
32a) Thr 5, 21. Vulg.: *Domine, ad te, et convertemur.* 33) Rom 1, 28. 34) Cf. ibid. 2, 5.
35) Cf. Ex 4, 21; 9, 12; 10, 1. 20; 14, 8. 36) Ps 104, 25. 37) Cf. Dt 7, 1-10; 9, 5.
38) Cf. 1 Rg 15, 35-16, 1. 39) Cf. Missale Rom. Feria Quarta Cinerum, respons. in benedictione Cinerum.

Timendum ergo nobis est ne impleamus mensuram peccatorum et quaerentes spatium poenitentiae invenire non possimus;

pter unam escam, ut Apostolus ait, *vendidit primitiva sua... postea cupiens hereditare benedictionem... non... invenit poenitentiae locum, quanquam cum lacrimis exquisisset eam.* [40] Nam hoc est quod idem dicit Apostolus: *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis... non relinquitur hostia pro peccatis, terribilis autem quaedam expectatio iudicii et aemulatio ignis* aeterni, *quae consumptura est adversarios.* Et subiungit: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiae contumeliam fecerit?* [41] Divus Augustinus libro *De Vita Christiana*, cp. 4, docet quod cum homo impleverit mensuram et numerum peccatorum suorum, qui nobis quidem ignotus est, soli autem Deo cognitus, non potest amplius invenire apud Deum misericordiam, ita exigente severitate divinae iustitiae. [42]

non tamen desperandum, sed summo studio semper a peccatis abstinendum.

Nec tamen debet quis hinc ansam sumere desperationis, quoniam solus Deus novit plenitudinem huius mensurae; sed quisque debet cum magno timore et tremore salutem suam operari [43] et summo studio ac diligentia pro viribus semper a peccatis abstinere omnesque peccati occasiones et causas evitare, ne sibi damnationem acquirat; et dum peccati alicuius tentatione impetitur, dicat: Absit a me ut tale peccatum committam. Quis enim scit ne [44] hoc peccatum sit ultimum quod requiritur ad explendum numerum implendamque mensuram peccatorum meorum, ita ut iram et indignationem Dei incurrens, non possim postea gratiam et misericordiam invenire apud Deum, et iusto iudicio Dei damnatus, ad aeternas poenas in manus diaboli tradar? Absit, absit a me omne peccatum, ne hoc sit peccatum novissimum et fiant novissima mea peiora prioribus. Hoc novissimum cogitandum nobis semper est.

Ad conservandam gratiam maxima sensuum custodia opus est.

V. *Erat Iesus eiciens daemonium, et illud erat mutum*, etc. Homo iste infelix daemonis opera factus fuerat caecus, surdus et mutus. Sic enim diabolus hominem reddit quoad ea quae Dei sunt. Sed

40) Hebr 12, 16-17. Vulg.: *Inquisisset eam.* 41) Ibid. 10, 26-29. Vulg.: *Non relinquitur pro peccatis hostia . . . et ignis aemulatio. . . vel tribus testibus*, etc. 42) P. L. 40, 1035-1036. 43) Cf. Phil 2, 12. 44) Ms.: *Nec.*

et Spiritus Sanctus hominem, in quo habitat, caecum, surdum et mutum constituit, sed ad ea quae sunt mundi et carnis. Iussit enim Deus arcam Noe bitumine liniri intus et foris, ne in eam ingrederetur aqua diluvii.[45] Nunc autem diluvium peccati totum mundum replevit : *Mundus totus in maligno positus est;*[46] *Adulterium, furtum, mendacium, maledictum* et periurium *inundaverunt;*[47] *Omne quod est in mundo,* etc.[48] Maxima igitur custodia opus est sensuum, sensuum tum exteriorum tum interiorum. Sic clausit a foris ostium arcae Dominus,[49] nam mors per fenestras sensuum intrat in animam.[50]

VI. Sicut ostenditur in hoc Evangelio Christi tum potentia tum bonitas tum sapientia, ita et diaboli potentia ostenditur : *Cum fortis armatus,* hac potuit hominem hunc caecum, surdum et mutum facere ; malitia, qua ob odium Dei et hominis huic tanta mala intulit et omnibus inferre cupit ; sapientia, qua *daemonium* dicitur – unde c a l o d a e m o n e s et c a c o d a e m o n e s,[51] – sed sapientia nonnisi in malum utitur ad calumniandum opera Dei et Christi, sicut hodie per scribas et Pharisaeos facit : *In Beelzebub principe,* etc. – hinc dictus est *diabolus,* idest c a l u m n i a t o r ;[52] – deinde *vadit et assumit secum septem alios spiritus nequiores se,* ut fiant *hominis . . . novissima peiora prioribus;*[53] prudentia utitur, unde *serpens* dictus est callidissimus,[54] in perniciem hominis. Christus autem potentior est eo et sapientior multoque animo promptior ad iuvandum et benefaciendum, quam daemon ad nocendum et malefaciendum. Et vae nobis nisi ita esset !

Ostenduntur in hoc Evangelio diaboli potentia, malitia et sapientia,

a potentia, sapientia et bonitate Christi superatae.

VII. *Cum eiecisset daemonium,* etc. Daemoniacum hunc in duplici statu ostendit Evangelium : primo in statu infelicissimo, secundo in statu felicissimo ; prius erat mancipium diaboli infelicissimum, secundo factus est per Christum filius Dei, accepta gratia Spiritus Sancti, per quam a daemonio liberatus est. Prius erat caecus, surdus et mutus ; postea per Christi gratiam videt, audit et loquitur. Omnis

Ostenditur etiam duplex status daemoniaci huius, ante et post liberationem;

45) Cf. Gn 6, 14. 46) 1 Io 5, 19. 47) Os 4, 2. Vulg.: *Maledictum et mendacium. .. et furtum et adulterium inundaverunt.* 48) 1 Io 2, 16. 49) Cf. Gn 7, 16. 50) Cf. Ier 9, 21. 51) Ex graeco Καλόν-δαίμων, *bonum sciens,* et Κακόν-δαίμων, *malum sciens.* Cf. S. Beda *Elementa Philosophiae* (spuria), lib. 1, (P. L. 90, 1131). 52) Ex graeco Διάβολος. 53) Lc 11, 26. Vulg.: *Assumit septem alios spiritus secum . . . novissima hominis,* etc. 54) Cf. Gn 3, 1.

autem homo in alterutro horum statuum ut inveniatur necesse est, non enim datur medium inter gratiam et peccatum.

hic tamen obsessus tantum corpore erat, Pharisaei vero etiam spiritu;

Reperimus autem in hodierno Evangelio daemoniacos non tantum corpore obsessos a diabolo, sed etiam spiritu, quales erant scribae et Pharisaei calumniatores miraculorum Christi. Hi caeci spiritu erant, non videntes solem iustitiae, [55] surdi, non audientes vocem Christi, muti, non laudantes, sed calumniantes opera Christi. Et multo peius est spiritu quam carne a diabolo obsessum esse, nam ait : *Qui peccaverit in Spiritum Sanctum*, calumniando opera divinitatis Christi, *non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro.*

nam qui opera Christi calumniantur virtutem irridendo, vere obsessi a diabolo sunt.

Videamus igitur, fratres, ne in spiritu a diabolo obsessi simus, ne fiant *novissima* nostra *peiora prioribus* et peius quam infideles damnemur. Multi sunt qui spiritu a diabolo obsessi calumniantur opera Christi. Quis dubitet quod magnum Christi opus est conversio peccatoris ? *Haec mutatio dexterae excelsi,* [56] haec est liberatio hominis a daemonio, quae in hodierna liberatione designatur. Sed multi opus hoc calumniantur ; videntes enim quod iuvenis aliquis, qui prius secundum carnem et mundum vivebat in vitiis et peccatis, divina gratia praeventus novam vitam instituat secundum spiritum, secundum virtutem, secundum Deum, incipiunt irridere eum ac subsannare quod velit aliis sanctior esse ; vocant hypocritam, simulatorem, etc. Quid est hoc nisi opus Christi calumniari et diabolo tribuere ? Hi sunt irrisores pestilentes : *Et in cathedra pestilentiae,* hebraice *irrisorum, non sedit.* [57]

Christus in mundum venit ut diabolum eiciat; ad hoc tota eius vita directa fuit.

VIII. *Erat Iesus eiciens daemonium.* In hoc totus incumbit Christus, ut daemonium eiciat, ad hoc venit in mundum ; hinc *Sol iustitiae* [58] appellatus est. Sicut autem sole nostrum hemisphaerium intrante, discedunt tenebrae noctis, sic Christo veniente in mundum, depulsae sunt tenebrae daemonum. Incarnatio Christi incarceratio diaboli fuit, nativitas Christi mors diaboli, circumcisio Christi plaga et vulnus diaboli ; baptismus Christi submersio diaboli Pharaonis in mari Rubro, ieiunium Christi debilitatio diaboli, passio Christi afflictio diaboli, crux Christi patibulum diaboli, clavi et spinae Christi

55) Cf. Mal 4, 2. 56) Ps 76, 11. 57) Ps 1, 1. 58) Mal 4, 2.

catenae et flagella diaboli, mors Christi sepultura diaboli, resurrectio Christi perpetuus casus et ruina diaboli, ascensio Christi praecipitium diaboli, gloria Christi confusio diaboli, exaltatio Christi humiliatio diaboli, paupertas Christi inopia diaboli, iudicium Christi perpetua damnatio diaboli, paradisus Christi infernus diaboli, potentia Christi infirmitas diaboli, sapientia Christi muscipula et deceptio diaboli, bonitas Christi damnum diaboli, amor Christi odium diaboli. Totus Christus contra diabolum.

Etiam post liberationem a daemonio potest homo iterum in manus eius per peccatum incidere;

IX. *Erat Iesus eiciens daemonium . . . Et cum eiecisset daemonium, admiratae sunt turbae.* In principio hodierni Evangelii habemus hominem a Christo liberatum ; sed in fine hominem a septem nequissimis spiritibus post liberationem oppressum : *Cum immundus spiritus*, etc., *assumit septem alios spiritus . . . nequiores se et ingressi habitant ibi et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus*, sic permittente Deo ob ingratitudinem. Hoc autem dicitur ad ostendendum quod Christus liberat quidem hominem a potestate diaboli per gratiam suam dimittendo peccatum, sed ita tamen ut possit iterum in manus diaboli per peccatum incidere quodque recidivum peccatum[59] multo peius est.

servitus autem ista peior erit priore, quia recidivus multo gravius a Deo punitur,

In Lege praecepit Dominus ut servus quisque septimo anno a servitute liber abire permitteretur a domino ; sed si sponte sua servire vellet, perforaretur auris ipsius in signum servitutis et perpetuo serviret, cum libertate a Deo sibi tradita frui noluerit. [60] Sic multo peioris conditionis declaratur servus, qui sua sponte vult sub iugo servitutis manere ob amorem uxoris, sensu carnis et sanguinis ductus. Sic quicunque liberatus a Christo a servitute diaboli, sua sponte postmodum vult satanae servire, multo peius habebit. Nam qui facile peccat multo gravius puniendus a Deo est. Hoc est quod legimus quod si virgo a viro quopiam in agro fuerit deflorata, non erat iudicanda rea mortis, quoniam clamare potuit vim passa et non fuit qui succurreret ei ; at si fuerit deflorata in civitate, rea mortis condemnaretur et lapidaretur, quoniam si vim passa fuisset, clamare potuisset ut succurreretur, [61] nam in civitate multi clamantem au-

nam potius voluntate quam fragilitate peccat.

59) Ms.: *Peccati.* 60) Cf. Ex 21, 1-6. 61) Cf. Dt 22, 23-27.

dire et succurrere potuissent. Peccatum igitur quod facile committitur voluntate potius quam necessitate Deus gravissime punit. Anima nostra virgo est ob fidem et gratiam Dei. Vult eam satanas opprimere ac deflorare per peccatum. Clamet, quia in civitate est, Ecclesia nanque civitas est Dei magni, [62] clamet, quia succurrent ei Angeli, succurrent ei Sancti, succurret ei Deus.

62) Cf. Ps 47, 2-3. 9.

FERIA SECUNDA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

Sicut Deus omnibus dat naturalia bona, sic pro salute omnium Filium suum in mundum misit;

I. Sicut[1] Deus *solem suum oriri facit* in coelo tum *super bonos* tum super *malos, et pluit super iustos et iniustos,*[2] faciens naturalia ac temporalia bona communia omnibus, sic utique, cum velit omnes homines salvos fieri,[3] ad instar optimi patrisfamilias, qui suapte natura omnes filios diligens omnibus sua bona largitur et multo ampliora cupit, misit Filium suum in mundum pro omnium hominum salute : *Lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuae Israel,*[4] *non enim est acceptio personarum apud Deum.*[5] Christus autem in mundo iuxta voluntatem Dei dispensator fuit divinarum gratiarum coelestiumque thesaurorum : *Acceperunt* omnes *singulos denarios.*[6] Sicut ignis accensus in medio omnibus circumstantibus aequaliter calorem suum communicat, et sol in coelo omnibus astris aequaliter suum lumen ; non tamen aeque eos qui prope et eos qui longe sunt ignis calefacit, sed propinquiores magis, longinquiores minus, non quod partialis ipse sit, sed quia longinquiores non magis accedunt ; sic Deus, sic Christus. Quare iniuria conqueruntur hodie Nazareni de Christo, quod plura in Capharnaum quam in Nazareth patria sua miracula faceret : *Quanta audivimus facta in Capharnaum fac et hic in patria tua,*[7] quoniam culpa ipsorum, non Christi erat, apud quem *non . . . est personarum acceptio,* sed aeque omnium cupiebat et operabatur salutem.

culpandus ergo non est si non omnes salvantur.

1) In margine haec alia introductio adiecta fuit: « Sicut communiter pro omnibus hominibus Deus mundum hunc, coelum et terram, creavit communiterque pro omnibus producit quaecunque ad sustentandam hanc mortalem vitam necessaria sunt, dat tempora, dies, noctes, hiemem, aestatem omnibus communia, sic utique *omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire.* Quod si quis perit, non Dei, sed sua utique culpa perit. Hinc immerito hodie conqueruntur Nazareni: *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.* Cupiebat enim Christus eadem in Nazareth operari quae in Capharnaum operatus fuit, sed non potuit *ibi virtutes multas* facere *propter incredulitatem eorum* ». 2) Mt 5, 45. 3) Cf. 1 Tim 2, 4. 4) Lc 2, 32. 5) Rom 2, 11. 6) Mt 20, 9. 7) Lc 4, 23.

Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua. [8]

Apud Deum non est personarum acceptio, quia universalis est omnium pater,

II. Conqueruntur de Christo Nazareni hodie ac si partialis esset et extraneos magis diligeret beneficiisque afficeret quam suos ; falsa tamen calumnia est. Et sicut Adam peccatum culpamque suam in Deum quodammodo retorsit dicens : *Mulier, quam dedisti mihi . . . dedit mihi ex eo et comedi,* [9] sic isti peccatum suum in Christum retorquent. *Non est apud Deum personarum acceptio,* sed universalis est omnium pater. Sic Moyses ait : *Dominus Deus vester, ipse est Deus deorum et Dominus dominantium, Deus magnus et potens et terribilis, qui personam non accipit nec munera.* [10] Sic Iosaphat rex sanctus : *Non est iniquitas apud Dominum Deum nostrum nec personarum acceptio nec cupido munerum.* [11] Sic Divus Petrus: *In veritate comperi quia non est personarum acceptio apud Deum, sed in omni gente, qui timet eum et operatur iustitiam, acceptus est illi,* [12] hoc dicens in conversione Cornelii centurionis ; et alibi : *Patrem invocatis eum, qui sine personarum acceptione iudicat secundum uniuscuiusque opus.* [13] Sic docet Paulus *Romanos: Non . . . est acceptio personarum apud Deum,* et *Galatas: Deus personam hominis non accipit.* [14] Hoc est quod Deus iussit erigi divinum tabernaculum, locum orationis et gratiarum divinarum, in medio castrorum, ut tres tribus essent a parte orientali ipsius tabernaculi, tres a parte occidentali, tres ab aquilonari et tres ab australi ; [15] hoc est quod divinum propitiatorium erat in medio duorum cherubim, [16] et Deus visus est Michaeae in medio coelestium exercituum. [17] Stat in medio, non est partialis ; est sicut sol positus in medio planetarum, tres enim habet supra et tres infra se ; aeque tamen omnes illuminat. Sic Deus *vult omnes homines salvos fieri.* [18]

sicut docet Sacra Scriptura,

ideo *omnes homines vult salvos fieri.*

Nec tamen contra iustitiam operatur Deus eo quod uni maiorem conferat gratiam quam alteri, tanquam rex dans exercitui stipendia,

8) Pericope huius diei Lc 4, 23-30. Cf. Missale Rom. 9) Gn 3, 12. 10) Dt 10, 17. 11) 2 Par 19, 7. Vulg.: *Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas,* etc. 12) Act 10, 34-35. Vulg.: *Non est personarum acceptor Deus,* etc. 13) 1 Petr 1, 17. Vulg.: *Qui sine acceptione personarum,* etc. 14) 2, 6. 15) Cf. Nm 2, 1 sqq. 16) Cf. Ex 25, 17-20; 37, 6-9; 3 Rg 6, 23-28. 17) Cf. 3 Rg 22, 19. 18) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult,* etc.

dans maius stipendium duci quam militi et imperatori quam duci, non facit alicui iniuriam ; et dans servis munera ex sua liberalitate, si huic maius illi vero minus dat, iniquitatem minime operatur ; pater etiam unum magis diligit filium quam alterum, sicut Iacob magis diligebat Ioseph[19] et Beniamin[20] quam ceteros filios. Voluit Deus Ecclesiam suam esse sicut castrorum aciem[21] ordinatam.[22] Nunquid in exercitu omnes sunt duces ? in civitate omnes nobilitate et dignitate aequales ? in regno omnes reges ? in corpore humano omnia membra caput ? in coelo omnes stellae soles ? in mundo omnia entia unius tantum speciei ? Sic in Ecclesia sua plures voluit esse personarum status : *Uni* quidem *dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem :*[23] confert gratiam supernaturalem secundum naturalem nonnunquam dispositionem, sicut multi sunt naturaliter propensi et apti ad actionem magis quam ad contemplationem, alii e contra. Sic diversa sunt hominum ingenia, quibus Deus diversa confert coelestia munera ad utilitatem Ecclesiae suae ; hoc est : *Unicuique secundum propriam virtutem*, idest naturalem ad operandum facultatem.

Nec est contra iustitiam si uni maiorem conferat gratiam quam alteri,

quia in Ecclesia plures constituit personarum status, sicut et in natura,

Quod si dicas : Cur non omnibus aequalem dedit naturalem hanc virtutem ? Dices : Cur non omnibus astris aequalem dedit lucem? Cur non elementa omnia coelum [fecit] ? Cur non omnia metalla aurum ? Cur non omnes lapides margaritam ? Cur plantis non dedit sensum et motum sicut animalibus ? Cur animalibus non dedit intellectum sicut hominibus ? Cur homines non fecit incorporeos sicut Angelos ? Cur non omnibus membris corporis dedit omnes sensus sicut capiti ? At quisnam tunc esset naturae ordo, quae pulcritudo, quis ornatus ? Ubi eluceret divina sapientia, divina virtus, divina omnipotentia ?

et in hac varietate consistit pulcritudo naturae et elucet divina sapientia atque potentia.

III. Hinc elucet quam stulta sit hodie Nazarenorum querulosa petitio : *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac,* etc. Veluti si terra conquereretur cum Deo : Quot astra dedisti coelo da et mihi ; si luna quod maiorem dedisset lucem soli quam sibi, sicut Rachel, videns quod Lia soror fecunda esset multosque filios pareret, dixit

Stulte ergo conqueruntur Nazareni de Christo Capharnaum invidentes.

19) Cf. Gn 37, 3-4. 20) Cf. ibid. 44, 22 sqq. 21) Ms.: *Acies ordinata.*
22) Cf. Ct 6, 3. 9. 23) Mt 25, 15.

nisi ipsemet Deus Deique gloria, sicut creavit Deus mundum hunc magnum ad ostendendam potentiam, sapientiam et bonitatem suam, ita creavit hominem, ut in electis ostenderet caritatem et misericordiam suam, in reprobis vero iustitiam.

Ita enim elegit Abraham non Nachor, Isaac non Ismaelem, Iacob non Esau.

Potuisset igitur Christus simpliciter respondere dicens : Quia sic volo, sic mihi placet largiri dona mea, dispensare bona, offerre munera cui magis libet, absque ulla iniquitate et iniusta acceptione personarum. Sic enim Deus Abraham elegit non Nachor ex filiis Thare, [36] Isaac non Ismael ex filiis Abrahae, [37] Iacob non Esau ex filiis Isaac, [38] Hebraeos Israelitas, non Aegyptios aut Chananaeos ex universis gentibus mundi, quibus, non aliis, ex mera sua liberalitate et gratia beneficia spiritualia tanquam electo populo contulit.

Respondere etiam potuisset secreta divini consilii imperscrutabilia esse

Potuisset etiam respondere quod secreta divini consilii sunt imperscrutabilia ; sic enim Divus Paulus respondit loquens de vocatione et electione Ecclesiae Gentium, reprobata synagoga Iudaeorum : *Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem eorum; ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnia in incredulitatem, ut omnium misereatur. O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit... et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in saecula.* [39]

Ipsis Angelis abscondita,

Potuisset istis dicere Christus quod Angelus dixit Iacob : *Quid quaeris nomen meum?* [40] Quid quaeritis secreta divini consilii, quae sunt imperscrutabilia ? *Scrutator ... maiestatis opprimetur a gloria.* [40a] Si homo, quamvis perspicax et sagax, non potest perscrutari secreta cordis alterius hominis, quis poterit perscrutari secreta Dei ? Noluit Deus aliquem ingredi in sancta sanctorum, quod erat sacratissimum et secretissimum divinitatis domicilium, nisi unum tantum summum sacerdotem et semel tantum in anno; [41] et cum venit in caligine ad

36) Cf. Gn 12, 1-3. 37) Cf. ibid. 21, 12. 38) Cf. ibid. 25, 23. 39) Rom 11, 30-36. Vulg.: *Propter incredulitatem illorum ... conclusit enim Deus omnia in incredulitate*, etc. *In incredulitatem* legitur in veteribus editionibus Vulg. Cf. *Biblia Lovaniensis;* Eb. Nestle *Novum Test.*, h. l. 40) Gn 32, 29. Vulg.: *Cur quaeris*, etc. 40a) Prv 25, 27.
41) Cf.Ex 30, 10; Lv 16, 2; Hebr 9, 7. 25.

dandam legem Moysi in cacumine montis Sinai, neminem hominum, imo nec iumentorum voluit in montem ascendere, imo nec accedere quidem ad radices, sed a longe manere; unus tantum Moyses in caliginem potuit ingredi.[42] Sic neminem hominum aut Angelorum voluit scire divinae praedestinationis et praescientiae secreta, nisi unum tantum Christum. Hinc sacratissimum illum librum septem sigillis signatum nulla creatura in coelo aut in terra aperire potuit, nisi tantum Christus.[43] Hinc Isaac videns benedictionem datam esse non Esau primogenito, sed Iacob, obstupuit *stupore vehementi et ultra quam credi potest* admiratus fuit;[44] hinc Ioseph aegre tulit quod Ephraim minor filius praeferretur Manasse maiori,[45] ignorans mysterium secretumque divini consilii.

soli Christo cognita.

V. Christus autem, quamvis omnia divini cordis secreta certissime sciret, cum in eo sint *omnes thesauri sapientiae et scientiae*[46] Dei, non tamen, cum omnem haberet *clavem scientiae*[47] et sapientiae Dei, aperire voluit hodie hos thesauros et divini pectoris arcana revelare, sed tantum Nazarenorum querelam iniustam demonstrare: *Amen dico vobis quia nemo propheta acceptus est in patria sua.*[48] Apud Matthaeum legimus quod *scandalizabantur in eo*, unde Christus ait: *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua;*[49] apud Marcum similiter: *Scandalizabantur in eo*,[50] et idem Christus ait;[51] Evangelista vero dicit quod non potuit *ibi virtutem ullam facere ... et mirabatur propter incredulitatem eorum.*[52] Sic et Matthaeus ait quod *non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum.*[53] Lucas vero ait Dominum, post sermonem habitum in synagoga,[54] mirantibus illis, dixisse: *Utique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice, cura teipsum; quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.*[55]

Christus tamen mysterium hoc Nazarenis non aperuit, sed alias causas attulit ad iniustam eorum querelam demonstrandam.

Assignantur igitur quattuor causae propter quas Christus non operabatur miracula in Nazareth sicut et in Capharnaum: prima, quia non honorabant eum; secunda, quia non erat illis acceptus,

Quattuor de causis Christus in Nazareth miracula non operabatur:

42) Cf. Ex 19, 11 sqq.; Hebr 12, 18-20. 43) Cf. Apc 5, 1-8. 44) Gn 27, 33. 45) Cf. ibid. 48, 17. 46) Col 2, 3. 47) Lc 11, 52. 48) Ibid. 4, 24. 49) 13, 57. 50) 6, 3. Vulg.: *In illo.* 51) Cf. ibid. vr. 4. 52) Ibid. vrr. 5-6. 53) 13, 58. Vulg.: *Illorum.* 54) Cf. 4, 16-22. 55) Ibid. vr. 23.

idest non diligebant eum ; tertia, quia non credebant in eum ; et quarta, quia scandalizabantur in eo.

a) quia eum non honorabant qui omni honore dignus erat,

Honor debetur Deo primum : *Soli Deo honor et gloria,* [56] et, secundo, homini, quia est imago Dei ; hinc honorantur principes propter potentiam, sapientes propter sapientiam, religiosi virtuteque praediti viri propter bonitatem tanquam Deo similes imagines. Christus autem et Deus est et homo potentissimus, sapientissimus et optimus ; omnis igitur ei debetur honor.

b) quia eum non diligebant qui ipsa bonitas erat,

Amor item debetur Deo primum : *Diliges Dominum Deum tuum,* etc. [57] et, secundo, homini : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* [58] Christus autem Deus et homo optimus ; omnis igitur ei debetur amor, quoniam in eo omnis bonitas ; amoris autem obiectum bonitas est.

c) quia in eum non credebant qui ipsa veritas erat,

Fides debetur veritati, primo, divinae et, secundo, humanae propter Deum ; sic debetur fides Prophetis Dei. Christus autem Deus est et homo, summus Propheta ; omnis igitur ei debetur fides.

d) quia scandalizabantur in eo quasi sapientia eius et opera a Deo non essent.

Et tamen Nazareni non solum non honorabant, non diligebant, non credebant in eum, sed etiam *scandalizabantur in eo,* audita eius sapientia eiusque miraculis, suspicantes sinistrum quid de Christo, ne virtute daemonum miracula operaretur et tam sapienter loqueretur, sumentes occasionem ex generis ignobilitate quod Christus faber esset et *fabri filius* semperque cum patre fabrilem artem exercuisset, nunquam litterariis studiis opera data, [59] et quod non in sua patria operaretur miracula, sed in aliena ; quare praestigia esse suspicabantur, non vera miracula.

Et hae sunt quattuor causae damnationis reproborum.

Et hae quidem quattuor sunt rationes ob quas reprobi damnantur, quia Deum non honorant, non diligunt, non credunt ex toto corde, sed scandalizantur de divina dispositione et providentia cur mala permittat ; cur huic maiora illi minora bona concedat, etc. Et tandem Deum mille modis offendunt, sicut Nazareni hodie voluerunt Christum de monte praecipitare et occidere. [60] Quamvis enim ab aeterno sint reprobati a Deo, non damnantur tamen a Deo in tempore, nisi ob scelera et quatenus *operarii iniquitatis;* [61] ob peccata enim patrata damnantur lata iudicis sententia, et ibunt in ignem aeternum [62] per executionem sententiae.

56) 1 Tim 1, 17. 57) Dt 6, 5; Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27. 58) Lv 19, 18; Mt 22, 39; Mc 12, 31; Lc 10, 27. 59) Cf. Mt 13, 54-55; Mc 6, 2-3. 60) Cf. Lc 4, 28-29. 61) Ibid. 13, 27. 62) Cf. Mt 25, 41 sqq.

Retorquere ergo Christus poterat in Nazarenos eorum incredulitatem causam esse ipsorum reprobationis;

VI. Haec igitur est responsio quam Christus dat Nazarenis: *Nemo propheta acceptus est in patria sua.* Si, inquit, acceptus hic essem sicut in Capharnaum, operarer utique hic quae ibi operatus sum; sed propter incredulitatem vestram non possum, sicut nec ignis comburere lignum in aqua. Haec eadem est responsio cum illa O s e e: *Perditio tua, Israel; tantum in me auxilium tuum.* [63] Ad introductionem formae necessaria est praevia dispositio, ad consecutionem finis opus est mediis; et divinae quidem praedestinationis principium divina voluntas est, finis gloria, medium gratia cum virtutibus et observantia divinae legis.

omnes enim sunt praedestinati, quia Deus omnes diligit et salvare vult,

Quoad principium omnes quodammodo sunt praedestinati, quia Deus *vult omnes homines salvos fieri;* sed quoad media et finem tantum electi. Quoad principium praedestinat Deus creaturas conditas *ad imaginem et similitudinem suam,* [64] ad gloriam consequendam. Sed modus praedestinationis est attendendus. Praedestinat Deus cognoscendo et amando; sicut enim Deus cognoscit seipsum et amat, ita in seipso omnia alia a se et cognoscit et amat; sic ex sapientia, ex bonitate sua mundum creavit perfectum et numeris omnibus quoad naturam absolutum. [65]

et omnibus dat salutis media, quae si spernantur, nemo salvari poterit.

Specialiter tamen cognoscit et diligit omnes creaturas, quas *ad imaginem et similitudinem suam* condidit aeternae beatitudinis capaces; cognoscit et vult statuitque media ad beatitudinem consequendam necessaria, quae sunt scala coeli; et tandem cognoscit quinam per hanc scalam ascensuri sint in coelum, coelestia ex toto corde diligendo usque in finem, et quinam descensuri sint diligendo terrena, spretis coelestibus; et illi dicuntur praedestinati atque electi, hi vero praesciti et reprobati. Sic resurgent *qui bona egerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicii,* [66] *et ibunt* impii ac *operarii iniquitatis in ignem* suppliciumque *aeternum, iusti vero in vitam aeternam.* [67] Quoniam vero necesse est ut in mortis articulo homo reperiatur vel in gratia vel in peccato sua spontanea voluntate, cum non sit peccatum nisi voluntarium, propterea infallibiter quidam sunt praedestinati, quidam vero praesciti.

63) 13, 9. Vulg.: *Tantummodo in me,* etc. 64) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6.
65) Cf. Ps 103, 24-28; Prv 3, 19-20. 66) Io 5, 29. Vulg.: *Qui bona fecerunt,* etc.
67) Mt 25, 41. 46. Vulg.: *Iusti autem,* etc.

VII. Dominus itaque ad media praedestinationis hodie respicit, quae sunt, ut uno omnia verbo comprehendam, caritas vera, sive fides viva. Miracula autem non sunt media necessaria, neque per se sufficientia : non necessaria, quoniam Ninivitae sine miraculis crediderunt et salvi facti sunt ; [68] non sufficientia per se, quia Iudaei cum innumeris miraculis minime crediderunt et magis damnati sunt, sicut Dominus ait : *Vae tibi, Corozain, vae tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cinere et cilicio poenitentiam egissent ! . . . Et tu, Capharnaum, usque ad coelum exaltata, usque ad infernum descendes, quia si in Sodomis factae essent virtutes, quae factae sunt in te, forte mansissent usque in hunc diem.* [69] Dicit autem *forte*, ad designandam non simpliciter efficaciam in effectu, sed sufficientiam in causa. Non fecit autem Deus miracula in Sodomis, quia sine miraculis salvari poterant, servando legem naturalem cum fide unius Dei, sicut Patriarchae qui fuerunt ante Legem, et ne multo peius damnarentur si, visis miraculis, non credidissent. Fecit autem in Capharnaum, ut non credentes essent inexcusabiles et credentes magis confirmarentur ; nam in Capharnaum multi credebant in Christum. [70]

Miracula non sunt media necessaria nec per se sufficientia ad salutem consequendam.

Dominus igitur ostendit hodie necessariam esse fidem vivam et caritatem ad salutem consequendam, sine qua nemo salvatur, licet Deus velit *omnes homines . . . salvos fieri*, sicut etiam vult omnes homines vivere, sed utendo mediis necessariis : cibo, potu, vestitu, somno et aliis. Nam esset stultus qui sic cogitaret in corde suo dicens : aut novit Deus me victurum usque ad senectutem aut non : si novit, ergo etiam non comedendo vivam ; et sic comedere nollet. Sic agricolonus si seminare nollet. Sunt necessaria media : *Satagite, fratres, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* [71]

sed fides viva et caritas vera, sine quibus nemo salvatur et cum quibus nemo damnatur.

VIII. Datur autem nobis in sacrosancto hodierno Evangelio signum reprobationis valde certum. Alibi Dominus dixit : *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* [72] Hi autem Nazareni audierant verbum Domini a Christo prae-

Datur etiam hodie signum reprobationis.

68) Cf. Ion 3, 4 sqq.; Mt 12, 41. 69) Mt 11, 21-23; Lc 10, 13-15. Invertit ordinem aliquorum verborum. 70) Cf. Mc 2, 1-12. 71) 2 Petr 1, 10. Vulg.: *Fratres . . . satagite*, etc. 72) Io 8, 47.

dicante in synagoga et exponente Scripturas, *et omnes* admirantes *testimonium illi dabant,* [73] idest laudabant eius sermonem. At vero cum Dominus coepit eorum vitia carpere et dicere eos Gentibus peiores esse, *repleti sunt omnes in synagoga ira* contra eum tanquam venenati serpentes, et eicientes eum extra civitatem praecipitare voluerunt de montis supercilio, [74] tanquam phrenetici insurgentes in medicum. Quare erant, sicut dixit Amos, eorum qui *odio habuerunt corripientem in porta,* [75] et sicut ait Sapiens: *Non amat pestilens eum qui ... corripit.* [76]

Idest contemptus divinae exhortationis,

Hoc autem reprobationis certum est signum, est enim illa cordis duritia quae thesaurizat sibi iram in die irae: Tu *autem secundum duritiam tuam et impoenitens cor* tuum *thesaurizas tibi iram in die irae et... iusti iudicii Dei* [77] super omnes *filios diffidentiae.* [78] Peccatorum enim unicum remedium poenitentia est, qua salvati fuerunt Ninivitae, quam praedicavit Christus post Ioannem: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* [79] Hanc ergo qui spernit est sicut qui, veneno sumpto, antidotum salutare sumere spernit: *Nisi poenitentiam egeritis, similiter omnes peribitis.* [80] David de peccato suo a Nathan correptus poenitentiam egit et salvus factus est; [81] sed non sic Ieroboam correptus a viro Dei, eo quod idola erexisset; [82] et Achab odio habebat Michaeam, eo quod veritatem dicebat ei. [83]

qui oritur ex cordis duritia poenitentiam repellentis.

« Veritas odium parit », [84]

pulcherrima mulier turpissimum filium.

IX. Fratres mei, Deus cupiens nos omnes salvari, omnibus dedit necessaria et sufficientia media ad salutem, praecipue vero Sacramenta et specialiter duo, quae designantur in sacrosancto hodierno Evangelio: Baptismus et Eucharistia; Baptismus in Naaman syro mundato a lepra, [85] ad mundandum autem lepram peccati Dominus instituit duplicem Baptismum, non solum sacramentum Baptismi in aqua, sed etiam in lacrimis sacramentum Poenitentiae; et Eucharistiam in

Praecipua media salutis Baptismus et Eucharistia sunt;

73) Lc 11, 22. 74) Ibid. vrr. 28-29. 75) 5, 10. 76) Prv 15, 13. 77) Rom 2, 5. Vulg.: *Secundum autem duritiam,* etc. 78) Eph 2, 2; 5, 6. 79) Mt 3, 2; 4, 17. 80) Lc 13, 3. 5. Vulg.: *Omnes similiter peribitis.* 81) Cf. 2 Rg 12, 1-13. 82) Cf. 3 Rg 13, 1 sqq. 83) Cf. ibid. 22, 13-38. 84) Terentius *Andria,* act. 1, sc. 1, vr. 41. 85) Cf. 4 Rg 5, 1-14; Lc 4, 27.

quae cum sint omnibus communia, manifestant Deum velle omnes salvari

pane multiplicato ab Elia. [86] Haec Sacramenta gratiam conferunt et augent; sola autem gratia ad salutem necessaria est. Sacramenta autem haec Deus omnibus hominibus communia fecit; ergo *omnes ... vult salvos fieri*, ergo omnes praedestinavit ad gloriam, praedestinatio enim actus potius voluntatis est quam intellectus. Hinc Paulus ait: *Quos praescivit*, quos praecognovit: hic actus est intellectus, *et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui:* [87] hic actus voluntatis est. Hinc idem Paulus praedestinationem veluti definiens, idem quod Moysi dictum est adducit: *Miserebor cui misereor, et misericordiam praestabo cui miserebor.* [88] Misereri autem voluntatis est actus; hinc ipsemet praedestinationem vocat *electionem: Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem;* [89] hinc Prophetam adducit dicentem: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui;* [90] amor et odium actus sunt voluntatis. Christus ait: *Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te;* [91] complacentia actus est voluntatis. *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi;* [92] *Sedere ... ad dexteram meam ... non est meum dare ... nisi quibus paratum est a Patre meo;* [93] praeparatio autem beneficiorum actus voluntatis est.

et omnes ad gloriam praedestinasse.

Deus *vult omnes homines salvos fieri;* omnes ergo quoad se praedestinavit, modo nos velimus esse praedestinati, non tantum secundum praesentem iustitiam, sed simpliciter. Liber enim praedestinationis scriptus est intus et foris; quod foris scriptum est facile deletur, quod autem intus non deletur: *Qui peccaverit mihi delebo eum de libro* [94] vitae quem scripsi. Fratres mei, hoc certissimum est quod nemo damnatur nisi ob peccatum, sed peccatum non est nisi voluntarium.

A voluntate nostra ergo pendet ut simus praedestinati, idest modo adhibeamus media ad hoc necessaria et peccata fugiamus.

86) Cf. 3 Rg 17, 12-16. 87) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis*, etc. 88) Ibid. 9, 15; Ex 33, 19. 89) Eph 1, 4. 90) Rom 9, 13; Mal 1, 2-3. 91) Mt 11, 26. Vulg.: *Fuit placitum*, etc. 92) Ibid. 25, 34. 93) Ibid. 20, 23. Vulg.: *Sed quibus paratum*, etc. 94) Ex 32, 33.

II. ALIA HOMILIA

Nemo propheta acceptus est in patria sua. [1]

Ostendit hodiernum Evangelium Christum verum esse Dei prophetam

I. Christus propheta est Iudaeis invisus et reprobatus. Sicut enim infirmi odio habentes amaram potionem insurgunt in medicum, sicut etiam infirmi oculi odio habent lucem et noctuae solem, sic utique Iudaei Christum; unde insurgunt hodie in Christum ira accensi eumque extra civitatem eiciunt ac de supercilio montis eum praecipitare volunt. [2] Sicut Cain odio habuit Abelum fratrem, [3] Ismael Isaacum, [4] Esau Iacobum, [5] filii Iacob Ioseph fratrem suum, [6] Saul Davidem; [7] sic ait Christus quod *nemo propheta acceptus est in patria sua*, idest nullibi in minori pretio habetur minusque honoratur et diligitur, quam in patria sua. Hoc autem Christus duobus exemplis ex Divinis Litteris efficaciter probat. *Multae*, inquit, *viduae erant in diebus Eliae in Israel... et ad nullam earum missus est Elias*, etc.; *et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta, et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman syrus* [8] propter incredulitatem eorum.

et quidem Elia et Eliseo maiorem, imo omnium maximum,

Ostendit autem sacrosanctum hodiernum Evangelium Christum esse prophetam, non qualemcunque, sed maximum, sicut fuit Elias divino spiritu plenus et qui ei successit Eliseus eodem divino spiritu afflatus; [9] et tamen a concivibus suis inhonoratum ac spretum esse, imo calumniatum et mortalem persecutionem passum, ab alienis autem honoratum. Primo, inquam, Christus hodie *prophetam* se dicit et prophetam maximum, comparans se Eliae et Eliseo: *Sed ecce plus quam* Elias hic, *ecce plus quam* [10] Eliseus hic. Elias enim nomine tantum dicebatur D e u s D o m i n u s, vel p o t e n s D e u s, ab אֵל, [11] quod est p o t e n s, et יָה, D e u s; Christus vere sic est Deus homo, cui Thomas: *Dominus meus et Deus meus;* [12] et Eliseus, D e i s a l u t a r e; Christus autem vere divinus mundi Salvator: *Quoniam hic est vere Salvator mundi.* [13]

1) Lc 4, 24. 2) Cf. ibid. vrr. 28-29. 3) Cf. Gn 4, 5-8. 4) Cf. ibid. 21, 9; Gal 4, 29. 5) Cf. Gn 27, 41. 6) Cf. ibid. 37, 4. 7) Cf. 1 Rg 18, 29. 8) Lc 4, 25-27. Vulg.: *Nullam illarum*, etc. 9) Cf. 4 Rg 2, 9-15; Eccli 48, 1-15. 10) Mt 12, 41-42. 11) Ms.: *El*, et infra: *Ia*. 12) Io 20, 28. 13) Ibid. 4, 42.

et singularissimum, unicum in Lege promissum, idest Messiam,

Est Christus propheta ille singularissimus, omnium Prophetarum unicus in Lege promissus: Prophetam suscitabit tibi Dominus de medio fratrum tuorum similem mei: ipsum audies.[14] Et quidem mirum est quod, cum populus petiit regem dicens Samueli: *Da nobis regem*, indignatus iratusque fuit Deus dicens Samueli: *Me abiecerunt ne regnem super eos;*[15] cum autem dixerunt: *Loquere tu nobis, et audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur,*[16] Dominus dixit: *Bene... locuti sunt: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum eorum similem tui:*[17] ipsum audient, profecto quia Deus ipse factus homo propheta futurus erat sicut Moyses, veniens in mundum hunc in humilitate et paupertate humanitatisque mansuetudine, non in maiestate et gloria divinitatis.

ideo plusquam omnes in opere et sermone potentissimum.

Et Moysi quidem duo contulit Deus: virgam et tabulas legis, sapientiam et potentiam operandi miracula: *Ego ero in ore tuo et docebo te quid loquaris... Virgam... hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.*[18] Hic est duplex spiritus Eliae et Elisei. Sic Christus *fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo;*[19] hinc turbae dicebant: *Propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam;*[20] et alibi: *Quoniam hic est ille propheta, qui venturus est in mundum.*[21] Propheta Christus est, cui competit quicquid perfectionis reperitur in omnibus Prophetis, sicut Deo competit quicquid perfectionis reperitur in omnibus creaturis.

Triplex est prophetia: de praeteritis, de praesentibus et de futuris.

II. Prophetia est triplex: quaedam de praeteritis, uti est Moysi descriptio creationis mundi;[22] quaedam de praesentibus, sicut cum Eliseus cognovit quid egerit Giezi cum Naaman syro,[23] et sicut Ahias cognovit uxorem Ieroboam quae, mutato habitu, venit ad eum;[24] quaedam vero de futuris, sicut Prophetae omnes vaticinati sunt de futuris Christi mysteriis.

Sic Christus triplici hac prophetia praeditus fuit, uti in sacrosancto hodierno Evangelio conspicimus. Vaticinatur Christus de praeteritis: quod *clausum est coelum annis tribus et mensibus sex* in

14) Cf. Dt 18, 15. 15) 1 Rg 8, 6-7. Vulg.: *Abiecerunt... me*, etc. 16) Ex 20, 19. 17) Dt 18, 17-18. Vulg.: *Bene sunt locuti*, etc. 18) Ex 4, 12-17. Vulg.: *Doceboque te*, etc. 19) Lc 24, 19. 20) Ibid. 7, 16. 21) Io 6, 14. Vulg.: *Quia hic est vere propheta*, etc. 22) Cf. Gn 1, 1 sqq. 23) Cf. 4 Rg 5, 24-26. 24) Cf. 3 Rg 14, 2-6.

diebus Eliae, [25] quod quidem in Divinis Historiis non legimus, tempus, inquam, praecisum; [26] prophetia de praesentibus: quia videns cogitationes Nazarenorum dixit: *Utique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice, cura teipsum; quanta audivimus facta*, etc.; [26a] prophetia de futuris: *Amen dico vobis quia nemo propheta acceptus est in patria sua*, ubi tacite dixit se non Iudaeis, sed Gentibus acceptum fore. Sic multa praedixit Christus de vocatione Gentium, [27] de ruina Iudaeorum, [28] de futuro iudicio, de gloria paradisi, de poenis inferni, de resurrectione mortuorum, de renovatione mundi, de vita aeterna. [29]

Hac triplici prophetia Christus praeditus hodie ostenditur.

Erant autem praecipua [munera] Prophetarum divina mysteria sibi coelitus revelata populo praedicare Sancto Spiritu afflati et inspirati, ac in testimonium veritatis supernaturalia opera, divina miracula signaque coelestia edere; quamvis non infimum etiam munus esset pro salute etiam populi orare, unde Dominus ad Abimelech de Abrahamo dixit: *Orabit pro te, quia propheta est.* [30] Sic Moyses et Aaron saepe pro populo oraverunt; [31] sic Samuel, cui dixit populus: *Ne cesses pro nobis orare ad Dominum;* [32] sic Ezechias misit ad Isaiam ut oraret pro populo; [33] sic Ieremias multum orabat *pro populo et universa sancta civitate* [34] Ierusalem; et Christus pernoctabat *in oratione Dei.* [35]

Praecipua munera Prophetarum erant praedicare veritatem revelatam, miracula operari et pro populo orare.

Praecipuum tamen eius munus fuit divina mysteria praedicare populumque docere. Hinc hodie in synagoga populum docuit explicans locum Isaiae prophetae: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me evangelizare pauperibus, misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et caecis visum, dimittere confractos in remissionem, praedicare annum Domini acceptum et diem retributionis.* [36] Si propheta homo est divino spiritu afflatus, Christus ait: *Spiritus Domini super me; Requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus;* [37] sic descendit Spiritus Sanctus et mansit super Christum in die baptismi; [38] *eo quod unxit me, ad evan-*

Haec etiam Christus egit, praedicavit enim populo divina mysteria,

repletus Spiritu Sancto fuit,

25) Lc 4, 25; Iac 5, 17. 26) Cf. 3 Rg 17, 1-9; 18, 1. 41 sqq. 26a) Lc 4, 23. 27) Cf. Mt 8, 11-12; 21, 33 sqq.; Lc 13, 28-30. 28) Cf. Mt 23, 34 sqq.; Lc 19, 41-44; 23, 28-31. 29) Cf. Mt 24, 1-25, 1 sqq.; Lc 16, 19 sqq. 30) Gn 20, 7. Ordine inverso affert hanc pericopen. 31) Cf. Ex 15, 25; 17, 4-13; 32, 11-14; Nm 11, 2; 14, 13-20; 16, 22. 46-48; 20, 6; 21, 7-9. 32) 1 Rg 7, 8. Vulg.: *Clamare ad Dominum.* 33) Cf. Is 37, 1-7. 34) 2 Mach 15, 14. 35) Lc 6, 12. 36) Ibid. 4, 18-19. Vulg.: *Propter quod unxit*, etc. Is 61, 1-2. Ex Translat. Septuaginta. S. Auctor hic sequitur interpunctionem *Bibliae Lovaniensis.* 37) Is 11, 2. 38) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10, Lc 3, 21-22.

gelizandum pauperibus, sive *mansuetis,* regnum coelorum *misit me, sanare contritos corde* per gratiam iustificantem et sanctificantem; sic Eliseus unctus fuit ab Elia ad exercendum munus prophetae, ad praedicandum et sanandum;[39] *praedicare captivis* diaboli et peccati *remissionem* peccati et libertatem a potestate diaboli; *praedicare annum Domini acceptum: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis;*[40] *et diem retributionis,* diem finalis iudicii.

et divina praeditus sapientia ac virtute miraculorum.

Haec Christus summa cum sapientia praedicabat, unde inquit [Evangelista]: *Omnes testimonium illi dabant,*[41] omnes eum laudabant, audita mirabili ac divina eius sapientia, quam Christus divinis miraculis divine utique comprobabat. Sic cum consummasset Dominus magnum illum sermonem habitum in monte, ait Divus Matthaeus quod: *Admirabantur turbae super doctrina eius.*[42] Sic etiam Marcus[43] et Lucas testantur quod: *Stupebant super doctrina eius,*[44] *erat enim docens... quasi potestatem habens.*[45] Sic multo magis mirabantur de miraculis eius.

Haec etiam Iudaei admirabantur in Christo, sed quia coepit eorum vitia carpere, admirationem converterunt in contemptum

III. At ubi coepit Christus Iudaeorum vitia carpere, tunc clarum serenumque coelum contenebrari obscurarique coepit, tunc, inquam, coeperunt Christum spernere ob paupertatem et ignobilitatem generis: *Nonne hic est filius Ioseph?*[46] *Filius fabri?*[47] *Nonne hic est faber filius Mariae?*[48] *Unde* ergo *huic sapientia haec et virtutes?*[49] *Quae est sapientia, quae data est illi et virtutes tales, quae per manus illius efficiuntur?*[50] *Et scandalizabantur in eo*[51] suspicantes male de eo, ne forte haec illi non a Deo, sed a daemonibus collata essent.

et calumniari coeperunt eius vitam, doctrinam et opera,

Hinc coeperunt calumniari eius vitam: *Nos scimus quia... peccator est;*[52] *Ecce homo vorax et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus;*[53] *Samaritanus es tu et daemonium habes.*[54] Coeperunt calumniari doctrinam tanquam haereticam: Quia *seducit turbas;*[55] tunc persequi etiam coeperunt eum: *Quaerebant eum Iudaei interficere;*[56] *Persequebantur* eum *Iudaei... quia... solvebat sabbatum* et quia

39) Cf. 3 Rg 19, 16 sqq. 40) 2 Cor 6, 2. 41) Lc 4, 22. 42) 7, 28. 43) Cf. 6. 2. 44) 4, 32. Vulg.: *In doctrina eius.* 45) Mt 7, 29. Vulg.: *Sicut potestatem habens.* 46) Lc 4, 22. 47) Mt 13, 55. Vulg.: *Fabri filius?* 48) Mc 6, 3. 49) Mt 13, 54. 50) Mc 6, 2. Vulg.: *Eius efficiuntur?* 51) Mt 13, 57; Mc 6, 3. 52) Io 9, 24. 53) Mt 11, 19. 54) Io 8, 48. 55) Ibid. 7, 12. 56) Ibid. vr. 1.

Filium Dei se faciebat, *aequalem se faciens Deo.* [57] Calumniabantur opera: *In Beelzebub principe daemoniorum eicit daemonia.* [58]

Sic hodie Nazareni calumniantur tacite Christi opera dicentes: *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.* [58a] Si, inquiunt, verus propheta esses veraque miracula faceres, ea utique hic in tua patria faceres, in beneficium utilitatemque tuorum, sicut qui bonus est medicus seipsum suosque magis curat quam alienos. Si enim, inquiunt, potes facere hic in patria tua quae in Capharnaum fecisti et non vis, impius utique et ingratus in patriam comprobaris; si vero vis et non potes, praestigia sunt opera tua, non vera miracula. Christus vero ad hanc calumniam optime respondit: *Amen dico vobis quia nemo propheta acceptus est in patria sua*, idest nullibi ei minus creditur et diligitur. Sic Iudaei non credebant Ieremiae vaticinanti excidium Ierosolymae; [59] sic Dominus Ezechieli ait: *Si ad* Gentes *mittereris, illi audirent te; domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.* [60] Sic Ionae crediderunt Ninivitae,[61] Iosepho credidit Pharao, [62] Danieli Nabuchodonosor; [63] cum, e contra, Iudaei nec Moysi crederent, unde saepe contra eum murmurarunt, non tantum populus, [64] sed etiam frater eius Aaron et soror Maria. [65] Sic omnes fere Prophetae a Iudaeis occisi fuerunt, [66] multi autem apud exteros honorifice tractati: Ioseph apud Pharaonem, [67] Daniel apud Nabuchodonosor, [68] a quo etiam Ieremias fuit honorifice tractatus, [69] qui a Sedecia fuerat in lacum demissus; [70] Mardochaeus apud Assuerum, [71] Nehemias apud Darium. [72] Hinc iussit Dominus Abrahae exire de terra sua et de cognatione sua, ut eum apud exteros magnificaret; [73] sic David, qui a suo rege Saul persecutionem patiebatur, ab Achis rege [Geth] benigne et honorifice susceptus fuit. [74]

sicut hodie Nazareni eum calumniantur quasi despicientem patriam suam.

IV. Purgat autem se Christus ab imposita calumnia duobus exemplis summorum prophetarum: *In veritate dico vobis*, etc. Idest:

Sed Christus ab his calumniis se purgat

57) Ibid. 5, 16-18. 58) Lc 11, 15. 58a) Ibid. 4, 23. 59) Cf. Ier 11, 1 sqq. 60) Ez 3, 6-7. Vulg.: *Ipsi audirent*, etc. 61) Cf. Ion 3, 1 sqq. 62) Cf. Gn 41, 14-45. 63) Cf. Dn 2, 28-46; 4, 16-31. 64) Cf. Ex 15, 24; 16, 2; 17, 3; Nm 14, 2. 36; 16, 41; 17, 5. 65) Cf. Nm 12, 1-2. 66) Cf. 3 Rg 19, 10; 2 Par 36, 15-16; 2 Esr 9, 26; Mt 23, 31-37; Act 7, 52; 1 Thess 2, 15; Hebr 11, 36-37. 67) Cf. Gn 41, 39-45. 68) Cf. Dn 2, 46-47. 69) Cf. Ier 39, 11-14. 70) Cf. ibid. 37, 14 sqq. 71) Cf. Est 8, 15 sqq. 72) Cf. 2 Esr 1, 11-2, 1-8. 73) Cf. Gn 12, 1-3. 74) Cf. 1 Rg 27, 1-7.

exemplis Eliae et Elisei;

Si hi, cum possent suis beneficia divina conferre, noluerunt tamen suis, sed exteris conferre, veri tamen summique et sanctissimi prophetae habentur, cur de me malum suspicamini, eo quod non hic in patria, sed in Capharnaum miracula operatus sum ? Nisi forte dicere velitis aut suspicari de illis idem, quod vel impii ingratique essent in patriam, vel quod non vera miracula facerent. Miracula, inquit, non fiunt humana virtute secundum quam homo habet patriam et parentes, quibus magis tenetur quam aliis, sed fiunt virtute divina et secundum divinam ordinationem et dispositionem.

at quia sic comprobare volebat se verum esse Messiam, contra eum insurgunt

Quoniam vero Christus duobus hisce allatis exemplis seipsum Messiam verum esse comprobare voluit, iuxta expositum Isaiae vaticinium, seque summis prophetis Eliae et Eliseo comparavit veraque miracula ex divina ordinatione atque virtute, sicut illi, facere docuit, et ex divina etiam dispositione Capharnaitas praeponi atque praeferri Nazarenis propter fidem in Christum ipsum, sicut ex divina ordinatione vidua sareptana praeposita fuit cunctis viduis Israelis, et Naaman syrus omnibus leprosis Israel, *repleti sunt omnes in synagoga ira haec audientes,* [75] facti veluti ex columbis igniti serpentes, ex ovibus lupi, ex agnis leones contra Christum, serpentes insurgentes in aeneum serpentem, qui omnes vicit atque occidit ignitos serpentes infernalium daemonum.

et tanquam blasphemum extra civitatem eiciunt ut eum occidant,

Sicut autem igneus ille aeneusque serpens, qui in deserto omnes occidit serpentes interimentes populum Dei, [76] confractus fuit ab hominibus, ab Ezechia, inquam, rege, sacerdotibus et levitis Iudaeorum, [77] sic Christus, daemonibus omnibus victis, a Iudaeis mortalem passus est persecutionem: *Eiecerunt* enim *eum extra civitatem.* [78] Eiciebantur ex civitatibus leprosi, [79] unde etiam Ozias rex lepra respersus eiectus fuit statim de templo Domini; [80] eiciebantur etiam blasphemi ut lapidibus obruerentur. [81] Christus non tanquam leprosus eicitur, sed tanquam blasphemus ut occidatur: *Duxerunt illum in supercilium montis, super quem civitas eorum erat aedificata, ut* inde *praecipitarent eum.* [82] Eicitur unicus filius patrisfamilias extra vineam. [83] Adam primus tanquam peccator eiectus fuit a paradiso ab ipso Deo ob pecca-

75) Lc 4, 28. 76) Cf. Nm 21, 6-9. 77) Cf. 4 Rg 18, 4; 2 Par 31, 1. 78) Lc 4, 29. Vulg.: *Eiecerunt illum,* etc. 79) Cf. Lv 13, 44-46; Nm 5, 2. 80) Cf. 4 Rg 15, 5; 2 Par 26, 19-21. 81) Cf. Lv 24, 14-15. 82) Lc 4, 29. Vulg.: *Usque ad supercilium . . . civitatis illorum,* etc. 83) Cf. Mt 21, 39; Lc 20, 15.

tum; [84] secundus Adam eicitur ab hominibus extra civitatem, sed propter iustitiam. Abraham ex divino mandato eiecit de domo sua Ismaelem cum matre, eo quod persequebatur Isaac; [85] sed hodie Isaac ab Ismaele e domo eicitur. Philisthaei eiecerunt arcam Domini Dei Israel a finibus suis, eo quod dura esset manus eius cum eis et cum Dagon deo eorum; [86] sic Nazareni hodie Christum eiciunt, eo quod eorum vitia carpebat [87] – haec enim sunt mundi idola: superbia, avaritia, luxuria, – eicientes eum *lapidem quem reprobaverunt aedificantes*, [88] *ut praecipitarent eum*, diabolo quodammodo peiores facti. Diabolus enim persuasit Christo praecipitium, non attentavit; [89] isti autem infernalibus furiis acti attentant, omni civica caritate deposita, sed serpentinis furiis assumptis.

diabolo peiores facti,

Serpentes utique videntur hodie Nazareni, antiqui serpentis filii: *Vos ex patre diabolo estis.* [90] Serpens ille tentavit primum Adam actus invidia: *Cur praecepit vobis Deus*, etc.; [91] isti tentant secundum Adam: *Quanta audivimus facta in Capharnaum:* cur signa in Capharnaum facis, non autem *hic in patria tua?* Et tandem sicut igniti serpentes aggressi fuerunt Israelem in deserto, sic hi serpentes invidia et ira pleni Christum hodie aggrediuntur, ut eum de medio tollant, *ut praecipitarent eum*, a quo tamen nihil laesi, sed multis beneficiis affecti erant. Et, quod mirum est, *omnes*, non unus aut duo, sed *omnes* repleti ira Christum unanimiter occidere voluerunt, quia Eliae et Eliseo se comparaverat et ex divina dispensatione dixerat se praeferre Capharnaum patriae suae Nazareth.

et tanquam igniti serpentes venenosa ira acti eum aggrediuntur, quia se Eliae et Eliseo comparaverat.

V. Sed cur, quaeso, Christus seipsum Eliae et Eliseo hodie comparavit? Primo quidem, quia hi sanctissimi summique prophetae habebantur, nec poterat oriri suspicio eos non ex divina virtute et gratia fecisse quicquid eos fecisse Divinae Litterae referunt. Secundo, quia duo hi excellentissimae quaedam Christi figurae fuerant et nomine et re, quia sanctissimi quidem homines fuerunt divinis nominibus appellati; sic Christus futurus erat homo sanctissimus et simul verus Deus verusque mundi Salvator. Tertio, quia, cum praecipue

Eliae et Eliseo Christus se comparat, quia veri et sanctissimi prophetae fuerunt,

84) Cf. Gn 3, 22 sqq. 85) Cf. ibid. 21, 9-14; Gal 4, 30. 86) Cf. 1 Rg 5, 2-6. 87) Ms.: *Carpebant*. 88) Ps 117, 22; Mt 21, 42. 89) Cf. Mt 4, 5-6. 90) Io 8, 44. 91) Gn 3, 1.

Iudaei Christum spernerent ob generis ignobilitatem, adduxit Christus horum duorum exemplar, qui nulla generis nobilitate commendantur, nam Eliae quidem genus omnino ignoratur, cum sine patre, sine matre, sine genealogia introducatur in Divinis Litteris; et Eliseus, cum ab Elia vocatus fuit unctusque in prophetam imposito super eum pallio suo, terram bobus arabat. [92] Quare ob generis ignobilitatem si spernendus Christus erat, utique spernendi ipsis fuissent etiam Elias et Eliseus. Quarto, quia ambo fuerunt duplici spiritu pleni, illustrissimi tum spiritu prophetiae tum gloria miraculorum. Quinto, ad ostendendum quod, sicut hi non solum Hebraeis sed etiam Gentibus divina beneficia contulerunt, siquidem Elias suscitavit mortuum filium viduae gentilis [93] et Eliseus filium mulieris hebraeae, [94] sic Christus salvaturus in mundum advenit et Hebraeos et Gentiles. Et tandem, sexto, haec duo exempla Christus adducit ad ostendendum quod Ecclesiae suae duo sunt praecipua Sacramenta: Baptismus et Eucharistia, quorum primum Christus instituit in principio praedicationis suae baptizatus in Iordane [95] a Ioanne; [96] alterum in fine, in ultima coena, instituens sub speciebus panis et vini supersanctissimum Sacramentum Corporis et Sanguinis sui. [97]

et quia duo eorum potiora miracula Baptismum et Eucharistiam figurabant.

Et Baptismi quidem sacramentum figuratur in emundatione Naaman syri in aquis Iordanis, quibus septies lotus, mundatus fuit a lepra factaque est caro eius sicut caro pueri, ubi et fidem veri Dei suscepit, viso miraculo; [98] sic utique in Baptismo homo mundatur a lepra peccati suscipitque fidem, qua fit filius Dei heresque regni coelorum. Sacramentum vero Eucharistiae in mirabili multiplicatione farinae paneque miraculo facto, quo vidua eiusque filius nutriti fuerunt quandiu fames duravit; [99] sic Sacramento isto mirabili universa nutrietur Ecclesia usque in finem mundi, quando filius viduae mortuus suscitabitur, cum fiet universalis resurrectio mortuorum. [100]

In emundatione enim Naaman syri figuratur Baptismus,

in multiplicatione farinae viduae sareptanae figuratur Eucharistia.

VI. Adnotandus est etiam in sacrosancto hodierno Evangelio processus peccati, quomodo ad instar grani sinapis ex minimo fit

92) Cf. 3 Rg 19, 19 sqq. 93) Cf. ibid. 17, 17 sqq. 94) Cf. 4 Rg 4, 28-37.
95) Ms.: *In Ioannes a Iordane.* 96) Cf. Mt 3, 13-17; Mc 1, 9-11; Lc 3, 21-22.
97) Cf. Mt 26, 26-29; Mc 14, 22-24; Lc 22, 14-20; 1 Cor 11, 23-27. 98) Cf. 4 Rg 5, 1 15.
99) Cf. 3 Rg 17, 12-16. 100) Cf. Mt 24, 29-31.

maximum.[101] Sic Nazareni invidia quadam moti dubitare coeperunt. Invidia autem ex superbia oritur; hinc spreverunt Christum ob generis ignobilitatem, hinc maximus accensus est ignis infernalis irae, unde ad summam impietatem devenerunt ut Christum vellent occidere. Unde in his duabus civitatibus, Capharnaum et Nazareth, videre mihi videor[102] exemplaria duarum civitatum: Dei et diaboli, Christi et satanae, Ierusalem et Babylonis. Quarum primae quidem fundamentum est humilitas et contemptus sui, fastigium autem pervenit usque ad gloriam Dei; sic cum primo Christus intravit in Capharnaum, accessit ad eum centurio humillimus dicens: *Domine, non sum dignus*, etc.;[103] et tandem Christus dicit, visa eius fide: *Multi... venient et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno coelorum;*[104] alterius vero fundamentum est superbia suique amor, et pergit usque ad contemptum et odium summi Dei.

Capharnaum exemplar civitatis Dei, Nazareth civitatis diaboli, illa in humilitate fundata, haec in superbia;

Sic videmus hodie in Nazareth: videmus fundamentum superbiae, unde oritur invidia, contemptus Christi, ira odiumque in Christum, ut vellent praecipitare eum. Hinc dicitur civitas haec aedificata super montem, loco alto propter superbiam: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.*[105] Ex hoc montis supercilio praecipitatur Christus, et superbia Luciferi primorumque parentum et tandem Iudaeorum in causa fuit mortis Christi: *Duxerunt illum in supercilium montis, super quem civitas eorum erat aedificata, ut* inde *praecipitarent eum.*

ex superbia autem oritur invidia et odium contra Christum, sicut hodie videmus in Nazarenis,

Ducunt Hebraei Christum *in supercilium montis... ut* inde *praecipitarent eum.* Civitas Hebraeorum, synagoga, inquam, super magnum montem fuit aedificata gloriae et felicitatis temporalis; hinc dedit ei Deus *terram lacte et melle manantem.*[106] Super hunc ergo montem ducunt Iudaei Christum, ut inde praecipitent. Dicunt: Christus futurus est rex summus, potentissimus et gloriosissimus, sicut fuit Salomon filius David, hinc Messias dicitur *filius David;*[107] sed Iesus Nazarenus non fuit sic, sed vir mundo ignobilis, *filius fabri* et ipse quoque *faber;* non igitur fuit ipse Messias.

qui superbia et odio acti Christum quaerunt occidere, quia homo ignobilis et infimae conditionis.

Sic multi exaltant Dei misericordiam, ut praecipitent iustitiam;

101) Cf. Mt 13, 31-32; Mc 4, 31-32; Lc 13, 19. 102) Ms.: *Video.* 103) Mt 8, 5-8.
104) Ibid. vr. 11. 105) Ps 73, 23. 106) Dt 6, 3; 11, 9; 26, 9; 27, 3.
107) Mt 9, 27; 12, 23; 15, 22; 20, 30-31; 21, 9. 15; 21, 42-43; Mc 12, 35; Io 7, 42.

Multi Christum exaltant, sed ut eum praecipitent.

exaltant meritum passionis Christi, ut praecipitent meritum bonorum operum; exaltant gratiam, ut praecipitent liberum arbitrium; exaltant fidem, ut praecipitent caritatem. Multi peccant et perseverare volunt in peccatis usque in finem, laxantes habenas carni eiusque vitiis et concupiscentiis, dicentes quoniam magna est misericordia Dei, quod Christus mortuus est pro peccatoribus. Sic Christum exaltant ut praecipitent, *iterum... Filium Dei crucifigentes et ostentui habentes;* [108] sic ait: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* [109]

Christus vero tanto odio impetitus nil timet, quia Deus nec bonis nostris eget nec malis afficitur;

VII. Sed impiis his quid Christus agit? *Transiens per medium illorum ibat,* [110] discedit ab eis, relinquit eos in peccatis suis, in manu satanae, in potestate diaboli, in statu perditionis. *Transiens per medium illorum ibat,* idest abibat: *Ego vado, et quaeretis me et in peccato vestro moriemini,* [111] cum tanquam phrenetici renuentes salutare remedium in medicum insurrexeritis. Iesus *autem transiens per medium illorum ibat,* utique illaesus, nihili offensus. Deus, o fratres, suapte natura immortalis et impassibilis est, offendi a nobis in substantia sua minime potest. Sicut enim bonis non eget Deus, [111a] ita nec malis affici potest. Sic enim legimus Iob: *Si peccaveris, quid ei nocebis? Et si multiplicatae fuerint iniquitates tuae, quid facies contra eum? Porro si bene egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet?* [112] Sed qui peccat ipsi sibi damnationem acquirit, [113] sicut Semei iaciens lapides contra David, [114] regem quidem non percussit, non laesit, sed damnationem mortis sibi acquisivit. [115] Sicut qui principis leges transgreditur atque contemnit, principi nihil nocet, sed sibi ipsi. Deus est veluti rex ferro adamantino armatus atque totus indutus; si quis quippiam contra regem trahat, illum minime laedet, sed sibi mortis est causa. Deus indutus est impassibili immortalitate. Hinc Christus nihili laeditur hodie a Nazarenis, sed ipse abit ab eis, abit salvator et omnem secum salutem fert sicut sol lucem a nobis discedens, relinquens nos in tenebris et umbra mortis. [116] Christus est Deus *omne bonum;* [117] abit Christus, abit Deus, abit omne bonum, relinquetur omne malum.

qui autem peccat ipse sibi damnationem acquirit.

108) Hebr 6, 6. Vulg.: *Crucifigentes Filium Dei*, etc. 109) Ps 128, 3. 110) Lc 4, 30. 111) Io 8, 21. 111a) Cf. Ps 15, 2. 112) 35, 6-7. Vulg.: *Si iuste egeris*, etc. 113) Cf. Rom 13, 2. 114) Cf. 2 Rg 16, 5-6. 115) Cf. 3 Rg 2, 8-9. 116) Cf. Lc 1, 79. 117) Ex 33, 19.

VIII. Sicut infinita est divina essentia, ita infinitum est desiderium quo Deus salutem nostram cupit: *Deus caritas est.* [118] Si rex aut imperator vel Papa pro liberandis fidelibus captivis de manibus Turcarum non solum omnes thesauros suos vellet expendere, sed etiam vitam ipsam pro illis liberandis periculo exponere, ut ipse in propria persona, non quidem cum pompa et maiestate, sed tanquam homo vulgaris solus abiret ad tractandum negotium liberationis, nil veritus incommoda itineris et pericula, an non maximum desiderium ostenderet talis redemptionis? Profecto tale maius nec excogitari quidem possit, cum pro liberandis captivis ipse quoque quasi unus ex ipsis fieri voluerit. Ita fecit Deus, ita Christus verus Deus: *Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam*, etc. [118a] Hinc videmus hodie Christum periculo mortis expositum, nam duxerunt illum Nazareni *extra civitatem* supra montem, *ut* inde *praecipitarent eum.* Quare ostendit se pluris facere salutem nostram, quam vitam et honorem commodaque propria. Sic Deus *vult omnes homines salvos fieri,* [119] non solum Capharnaitas, sed etiam Nazarenos. Sicut sol in medio coeli positus mundi partes illuminat, et ignis accensus in medio domus non tantum eos qui a dextris sunt vult calefacere, sed etiam eos qui a sinistris, modo tamen ipsi velint accedere; et sol omnium oculos potest illuminare, si tamen homo velit apertos oculos tenere, nam clausos illuminare non potest; ita non potuit ibi virtutes multas facere, *propter incredulitatem* eorum, quoniam caecis clausisque oculis erant.

Deus infinito desiderio cupit salutem nostram.

hinc periculo mortis seipsum Christus hodie exposuit pro salute omnium, dummodo velint salvari.

Deus *vult omnes homines salvos fieri,* non tantum Capharnaitas, sed etiam Nazarenos; *omnes* et Gentiles et Iudaeos. Sic enim *solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos;* [119a] sic enim ipse inimicos diligit et beneficiis etiam magnis afficit, sicut Abraham non tantum diligebat Isaac, sed etiam Ismaelem filium ancillae, qui secundum carnem natus erat, et valde displicuit ei cum Sara, videns quod Ismael illuderet ac persequeretur Isaac, dixit ei: *Eice ancillam... et filium eius, non enim erit heres filius ancillae cum filio meo Isaac.* [120] Sic Deus universi P a t e r e x c e l s u s [120a] diligit non tantum iustos, sed etiam peccatores, sicut Isaac non diligebat tantum Iacob, sed etiam Esau. [121]

Etiam malos Deus vult salvos fieri.

118) 1 Io 4, 8. 16. 118a) Phil 2, 6. 119) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult.* etc.
119a) Mt 5, 45. 120) Gn 21, 9-11. 120a) Sic enim latine interpretatur *Abram.*
121) Cf. Gn 25, 28.

quia pater universorum est et diligit non tantum bonos sed etiam malos.

Vult omnes... salvos fieri; hoc est quod magnus sacerdos portabat omnes tribus Israel super cor in duodecim lapidibus pretiosis, in quibus nomina tribuum sculpta erant.[121*] Hinc sicut volens ut omnes homines vivant vita naturali dat eis omnia necessaria ad eam sustentandam, sic etiam pro consequenda vita aeterna omnia necessaria providit omnibus hominibus.

ideo omnes absolute vult salvos fieri;

Omnes... vult salvos fieri, utriusque sexus; hinc sacrosanctum hodiernum Evangelium loquitur de salute viduae sareptanae et Naaman syri; *omnes,* et pauperes et divites, nam sareptana pauper erat et syrus dives; *omnes,* et praelatos et subditos, syrus enim princeps erat, sareptana autem subdita; *omnes,* sive in statu sint continentiae sive matrimonii, nam sareptana vidua erat religiosa in statu continentiae, syrus autem vir erat uxoratus; *omnes,* et sanos et infirmos, sareptana erat sana, syrus infirmus; *omnes* tandem *homines,* cuiuscunque sint status et conditionis, non tantum sanctos, ut Elias et Eliseus, sed etiam peccatores, uti sareptana et syrus. Hoc est quod in arca Noe Deus salvari voluit non tantum munda animalia, sed etiam immunda;[122] omnibus providit necessaria alimenta ad vitam conservandam.

hinc enim dedit fidem, Baptismum et Scripturas, misit Prophetas et ipsemet venit in mundum.

Quod si ad consequendam vitam salutemque aeternam necessaria est fides et cognitio Dei, instituit Deus sacramentum Baptismi, quod est fidei sacramentum, quod in aquis Iordanis praefiguratum fuit, quibus lotus Naaman syrus a lepra mundatus est et fidem veri Dei suscepit; pro cognitione autem Dei dedit Divinas Scripturas, quas hodie Christus in synagoga legit et interpretatus fuit;[123] ad hoc misit Prophetas, ut Eliam et Eliseum; tandem venit ipse Christus, sol et lux Prophetarum.

dedit Eucharistiam,

Si caritas necessaria est, ad hoc instituit Deus sacramentum Eucharistiae, quod in pane mirabili Eliae praefiguratum est, qui nunquam defecit usquequo venit maxima panis abundantia, sicut manna nunquam defecit usque ad ingressum terrae promissionis;[124] Sacramentum autem hoc sacramentum caritatis est, hanc enim fovet et auget. Si gratia Spiritus Sancti necessaria est, non deficit oleum a vase in domo viduae quandiu manet ibi Elias.[125]

121*) Cf. Ex 39, 8-14. 122) Cf. Gn 7, 2. 123) Cf. Lc 4, 17-27. 124) Cf. Ex 16, 35; Ios 5, 12. 125) Cf. 3 Rg 17, 13-16.

Immittit tribulationes ad expianda peccata.

Si necessaria ad salutem est poenitentia, ob id mundum Deus saepe malis afficit: fame, bello, peste in poenitentiam peccatorum; tribulationes enim carnis saepe salus sunt animae, si eas homo patienter ferat accipiens omnia de manu Dei pro peccatis suis. Sic Naaman syro lepra carnis, infirmitas corporis, salus fuit animae, vita spiritus; per hanc enim salutem consecutus est, divino enim miraculo mundatus fuit a lepra carnali in corpore et [a] spirituali lepra peccati in anima, sicque per fidem vivam iustificatus et sanctificatus salutem consecutus est. Sic etiam ob peccatum et impietatem idololatriae, quam fovebant in Israel Achab et Iezabel, facta est fames maxima in universa Palaestina,[126] nam non pluit *annis tribus et mensibus sex*. Haec autem fames in causa fuit postea ut universus populus, viso miraculo ignis, qui ad orationem Eliae descendit de coelo et sacrificium consumpsit, abiuraret impietatem idololatriae verumque Deum cognosceret coleretque.[127] Sic temporalia mala multoties causa sunt salutis aeternae.

dedit Ecclesiae potestatem dimittendi peccata, cui etiam omnia contulit media salutis pro omnibus.

Tandem, si ad salutem consequendam necessaria est peccatorum remissio, hic adest Eliseus qui potest infirmum Naaman sanare ab infirmitate sua; adest Elias qui potest mortuum filium viduae suscitare; adest inquam, sacerdos qui *habet potestatem in terra dimittendi peccata*.[128] Sic in Ecclesia reperiuntur omnia quae ad salutem consequendam necessaria sunt, haec autem Deus *dat omnibus affluenter et non improperat*.[129] Facit Deus nobiscum sicut Ioseph, factus in Aegypto maximus princeps: sciens quod futura erat maxima fames annis septem, in tempore abundantiae fecit in cunctis urbibus regni maxima horrea implevitque omnia infinita plane copia frumenti, in tempore autem famis apertis thesauris frumenti vendebat illud iusto pretio omnibus, qui emere volebant ne fame perirent;[130] sic dictus est *salvator mundi*.[131] Ita Deus posuit in Ecclesia Sacramenta, quae sunt vasa gratiae continentque gratiam infinitam, quam quidem Christus non vendit, sed dat omnibus volentibus.

Si quis ergo perit, sua culpa perit.

Si quis autem non vult eam, si perit, sua culpa perit, veluti si in tempore famis rex, ne populus fame pereat, concedat ut omnes egentes pergant ad horrea regia, quia ibi omnibus egentibus dabitur

126) Cf. 3 Rg 16, 29-17, 1-8 127) Cf. ibid. 18, 36-39. 128) Mt 9, 6.
129) Iac 1, 5. 130) Cf. Gn 41, 47 sqq. 131) Cf. ibid. vr. 45.

necessarium frumentum, profecto si quis egestate confectus perit, sua culpa perit. Christus ait: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* [132] Ecclesia semper aperta est, portas habet ad omnes mundi plagas, neminem excludit, omnis homo intrare potest et salvari; ab oriente habet portas tres, similiter ab occidente, ab aquilone et austro. [133] *Vult omnes* similiter *salvos fieri,* modo salvari velint, neminem cogit.

III. ALIA HOMILIA

Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua. [1]

In hodierno Evangelio latet mysterium consilii divinae voluntatis circa hominum praedestinationem,

I. Sicut antiquus serpens persuasit parentibus nostris quod Deus eos minime diligeret, eo quod prohibuerat eis esum ligni scientiae boni et mali, [2] ita ab eodem persuasi mihi videntur Nazareni hodie quod Christus eos minime diligeret, eo quod non faciebat in Nazareth ea miracula quae faciebat in Capharnaum. Est autem absconditum mysterium et imperscrutabile sacramentum consilii divinae voluntatis, cur magis hunc diligat quam illum, cur maiora huic beneficia largiatur quam illi. Isaac, cum cognovit quod Deus diligeret Iacob et Esau odio haberet, [3] obstupuit *stupore vehementi et ultra quam credi potest* miratus fuit; [4] sanctus Ioseph patriarcha miratus ipse quoque magnopere fuit, eo quod Ephraim minor filius praeferretur Manasse maiori. [5] Hoc secretum significat liber ille a Ioanne visus in dextera Dei, scriptus intus et foris, signatus sigillis septem, quem nulla creatura in coelo, in terra aut sub terra potuit aperire nisi Christus. [6] Hic liber est quem hodie Christus in synagoga aperit legitque ac deinde iterum plicat et dat ministro. [7] Erat autem liber Isaiae prophetae, ille liber de quo idem Isaias ait: *Erit visio omnibus vobis sicut verba libri signati, quem si dederint* viro *scienti litteras* et *dicent: Lege,* quaeso, dicet: *Non possum, signatus est enim; et dabitur liber nescienti litteras diceturque ei: Lege,* quaeso, et dicet: *Nescio legere.* [8]

quod multis etiam figuris in Sacra Scriptura adumbratur.

132) Io 7, 37. 133) Cf. Apc 21, 13.

1) Lc 4, 23. 2) Cf. Gn 3, 1-5. 3) Cf. Mal 1, 2-3. 4) Gn 27, 33. 5) Cf. ibid. 48, 17. 6) Cf. Apc 5, 1-5. 7) Cf. Lc 4, 17-20. 8) 29, 11-12. Vulg.: *Erit vobis visio omnium . . . quem cum dederint,* etc.

Hoc est quod solus summus sacerdos, qui Christum adumbrabat, ingredi poterat in sancta sanctorum et videre divinum propitiatorium ac duos cherubim unum a dextris et unum a sinistris. [9] Hoc est quod solus Moyses cacumen montis ascendit divinamque ingressus fuit caliginem, ceteri autem omnes prohibiti fuerunt vel ad radices montis accedere, non tantum homines, verum etiam animalia, [10] quoniam imperscrutabilia sunt secreta divini consilii, ideo non sunt curiosius investiganda, nam: *Scrutator... maiestatis opprimetur a gloria,* [11] sicut qui oculos nimium figit in solem percutitur caecitate.

Deus iustissimus et sapientissimus est et neminem damnat nisi ob impoenitentiam;

II. Non tenetur rex secreta consilia cordis sui revelare et causas omnibus reddere cur hoc aut illud agat. Nobis id scire sufficit quod Deus infinita potentia, sapientia, bonitate, iustitia, misericordia et caritate praeditus est, adeo ut non possit contra iustitiam et caritatem quippiam facere. Quare quicquid agit, iustissime utique et sapientissime agit, nec damnat quempiam nisi ob admissum scelus et impoenitentiam, sed *unicuique* reddit *secundum opera sua.* [12]

Deus enim consilium non mutat, sed sententiam,

Hinc Regius Vates Deo loquens aiebat: *Cum sancto sanctus eris et cum viro innocente innocens eris... cum electo electus eris et cum perverso perverteris, quoniam tu populum humilem salvum facies et oculos superborum humiliabis;* [13] hoc est: Tu, Deus, tanquam optimus et iustissimus princeps unumquenque iuxta merita remunerabis. Cum viro pio eris pius, cum viro perfecto eris perfectus, cum viro puro eris purus, contra eum nec cogitabis quidem malum; sed *cum perverso* et impio *perverteris,* reddes ei iuxta perversitatem ipsius, mutabis misericordiam in iustitiam, clementiam in severitatem, amorem in odium, lucem in tenebras, dulce in amarum, gloriam in poenam. Mutat sententiam non mutando consilium, immotus semper manens.

iuxta statum gratiae vel peccati in homine.

Sit columna hic in medio: tu transis a dextera in sinistram; columna tunc erat ibi a dextris, nunc autem a sinistris, sed quia tu transisti a dextera ad sinistram, a virtute ad vitium, a gratia in peccatum. Sit in pariete speculum sine omni macula: accedis tu ut faciem tuam in eo contempleris; si mundam habes faciem, mundam ostendit; post modicum foedata facie accedes, immundam

9) Cf. Ex 30, 10; Lv 16, 2. 34; Hebr 9, 1-7. 10) Cf. Ex 19, 10-23. 11) Prv 25, 27. 12) Ps 61, 12; Prv 24, 29; Mt 16, 27; Apc 22, 12. 13) Ps 17, 26-28.

ostendet manens idem speculum eodemque modo, sed mutatio facta est in te. Si convertatur aquila in noctuam, oberit sol eius oculis; si cera convertatur in lutum, ignis indurabit eam. Manet in Deo immobile propositum amoris erga virtutem et gratiam, odii contra vitium et peccatum. Quales nos fuerimus cum Deo, talis erit nobiscum Deus.

Hominis ergo est ut sit electus, quia Deus necessitatem non imponit, sicut significatur per Ieremiam,

Hinc ipse, cum dixisset Ieremiae ut descenderet in domum figuli, quia ibi loqui volebat ei, cum vidisset Vates figulum formantem ex luto vas, illoque confracto, iterum reformasset ex eodem luto iuxta voluntatem suam, tunc dixit illi Deus: *Nunquid non sicut figulus iste potero vobis facere, domus Israel, ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel.* Ne tamen putares praedestinationem imponere necessitatem, subiungit: *Repente loquar adversus gentem et adversus regnum, ut eradicem et destruam et disperdam illud. Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego poenitentiam super malo, quod locutus sum ut facerem ei. Et subito loquar de gente et de regno, ut aedificem et plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, poenitentiam agam super bono, quod locutus sum ut facerem ei.* [14]

et Divus Paulus quoque docet,

Et sic intelligendus est Paulus dum loquitur de figulo faciente vasa, hoc quidem *in honorem*, illud *in contumeliam*. [15] Non quod Deus necessitatem salutis et perditionis imponat sicut figulus vasi, sed loquitur de potestate Dei, quod potest agere quicquid vult; non quod formatum in contumeliam non possit commutari in vas honoris, nam ipsemet *Timotheo* scribens sic ait: *In magna ... domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia, et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas ... sanctificatum et utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* [16] Sic nullam penitus imponit Deus nobis necessitatem.

et iterum per Ezechielem ostenditur;

Hinc ipse Ezechieli ait: *Iustitia iusti non liberabit eum in quacunque die peccaverit, et impietas impii non nocebit ei in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua, et iustus non poterit vivere in*

14) Ier 18, 6-10. Vulg.: *Nunquid sicut figulus iste non potero ... super malo, quod cogitavi ut*, etc.
15) Rom 9, 20-24. 16) 2 Tim 2, 20-21. Vulg.: *Sed et lignea*, etc.

iustitia sua in quacunque die peccaverit. Etiam si dixero iusto quod vita vivat, et confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiae eius oblivioni tradentur, et in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio: Morte morieris, et egerit poenitentiam a peccato suo feceritque iudicium et iustitiam... vita vivet et non morietur. [17]

Audiant haec Dei verba praedestinatores et fatarii, et rubore suffusi taceant, nec perversa amplius loquantur. Posuit salutem nostram Deus in manu nostra, proposuit ante nos aquam et ignem, bonum et malum, vitam et mortem, ut ad quodcunque voluerimus apponamus manum. [18] Nemo damnatur a Deo nisi ob peccatum; neminem unquam legimus in Divinis Litteris castigatum a Deo damnatumque nisi ob peccatum. Causa perditionis nostrae nos ipsi sumus ob scelera nostra, non Deus: *Perditio tua, Israel; tantum in me auxilium tuum.* [19]

ergo in manu nostra mors et vita inveniuntur.

III. Causa propter quam hodie Nazareni a Christo derelicti sunt, ipsorum fuit impietas, ipsorum perversitas et iniquitas, quae quidem multiplex in sacrosancto hodierno Evangelio demonstratur. Primo quidem, quia Christum non honorabant: *Nemo propheta est sine honore, nisi in patria sua;* [20] secundo, quia Christum non diligebant: *Nemo propheta acceptus est in patria sua;* [21] tertio, quia in Christum non credebant: *Mirabatur propter incredulitatem eorum;* [22] quarto, [quia] ipsum ob generis ignobilitatem contemnebant: *Nonne hic est faber?* [23] *Fabri filius?* [24] *Filius Ioseph?* [25] Quinto, quia male suspicabantur de eo: *Unde* ergo ei *haec omnia*, et quae virtutes operantur in eo? [26] Magum et incantatorem suspicabantur, virtute daemonum alta loquentem et mira operantem. Sexto, quia invidia pleni erant: *Quanta audivimus facta in Capharnaum;* invidia autem ex superbia et appetitu propriae excellentiae et gloriae oritur: *Fac et hic in patria tua.* Septimo, quia de vitiis suis argui minime volebant veritatemque et iustitiam odio habebant; hinc correpti a Christo omnes implentur ira. [27] Octavo, propter impietatem, qua furentes Christum extra ci-

Hoc ostenditur hodie in Nazarenis, qui a Christo derelicti fuerunt,

quia contemptores, increduli, maligni, invidi atque contumaces;

17) Ez 33, 12-15. 18) Cf. Dt 30, 15-19; Eccli 15, 17-18. 19) Os 13, 9. Vulg.: *Tantummodo in me*, etc. 20) Mt 13, 57. Vulg.: *Non est propheta*, etc. 21) Lc 4, 24. 22) Mc 6, 6. 23) Ibid. vr. 3. 24) Mt 13, 55. 25) Lc 4, 22; Io 6, 42. 26) Mc 6, 2. 27) Cf. Lc 4, 28.

vitatem eiciunt et ad praecipitandum eum in montis supercilium ducunt.[28]

Tunc Iesus *transiens per medium illorum ibat.*[29] Ubi videre perspicue licet id quod P a u l u s ait *Romanis*, quod Deus *sustinuit in multa patientia vasa irae apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam.*[30] Non enim Christus statim a Nazareth discessit, quamvis ibi nec honoratus nec admodum esset acceptus, sed eiectus summaque cum impietate mortalem persecutionem passus discessit. Sustinet Deus in multa patientia homines usque ad summam impietatem, ac tunc penitus illos relinquit. Sic nos ipsi nobis causa damnationis sumus, dum effrenatos animi nostri motus minime compescimus, sed illis tracti ad summum usque impietatis genus ducimur contra Deum salutis nostrae auctorem. Et tamen saepe conquerimur : *Quanta audivimus facta in Capharnaum:* quanta Deus illi et illi concessit bona ! Cur non et mihi ?

Deus enim in multa patientia homines sustinet usque ad summam impietatem

Hodie docet Christus Deum paratum esse omnibus gratiam et beneficia sua benignissime largiri, volentibus tamen et non renuentibus, non impedientibus, non ponentibus obstaculum; omnibus dat media ad salutem consequendam necessaria et sufficientia. Haec autem non miracula sunt, sed fides et caritas, cognitio veri et amor boni, gratia Dei et opera bona. Hinc dedit divinam legem et Sacramenta gratiae, ideo praedicavit hodie Dominus Divinasque Scripturas interpretatus fuit in synagoga et in miraculis Eliae et Elisei Sacramenta adumbravit.[31] Haec sunt media ad salutem necessaria et sufficientia, miracula autem minime ; nam Ninivitae sine miraculis crediderunt,[32] Aegyptii autem multis visis miraculis nequaquam.[33]

et dat omnibus media ad salutem necessaria.

Fratres mei, *fides quae per dilectionem operatur,*[34] caritas et gratia Spiritus Sancti via salutis est et scala coeli ; per hanc ascendamus. Hinc Christus ait electis : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare:*[35] ecce bona opera ex fide et caritate facta quomodo media sunt ducentia ad salutem. Sed, e contra, reprobis ait : *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo*

Fides et caritas via sunt salutis;

28) Cf. ibid. vr. 29. 29) Ibid. vr. 30. 30) 9, 22-23. 31) Cf. supra, hom. 2 huius Feriae, pag. 139-140. 32) Cf. Ion 3, 1 sqq. 33) Cf. Ex 14, 1 sqq.; Ps 104, 26-36. 34) Gal 5, 6. Vulg.: *Per caritatem*, etc. 35) Mt 25, 34-35.

et angelis eius. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: [36] damnantur ob defectum bonorum operum. Sed cavendum nobis est, fratres, ne bene incipientes male finiamus, sicut hodie Nazareni isti qui, audita multa cum attentione doctrina et praedicatione Christi, mirati *omnes testimonium illi dabant,* [37] omnes illum laudabant et celebrabant ; sed postea statim nonnulli coeperunt scandalizari in eo [38] et vituperare potius quam laudare, eoque malum istud processit, ut tandem omnes Christum praecipitare voluerint.

caveamus igitur ne bene incipientes sicut Nazareni, male finiamus.

IV. Deus *vult omnes homines salvos fieri* [39] et neminem vult perire : [40] Non enim est *voluntatis meae*... *mors impii, dicit Dominus,* sed *ut convertatur*... *et vivat.* [41] *Omnes*... *vult salvos fieri;* hoc est quod templum Domini habebat quattuor portas iuxta quattuor mundi plagas, [42] ut ex omnibus mundi partibus quisque posset in templum introire. Sic civitas Ierusalem, quam in spiritu vidit Ezechiel, habebat ad quamlibet mundi plagam ternas portas ; [43] similiter civitas Ierusalem, quam in coelo vidit Ioannes, habebat ab oriente portas tres, similiter ab occidente, aquilone et austro, [44] ut omnes ex quavis mundi parte ingredi possent.

Deus omnes vult salvari, sed neminem cogit,

Vult omnes... *salvos fieri,* sed neminem cogit. Moyses quidem omnes Hebraeos ex Aegypto eduxit, sed neminem coegit; suasit promissis divinis, non coegit. Similiter Cyrus rex Persarum, qui populum Iudaeorum de captivitate babylonica liberavit, neminem coegit redire in patriam, abire a Babylone in Ierusalem, sed omnes in sua posuit libertate. [45] Quis enim est hominum qui servus et mancipium potius esse velit quam liber ? Quis nescit quanto qualique libertatis desiderio teneantur qui captivi sunt sub potestate Turcarum ? Quod si Turcarum rex a principibus christianis bello victus cogeretur omnes captivos liberos abire permittere, licet invitus, profecto diceremus omnes captivos liberatos. Si quis autem liber abire noluerit, sed in captivitate manere, sua est culpa. Ita Christus diabolum bello victum coegit.

nec cogere opus esset cum naturale sit desiderium salutis;

Vult omnes homines salvos fieri, sed tamen paucissimi sunt qui salvantur. Moyses enim omnes Hebraeos eduxit de Aegypto, ut omnes

36) Ibid. vrr. 41-42. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,* etc. 37) Lc 4, 22. 38) Cf. Mt 13, 57; Mc 5, 3. 39) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult,* etc. 40) Cf. 2 Petr 3, 9. 41) Ez 18, 23. 42) Cf. 1 Par 9, 24. 43) Cf. 48, 31-34. 44) Cf. Apc 21, 13. 45) Cf. 1 Esr 1, 1-3.

et tamen pauci sunt qui salvantur, quia ad salutem necessaria fides est.

in terram promissionis perduceret, sed tamen ex sexcentis sexaginta sex millibus hominum, qui egressi fuerunt de Aegypto, [46] duo tantum, Iosue et Caleb, in terram promissionis ingressi sunt, alii enim ob sua peccata in deserto perierunt. [47] Sic paucissimi sunt qui salvantur, nam ad salutem fides necessaria est, ob fidem enim salvata fuit vidua sareptana quia credidit Eliae, [48] et Naaman syrus quia credidit Eliseo. [49] Fuit autem utraque magna fides, ut patet ex historiis. Nazareni autem propter incredulitatem damnantur, nam ait quod non potuit ibi ullam virtutem facere et mirabatur *propter incredulitatem eorum*. [50] Fides necessaria est, nam : *Sine fide . . . impossibile est placere Deo*. [51]

Loquitur hodie Christus de electione Gentium et reprobatione Iudaeorum.

V. *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua*. Per has duas civitates hodie designatur Ecclesia Gentium, quae est Capharnaum, et synagoga Iudaeorum, quae est Nazareth, Christi patria, est enim Christus ex Iudaeis *secundum carnem*. [52] Hae designantur per Saram et Agar, [53] per Rachelem et Liam, [54] per Annam et Phenennam. [55] Hinc Christus hodie loquitur de salute Gentilium, viduae sareptanae et Naaman syri et reprobationis Israelitarum, Gentilesque praefert Israelitis, unde *repleti sunt omnes in synagoga ira*. [56]

Deus mundum creavit bonitate sua, Ecclesiam autem fundavit infinita caritate sua;

Dicitur autem Nazareth fundata supra montem. [57] Deus enim fundavit hunc mundum supra montem bonitatis suae. Hinc Regius Vates : *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius . . . qui fecit coelos in intellectu . . . qui fundavit terram super aquas . . . qui fecit luminaria magna, quoniam in aeternum misericordia eius*. [58] Ecclesiam vero fundavit supra montem caritatis suae : *Fundamenta eius in montibus altis; diligit Dominus portas Sion*

46) S. Auctor hunc numerum pluries exhibet, cf. part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 46. 258. At non concordat cum eo qui refertur Ex 12, 37: *Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Socoth, sexcenta fere millia peditum virorum absque parvulis*. Cum ergo hic excludantur parvuli ex sese gradi non valentes, S. Auctor hos etiam includens, omnem populum fuisse putat 666.000. Sed non una est expositorum sententia. Alfr. Pohl: « גְּבָרִים per se significat « robustos ». . . ergo vertendum est: 600.000 ingredi valentes, robusti, sine infantulis (qui ergo portantur vel curribus vehuntur). Cum his infantulis circa 670.000 homines fuisse videntur». *Historia Populi Israel*, cp. 2, a. 2, pag. 13-14. 47) Cf. Nm 14, 29-33; 26, 65; 32, 1-13; Dt 1, 35-38; Ios 14, 6 sqq.; Ps 94, 11. 48) Cf. 3 Rg 17, 10-16. 49) Cf. 4 Rg 5, 1-15. 50) Mt 13, 58; Mc 6, 6. 51) Hebr 11, 6. 52) Rom 9, 5. 53) Cf. Gn 16, 1-4. 54) Cf. ibid. 29, 28 sqq. 55) Cf. 1 Rg 1, 2-7. 56) Lc 4, 28. 57) Cf. ibid. vr. 29. 58) Ps 135, 1-7. Vulg.: *Qui firmavit terram*, etc.

super omnia tabernacula Iacob. [59] Divina autem caritas mons utique altissimus est, quoniam *sic . . . Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat.* [60]

Super hunc montem divinae caritatis ducunt hodie Iudaei Christum ad praecipitandum eum ira pleni, quoniam Christus Gentiles Iudaeis praetulerit, cum crederent se Dei populum electum esse, non Gentes, quasi dicerent : Tu nos spernis ac vilipendis qui sumus populus Dei electus atque dilectus, exaltas autem Gentes ; ergo falsus es propheta et reus mortis. Sic multi christiani exaltant misericordiam et caritatem Dei, ut perseverent in peccatis *rursus Filium Dei crucifigentes ;* [61] exaltant misericordiam, ut praecipitent iustitiam ; exaltant fidem, ut praecipitent caritatem et opera bona ; exaltant spem divinae misericordiae, ut praecipitent timorem divinae iustitiae.

sed si infinita caritas Deus est, est etiam infinita iustitia.

VI. *Quanta audivimus facta in Capharnaum.* Conqueruntur multi de divina providentia, quod non omnia bona omnibus aequaliter dederit, sed voluit hunc esse divitem illum pauperem, hunc dominum illum servum, hunc praelatum illum subditum, hunc sanum illum infirmum. Sed quaenam maior inaequalitas quam si omnia essent aequalia ? Ad constituendum musicum concentum suavemque harmoniam multis inaequalibus opus est vocibus: opus est voce gravi, media et acuta, alioquin non constituitur consonantia. Et sic ad varios efficiendos sonos variis opus est instrumentis ; non enim organum potest efficere sonum citharae, nec tuba aut cornu sonum cymbali aut lyrae. Sic ad diversa opera efficienda quae humanae reipublicae et universitati necessaria sunt, diversis opus est personis et vario personarum statu. Sicut etiam in humano corpore diversa membra varia exercent officia et actiones, nec possumus auribus videre nec oculis audire, sed oculis utimur ad videndum, auribus ad audiendum, manibus ad operandum, pedibus ad ambulandum. Num debuit totum corpus esse oculus aut auris, manus aut pes ? Vitio igitur nostro conquerimur de divina providentia, quae omnibus dat necessaria ad aeternam salutem consequendam, nam : *Vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire.* [62]

Iniuste multi conqueruntur de divina providentia.

Deus quae necessaria sunt ad salutem omnibus dat.

59) Ps 86, 1-2. Vulg.: *In montibus sanctis*, etc. 60) Io 3, 16. Vulg.: *Qui credit in eum*, etc. 61) Hebr 6, 6. Vulg.: *Rursum crucifigentes sibimetipsis*, etc. 62) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult*, etc.

Deus vult omnes salvare, ideo pro salute omnium Christus missus fuit in mundum,

VII. *Quanta audivimus facta in Capharnaum.* Magna calumnia inuritur hodie Christo Domino a concivibus et conterraneis suis, quod alienos magis quam cives patriamque suam diligeret, quod Capharnaitarum potius quam Nazarenorum desideraret et promoveret salutem : *Fac et hic in patria tua,* cum tamen missus sit ipse a Patre in mundum pro salute omnium hominum, sicut Deus *omnes ... vult salvos fieri,* nam Pater ipse est et creator conservatorque omnium. Pluit Deus manna Hebraeis in deserto omnibus aequaliter, ita ut una et aequalis omnium esset mensura ; [63] eduxit aquam de petra ut biberet omnis populus omniaque iumenta ; [64] tabernaculum suum erigi voluit in medio populi, ita ut ex duodecim tribubus populi tres castrametarentur ad orientem tabernaculi, tres ad occidentem, tres ad meridiem et tres ad aquilonem ; [65] sicut civitas superna aequilatera est : tanta est longitudo eius quanta et latitudo, et ad omnes et singulas mundi plagas ternas habet portas et in unaquaque porta Angelus manet tanquam custos ad adducendos et introducendos adventantes, scriptaque sunt in portis nomina omnium tribuum filiorum Israel ; [66] sicut etiam Deus omnes tribus Israel ex Aegypto eduxit, a servitute liberavit, transtulit per mare Rubrum, pavit in deserto. [67] Isaias ait : *Exulta et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel.* [68] Sed quaenam haec tanti gaudii causa, quae utilitas aut emolumentum? *Quia fortitudo ... et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem; haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris:* [69] quia, inquit, Dominus verus Deus factus est nobis fons salutis, et fons in medio civitatis, communis omnibus, ex quo omnes bibere possunt aquasque haurire pro libitu quantum volunt. Sol est in medio coeli positus ad illuminandum totum mundum, nam ait : *Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* [70] Nos *audivimus et scimus quia hic est vere Salvator mundi.* [71] Ideo coelum empyreum, ubi paradisus est, tam magnum creavit, ut omnes capere posset.

omnibusque viam salutis pandit

et paradisum pro omnibus paravit;

Sed sciendum nobis est quod, licet Deus velit salvare omnes, non tamen potest salvare omnes, nam ait de civitate Nazareth quod

63) Cf. Ex 16, 13-18. 64) Cf. ibid. 17, 1-7; Nm 20, 8-11. 65) Cf. Nm 2, 1 sqq. 66) Cf. Apc 21, 10 sqq. 67) Cf. Ps 77, 12-29; 104, 26-43; 105, 7-15. 68) 12, 6. 69) Ibid. vrr. 2-3 70) Io 1, 9. 71) Ibid. 4, 42.

non potuit *ibi virtutem ullam facere, nisi infirmos paucos impositis manibus* sanare, *et mirabatur propter incredulitatem eorum.* [72] Vult quidem Deus salvare omnes, neque enim conferens salutem patitur detrimentum aliquod, est nanque sicut sol, qui dans lucem omnibus astris, coelo mundoque universo nihil amittit, semper sua fruitur luce, semper idem est, nunquam minuitur lucis suae thesaurus, fons enim est perennis, vena quae siccari non potest. Sic Deus. Sed sicut sol, cum durissimum crystallum penetrare possit suo radio, quoniam diaphanum [73] est, folium arboris valde etiam tenerum non potest penetrare, quoniam opacum est, ita Deus salvare potest innumeros peccatores poenitentes, sed nec vel unum quidem impoenitentem salvare potest.

sed non potest salvare nisi volentes.

VIII. *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.* Duae civitates proponuntur nobis in hodierno Evangelio: una electorum, altera reproborum; una est Ierusalem, altera Babylonia; in una viget cultus Dei, in altera cultus idolorum; in una regnat gratia, regnat virtus, regnat spiritus, regnat Deus, in altera peccatum, vitium, caro, diabolus. Sunt autem ambae civitates maximae, ita ut omnis homo necessario alterutrius civitatis sit civis. Sic enim in die iudicii videbuntur omnes cives utriusque civitatis, unius quidem ad dexteram Christi, alterius vero ad sinistram. [74]

Capharnaum et Nazareth figurae duarum civitatum: Dei et diaboli, in quas dividitur mundus;

Civitas Nazareth est in qua regnat incredulitas, invidia, contemptus Christi, ira et mortalis persecutio Christi, nam: *Duxerunt illum in supercilium montis... ut praecipitarent eum.* [75] Exaltare videntur, sed odio non amore, persequendo non obsequendo. Exaltant multi misericordiam Dei, pietatem Christi ut perseverent in peccatis; qui autem vivit in peccato Deum odit, nam peccatum Dei offensio est. Igitur ubi regnat incredulitas, ubi regnat invidia, contemptus Christi, ira contra Christum, persecutio Christi, civitas est diaboli.

in civitate diaboli regnat vitium, incredulitas et contemptus Christi.

Nos, quaeso, fratres, cuiusnam civitatis sumus cives? Si regnat in nobis fides, caritas, gratia Spiritus, civitas Dei sumus. Si autem in mortali nostro corpore peccatum regnat, [76] si secundum carnem

72) Mc 6, 5-6. Vulg.: *Nisi paucos infirmos*, etc. 73) De hac voce cf. Calepinus *Lexicon Latinum*, sub voce: *Diaphanus*. 74) Cf. Mt 25, 33. 75) Lc 4, 29. Vulg.: *Usque ad supercilium*, etc. 76) Cf. Rom 6, 12.

Ex hoc quisque cognoscere potest ad quamnam civitatem pertineat.

vivimus, [77] vitiis dediti, cives procul dubio Babylonis sumus, si Deo ingrati sumus reddentes ei mala pro bonis, [78] sicut hodie Nazareni Christo. Cum enim quaerens salutem eorum praedicasset eis Christus et concionem quidem collaudassent, cum se ad eos sanandos obtulisset, sicut Eliseus sanavit Naaman syrum, illi tamen offensi Christi correptione tanquam phrenetici in medicum insurgentes, occidere ac praecipitio perdere voluerunt.

Praecipua poena peccati est recessio Dei a peccatore.

Dominus *autem transiens per medium illorum ibat,* [79] discessit ab eis. Haec praecipua est poena peccati, quod Deus peccatores derelinquit. Sic in *Numeris* legimus quod, cum Dominus peccatum Aaron et Mariae contra Moysen arguisset, iratus contra eos abiit nubesque recessit quae erat supra tabernaculum, [80] quae divinam protectionem designabat. Recedit Christus et Nazarenos relinquit in lepra peccati et in magna fame, quam patiebatur vidua sareptana iamiam morti vicina.

77) Cf. ibid. 8, 12-13. 78) Cf. Ps 34, 12; 37, 21; Prv 17, 13; Ier 18, 20. 79) Lc 4, 30.
80) Cf. 12, 9-10.

FERIA TERTIA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

I. Dedit Deus animae nostrae corpus veluti instrumentum ad exercendas operationes omnium virium suarum; dedit oculos ad videndum, manum ad operandum, linguam ad loquendum. Quod si per oculum anima multa videt: terram, campos, valles, colles, montes, herbas, arbores, animalia, maria, lacus, flumina, fontes, pisces, aves, coelum, astra, omnia naturae opera totumque universi huius admirandum spectaculum; si per manum multa operatur, omnia enim omnium artium opera et instrumenta partus sunt manuum nostrarum, non minora per linguam agit; hac enim exprimit mentis conceptus cordisque desideria; hac docet omnes scientias omnesque artes tum humanas tum divinas, tum naturales tum supernaturales; hac movet hominum corda ad amorem, ad odium, ad laetitiam, ad dolorem, ad spem, ad timorem, ad agendum, ad desistendum, laudando, vituperando, persuadendo, dissuadendo, defendendo, accusando. O instrumentum admirabile! Oculus videt tantum corporalia, manus tantum corporalia operatur, lingua et corporalia et spiritualia; unde in potestate linguae posuit Deus mundi salutem per divini verbi praedicationem, et hodie Dominus praecipit fraternam correptionem ad salvandum proximum: *Si peccaverit in te frater tuus, vade... corripe eum... Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* [1] Si linguam caritas moveat, salutem operatur.

Lingua magnum Dei donum est.

in cuius potestate posuit Deus mundi salutem.

1) Mt 18, 15.

Si peccaverit in te frater tuus, vade... corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. [2]

Mandatur praecipue Petro onus fraternae correptionis,

II. Petro praecipue Dominus mandat imponitque onus fraternae correptionis: respiciens in discipulos suos dixit ad Simonem, [3] quoniam ipsum constituerat pastorem Ecclesiae, [4] quem perfecta caritate oportet praeditum esse. [5] Sic praecepit summo sacerdoti Aaroni ut per singulos dies concinnaret septem lucernas aurei candelabri infundendo oleum; voluit enim Dominus eas perpetuo ardere in conspectu suo. [6] Et quidem aureum candelabrum Christum significabat, septem vero lucernae universam Ecclesiam, fidelium multitudinem. Has lucernas Dominus vult semper ardere et lucere, omnes fideles animas luce divinae cognitionis et calore divinae caritatis praeditas esse. Hinc praecipit mandatque specialiter Petro pastori Ecclesiae, ut lucernas has per singulos dies componat atque concinnet, volens ut diligat omnes fideles ex corde, sicut Aaroni iussit ut supra cor ferret sculpta nomina omnium duodecim tribuum filiorum Israel; nec tantum supra cor, sed etiam super utrunque humerum, [7] ut ferat pastor imperfectiones ovium suarum.

quia praelatum perfecta caritate praeditum esse oportet;

Sed quia, etsi praecipue praeceptum hoc fraternae correptionis praelatis et pastoribus datur, non tamen solum ad eos spectat, sed ad omnes fideles, cum sit opus caritatis qua omnes oportet praeditos esse; hinc apud Lucam praeceptum istud absolute omnibus datur, ait enim: *Attendite vobis: Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum, et si poenitentiam egerit, dimitte illi.* [8] Praecepit Dominus ut ignis semper in templo super altari arderet: *Ignis ... in altari* meo *semper ardebit, quem nutriet sacerdos subiciens ligna mane per singulos dies.* [9] Nos sumus templum Dei; sic ait Paulus: *Templum ... Dei sanctum est, quod estis vos;* [10] *Corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti.* [11] In hoc templo super altari cordis nostri vult Deus semper ardere non ignem alienum carnalis concupiscentiae,

at praeceptum hoc spectat etiam ad omnes fideles, qui caritate fulgere debent,

2) Pericope huius diei Mt 18, 15-22. Cf. Missale Rom. 3) Missale quidem Rom. habet: *Dixit Iesus discipulis suis;* postea vero Matthaeus introducit Petrum. Cf. ibid. vrr. 21-22; Lc 17, 3-4. 4) Cf. Mt 16, 17-19. 5) Cf. Io 21, 15-19. 6) Cf. Lv 24, 2-4. 7) Cf. Ex 28, 9-29. 8) 17, 3. 9) Lv 6, 12. 10) 1 Cor 3, 17. 11) Ibid. 6, 19. Vulg.: *Membra vestra templum*, etc.

ob quem damnati fuerunt Nadab et Abiu, [12] sed ignem divinum, ignem coelestem, ignem sanctum divinae caritatis.

In hoc templo vult Dominus ardere semper septem lucernas aurei candelabri, quod est gratia Spiritus Sancti, septem autem lucernae septem dona ipsius, septem virtutes divinae: tres theologicae et quattuor cardinales, quae sint in anima nostra sicut septem planetae in coelo. Sicut autem inter septem planetas unus est omnium maximus constitutus in medio eorum, sol, ita inter virtutes una omnium maxima est caritas, regina virtutum: *Maior autem horum est caritas.* [13]

quia inter omnes virtutes caritas veluti regina est.

III. Hanc singulariter a nobis Deus requirit, quoniam haec sola nos Deo similes efficit: *Deus* enim *caritas est, et qui manet in caritate in Deo manet et Deus in eo.* [14] Haec sol virtutum est illustrans omnes virtutes, sicut sol planetas. Sol efficit clarum diem, constituit quattuor tempora et duodecim anni menses, percurrit duodecim signa coeli illisque recurrit, complet annum aliumque incipit, ut serpens hic in circulo positus devoret caudam suam. [15] Sic caritas complet annum illum, de quo scriptum est: *Benedices coronae anni benignitatis tuae;* [16] *Praedicare annum Domini acceptum;* [17] efficit diem lucidae vitae: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est;* [18] hebdomadam septem donorum Spiritus Sancti, nam caritas nunquam est sine Spiritu Sancto: *Requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus,* etc. [19] Efficit mensem faciens fructum trigesimum, [20] efficit quattuor tempora: perficit quattuor cardineas virtutes; efficit annum ex duodecim mensibus: servat universam legem Dei omniaque duodecim praecepta, decem quidem Legis Antiquae et duo Legis Novae. [21] Percurrit duodecim signa coelestia: incipit a C a p r i c o r n o, cum sol ab altissimo polo arctico longissime distat; sic utique cum homo incipit Deum amare ex caritate coelitus data – *Caritas* enim *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum,*

Caritatem Deus a nobis singulariter requirit, quia haec sola similes Deo nos efficit et ceteras virtutes suo splendore illustrat et perficit.

Comparatione solis duodecim signa coeli percurrentis

12) Cf. Lv 10, 1-2; Nm 3, 4. 13) 1 Cor 13, 13. 14) 1 Io 4, 16. 15) Cf. S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim*, pag. 429, not. 22. 16) Ps 64, 12. 17) Lc 4, 19. 18) Mt 5, 16. 19) Is 11, 2. 20) Cf. Ez 47, 12; Mt 13, 23; Apc 22, 2. 21) Duo Legis Novae: dilectio Dei et dilectio proximi. Cf. Mt 22, 36-40; Mc 21, 28-31.

ostenditur progressus caritatis in homine erga Deum primo,

qui datus est nobis,[22] – longissime distat a Deo, sed tunc incipit appropinquare Deo; hinc venit ad Aquarium lacrimarum, sicut Magdalena; hinc ad Pisces per amaram poenitentiam, in qua anima propter Deum vivit tanquam piscis in mari; deinde ad Arietem, proficit semper de virtute in virtutem, semper in melius in cognitione et amore Dei; transit ad Taurum animal fortissimum: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio,*[23] diligit Deum fortissimo amore, ut propter Deum paratus sit homo ad sustinendos gravissimos labores; et tandem pervenitur ad Geminos, ubi sol in altissimo coelo est, polo propinquissimus, tunc dies sunt maximi, clarissimi et calidissimi. Sic caritas ad summum tendit pervenitque apicem perfectionis.

usque ad apicem perfectionis,

Tunc ad Cancrum ingreditur, incipit paululum retrocedere et longe fieri a polo, nec tamen dies sunt minus clari et calidi. Requirit caritas ut, post Deum, proximum etiam diligamus et ut pro salute proximi nonnunquam divinam contemplationem homo Deo deditus relinquat, ut non sit vita nostra tantum Rachel sed etiam Lia,[24] non tantum Moyses sed etiam Iosue pugnans contra Amalec,[25] non tantum Salomon sed etiam David bellicosus,[26] non tantum Ioannes sed etiam Petrus,[27] non tantum Magdalena sed etiam Martha.[28] Moyses descendebat a monte, ubi cum Deo conversabatur, ad populum;[29] Christus similiter fecit: nocte orabat, die autem praedicabat et sanabat infirmos.[30] Intrat in Leonem sol, ubi ardentissimus est: caritas erga proximum ea fortitudine praedita est, ut pro salute fratris animam etiam ponat vitamque prodigat: *Maiorem caritatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*[31] Sic Apostoli, sic sancti Martyres fecerunt. Percurrit sol iste signum Virginis, diligens semper proximum purissimo et virginali amore. Percurrit signum Librae, cupiens in omnibus vitam iustitia summa praeditam optimisque moribus virtutibusque ornatam.

et deinde erga proximum,

Hinc in Scorpionem ingreditur, animal venenosum, sed

22) Rom 5, 5. 23) Ct 8, 6. 24) Cf. Gn 29, 16 sqq. 25) Cf. Ex 17, 8-13. 26) Cf. Eccli 47, 1-20. 27) Cf. Io 21, 15-23. 28) Cf. Lc 10, 38 sqq. 29) Cf. Ex 19, 1 sqq.; 24, 1-3; 34, 29 sqq. 30) Cf. Lc 6, 12 sqq. 31) Io 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem nemo,* etc. Affert ex Breviario Rom. Commune Apostolorum, 1 Vesp., secunda antiph.

coeleste non terrenum: caritas venenum est omnium vitiorum et peccatorum, sicut cupiditas mala venenum est omnium virtutum. Utitur caritas arte scorpionis ad occidendum peccatum: prius blanditur, deinde pungit caudaque venenum scorpio infundit; [32] sic, inquam, caritas: *Corripiet me iustus in misericordia et increpabit me;* [33] *Fratres... si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis;* [34] *Non* enim *in commotione Dominus... non in spiritu Dominus... non in igne Dominus,* [35] sed in aura suavi Dominus, dixit Angelus Eliae, eo quod multa cum severitate Achab regem impium corripuerat. [36] Virga Elisei per Giezi servum non suscitavit mortuum filium, sed ipse Eliseus pluries se super ipsum inclinans et orans. [37] Deus veniens ad corripiendum parentes nostros ob commissum peccatum, in aura pomeridionali suavissima venit. [38] Sic Nathan corripuit David proposita aenigmatica parabola, ac tunc venenum infudit divinam comminando vindictam iuxta gravitatem admissi sceleris et peccati, ac sic occidit peccatum lucratusque fuit et salvavit animam ipsius. [39]

usque ad correptionem fraternam, cuius finis est peccatum occidere

peccatorem in spiritu lenitatis corripiendo.

Quod si coelestis iste scorpio peccatum non occidit, deveniendum ad S a g i t t a r i u m est: *Dic Ecclesiae... sit tibi sicut ethnicus et publicanus,* [40] fulminetur contra eum excommunicationis sententia; nam ob id Dominus hodie dat universae Ecclesiae excommunicandi facultatem divinamque potestatem dicens: *Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo,* nam: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo... Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* [41] Sicut arca divinumque propitiatorium in medio duorum cherubim, [42] sic impoenitens peccator excommunicationis sententia fulminandus est et communione consortioque fidelium privandus.

qui si in contumacia perseveraverit, ad Ecclesiae tribunal deferatur fidelium communione privandus.

32) Sic putabant antiqui. Cf. Plinius *Historia Nat.*, lib. 11, cp. 25, pag. 125. 33) Ps 140, 5. 34) Gal 6, 1. 35) 3 Rg 19, 11-12. Ordine inverso affert has pericopes. 36) Cf. ibid. 18, 1-19, 1-3. 37) Cf. 4 Rg 4, 29-37. 38) Cf. Gn 3, 8-9. 39) Cf. 2 Rg 12, 1-13. 40) Mt 18, 17. 41) Ibid. vrr. 18-20. 42) Cf. Ex 25, 18-22; 37, 1-9.

Dat hodie Dominus praeceptum dimittendi iniurias a proximo nobis illatas,

IV. *Si peccaverit in te*, idest *contra te;* sic Chrysostomus,[43] Hieronymus[44] et Augustinus[45] interpretantur. Sic apud Lucam praecipit Dominus: *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum, et si poenitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies peccaverit in die et septies... poenitentiam egerit... dimitte illi.*[46] Sic Petrus intellexit, unde accedens ait: *Domine, quoties peccabit in me frater meus et dimittam ei? usque septies?* Dominus autem: *Non dico*, inquit, *tibi usque septies, sed usque septuagies septies.*[47]

toties quoties frater nos laeserit.

Et hic intellectus probatur per parabolam a Domino adductam ad hoc de servo debente regi decem millia talenta et nolente dimittere conservo suo centum denarios, quam Dominus concludit: *Sic et Pater meus coelestis faciet vobis, nisi remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*[48] Sic Dominus vult nos omnes dimittere iniurias a fratribus acceptas. Ubi videre est qualem quantamque a nobis Christus caritatem requirat, ut toties quoties frater laeserit nos, etiam si pluries in die, et poenituerit eum, nos ei dimittamus iniurias, et si illum minime per se poenituerit, nos eum ad poenitentiam deducere conemur corrigendo ex caritate, ut lucremur animam ipsius.

Requirit a nobis Christus maximam caritatem, quam ipse in terra venit accendere

Requirit a nobis Christus maximam caritatem; Evangelium enim Christi lex illa ignea est, quam Moyses dixit ad dexteram Dei esse: *In dextera eius ignea lex.*[49] Ignem illum magnum requirit a nobis Christus, fortem illam dilectionem: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio: lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam.*[50] Magnum necesse est ignem esse, quem nec multa quidem flumina possint extinguere, sed potius nutrire. Hoc est quod Christus ait: *Usque septuagies septies.* Iniuria veluti aqua est ignem amoris extinguens, faciens ex amico inimicum: *Aquae multae non poterunt extinguere caritatem.*

Hunc ignem ait Dominus venisse se mittere in terram: *Ignem*

43) *In Matthaeum*, hom. 60, (P. G. 58, 583-585). 44) *Comment. in Evang. Matthaei*, lib. 3, (P. L. 26, 131). 45) *Sermo 82*, cp. 3-7, ibid. 38, 507-510. 46) 17, 3-4. Vulg.: *Et si septies in die peccaverit in te et septies... conversus fuerit*, etc. 47) Mt 18, 21-22. 48) Ibid. vr. 35. Vulg.: *Si non remiseritis*, etc. 49) Dt 33, 2. 50) Ct 8, 6-7. Vulg.: *Non potuerunt extinguere*, etc. Cf. part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 168, not. 20.

veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? [51] ut ardeat? Alius E v a n g e l i s t a ait: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* [52] Ignis hic gladius est contra peccatum, gladius ille igneus Cherubim custodientium *viam ligni vitae.* Postquam peccavit Adam, eiecit illum Deus de paradiso et posuit ante paradisum Cherubim tenentes gladium igneum *atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitae.* [53] Vult Christus fideles suos esse homines angelicos, cherubicos; fideles enim Christi sub Evangelio designabant cherubim in sancta sanctorum, quod nostrae Ecclesiae hieroglyphicum erat. Hos Dominus vult habere gladium igneum et versatilem. Gladius caritas est occidens omne vitium omneque peccatum, et ignis aurum purgans, illustrans et perficiens, purgans, illuminans et perficiens aerem.

et per gladium igneum atque versatilem figuratam, quo veluti Cherubim paradisi armati esse debent omnes fideles.

Quamvis Cherubim illi designent etiam principes Ecclesiae, hinc dicuntur *Cherubim*, quasi כְּרַבִּים, [54] quasi m a g n i, quasi m a g i s t r i. Hos *ad custodiendam viam ligni vitae* necesse est habere secum et flammam et gladium: flammam correptionis caritativae, et gladium iudicialis ad custodiendam, sive servandam viam salutis, quae est divinae legis observantia. Hinc in arca una cum Lege [55] erat vas mannae, [56] symbolum caritatis, et virga Moysi, [57] sceptrum principis, signum iustitiae.

Hoc gladio correptionis caritativae et iudicialis armati esse debent etiam principes Ecclesiae pro custodia divinae legis.

Dominus autem in sacrosancto hodierno Evangelio de utraque loquitur: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum*, etc.: haec est correptio caritatis; *Si... Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, procedatur contra eum iudicialiter, feratur contra eum excommunicationis sententia, ut vel timore supplicii et vexatione dante intellectum, [58] resipiscat peccatumque relinquat. Utraque enim necessaria est: prima quidem ad particulare beneficium fratris, altera vero ad universale totius Ecclesiae. Sicut enim a corpore praeciditur nonnunquam unum membrum ne totum pereat, et morbida facta ovis de ovili eicitur ne totum corrumpat ovile, sic pro salute totius Ecclesiae ac reipublicae necesse est ut impius de medio tollatur. Hinc P a u l u s incestuosum illum corinthium in

De utraque loquitur hodie Dominus, quia utraque necessaria est pro bono fratris et totius Ecclesiae.

51) Lc 12, 49. 52) Mt 10, 34. 53) Gn 3, 24. 54) Ms.: *Cherabim.* 55) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 56) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 57) Cf. Nm 17, 10; 20, 9; Hebr 9, 4. Cf. part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 248, not. 118. 58) Cf. Is 28, 19.

poenam delicti tradidit satanae per excommunicationis sententiam: Quoniam, inquit, *modicum fermentum totam massam corrumpit* [59] et modica scintilla *magnam silvam incendit;* [60] sic unius Achan peccatum nocuit universae reipublicae Hebraeorum in ingressu terrae promissionis. [61]

Magis declaratur mandatum correptionis fraternae.

V. *Si peccaverit in te frater tuus.* Haec prima correptio est caritatis, ubi Dominus et mandatum dat et causas mandati assignat: *Si peccaverit in te frater tuus, vade... corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Nobis declarandum prius erit mandatum, deinde rationes assignandae, quibus Christus mandati huius observantiam suadet.

a) Hoc non obligat nisi peccatum fuerit mortale,

Si peccaverit. Non est de necessitate ut fiat correptio nisi peccatum fuerit mortale, hoc enim tantummodo hominem perdit. Christus autem dicit: *Lucratus eris fratrem tuum;* ergo perditus erat. Loquitur igitur de peccato letali. Veniale enim peccatum, quod suapte natura citra caritatem est, caritatem non destruit, non separat hominem a Deo, quae separatio mors est animae.

b) certum et notum corripienti;

Si peccaverit in te, ita tamen ut tu noveris illum commisisse aliquid contra te, si enim non nosti minime teneris, ideo ait: *Si peccaverit in te,* si te laeserit. Tibi enim peccatum notius est, te magis urit, tu magis sentis gravitatem peccati, quare multo efficacius illi ostendes gravitatem peccati et ille videns te, iniuria animo nil laesum, studiosum esse salutis ipsius, multo magis movebitur. Sic Ioseph corripuit fratres suos, [62] David Saulem semel et bis, unde prorupit Saul in lacrimas; [63] sic Ioab corripuit Absalomum, eo quod campos eius incenderat; [64] Abraham corripuit Abimelech [65] et similiter Isaac alterum Abimelech successorem prioris. [66]

c) si secretum, secreta debet esse correptio;

d) hoc praeceptum urget

Tertio, si peccatum secretum est, secreta necesse est ut sit correptio, hinc ait: *Inter te et ipsum solum,* secus si delictum est publicum. Nam sic Paulus iubet *Timotheo*: *Peccantes coram omnibus argue,* [67] et ipse publice Petrum arguit. [68] Quarto, quod non tenemur corripere nisi fratrem fidelem, subditum Ecclesiae, nam:

59) 1 Cor 5, 1-6. 60) Iac 3, 5. 61) Cf. Ios 7, 1 sqq. 62) Cf. Gn 37, 2.
63) Cf. 1 Rg 24, 9-17; 26, 17 sqq. 64) Cf. 2 Rg 14, 30 sqq. 65) Cf. Gn 20, 1 sqq.
66) Cf. ibid. 26, 6-11. 67) 1 Tim 5, 20. 68) Cf. Gal 2, 11.

De iis qui foris sunt quid ad nos? inquit Apostolus.[69] Quinto, quo fine corripiendus est: non ad vindictam, sed ex caritate, ut lucreris fratrem tuum. Sexto, quo modo: *In spiritu lenitatis,*[70] in misericordia; lingua doceat nos, quae carnea non ossea est, mollis non dura.

si agatur de peccatore fideli; e) fiat autem ex caritate f) et cum misericordia.

Super omnia tamen inspiciendum est cui imponat Dominus munus correptionis faciendae. Nam praecipue Simoni dixit: *Si peccaverit in te frater tuus; Corripiet me iustus in misericordia,*[71] ne possit ei dici: *Hypocrita, eice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ut eicias festucam de oculo fratris tui.*[72] Cum Dominus misit Isaiam ad praedicandum populo et ad carpenda peccata, prius mundavit labia eius calculo ignito;[73] Ieremiam sanctificavit in utero matris ut dignus esset divini verbi praedicator;[74] Ioannem Baptistam in utero matris Spiritu Sancto replevit ut populo poenitentiam praedicaret;[75] Christum Filium suum ad hoc idem misit in mundum divina sanctitate praeditum,[76] ut nemo posset ei dicere: *Medice, cura teipsum.*[77] Ad hoc misit omnes Prophetas, Apostolos et Doctores Spiritu Sancto plenos, ut digni essent vitiorum correptores, omnium peccatorum correptores optimi. Hinc dixit Simoni, qui perfecta caritate praeditus erat, nec tantum caritate, sed etiam gravitate ratione aetatis.

Mandatum hoc praecipue imponitur praelatis,

In hoc enim negotio auctoritas summi est ponderis et maxime movet; multo efficacior est correptio facta a praelato quam a subdito, a domino quam a servo, a viro nobili quam ab ignobili, a sacerdote et religioso viro quam a saeculari, a sene quam a iuvene. Ob id Christus respiciens in discipulos suos dixit Simoni, seniori maturioris aetatis et iudicii, viro maioris auctoritatis et gravitatis: *Si peccaverit in te frater tuus, vade... corripe eum inter te et ipsum solum.*

in hoc enim negotio auctoritas summi ponderis est.

VI. Super omnia vero inspiciendus est ordo servandus in fraterna correptione: a levioribus incipiendum est et ad graviora procedendum, si tamen opus fuerit, sicut agit medicus curando infirmum: si leves dulcesque potiones possunt infirmum curare, non adhibet graves et

Ordo etiam servandus est in fraterna correptione, a levioribus ad graviora procedendo;

69) 1 Cor 5, 12. Vulg.: *Quid... mihi de iis qui foris sunt?* 70) Gal 6, 1. 71) Ps 140, 5.
72) Mt 7, 5. Vulg.: *Eicere festucam,* etc. 73) Cf. Is 6, 6-7. 74) Cf. Ier 1, 5.
75) Cf. Lc 1, 41-44. 76) Cf. ibid. 4, 18-21. 77) Ibid. vr. 23.

amaras valde; sed si, facto periculo, illae nihil prosunt, pergit ad graviores et tandem, cum opus fuerit, ad ferrum et ignem: secat, urit, vulnerat, semper tamen ut curet, ut sanet. Sic utique Christus docet ut a levioribus incipiamus.

prius secreta admonitio sit;

Si fratrem salvare possumus integra salvaque eius fama, vult ut id satagamus. Hinc praecipit ut secrete corripiamus: *Inter te et ipsum solum.* Deinde vero, quoniam multo praestantior est anima honore et fama, vult ut, si secreta monitio nil iuvat, adhibeamus duos vel tres testes: *Adhibe tecum... unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum;* [78] quod si nec id quidem iuvat, dicatur Ecclesiae, congregationi fidelium. In primitiva enim Ecclesia, convocato fidelium conventu cum Episcopis, fiebant publice correptiones. [79] Hinc P a u l u s de incestuoso illo corinthio ait: *Congregatis vobis et meo spiritu,* iudicavi *tradere huiusmodi* hominem *satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat.* [80] In primitiva enim Ecclesia si quis excommunicabatur, statim tanquam alter Saul [81] a malo spiritu arripiebatur; [82] sic idem P a u l u s *ad Timotheum* dicit se tradidisse satanae Hymenaeum et Alexandrum ob peccatum blasphemiae, ut discerent non blasphemare. [83] O si et modo excommunicati a malis daemonibus obsessi corpore vexarentur, sicut filia chananaeae quae male a daemonio vexabatur, [84] profecto non esset qui expectaret excommunicationis sententiam ut a peccato desisteret, nec ad Ecclesiae tribunal adduci pateretur, sed statim correptus dignos faceret poenitentiae fructus! [85]

si haec non prodcrit, fiat coram paucis testibus, et tandem ad Ecclesiae tribunal deferatur.

Pauci sunt qui possunt corripere ob defectum virtutis,

VII. Sed, bone Deus, ad quid hodie loquimur de fraterna correptione, cum nec inveniatur qui corripere possit nec qui corripi velit? Non, inquam, qui possit, nam: *Corripiet me iustus in misericordia; Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite.* At nos vel omnes carnales et peccatores sumus. Correptor necesse est ut iustus sit, ne dicatur ei: *Medice, cura teipsum,* et: *Eice primum trabem de oculo tuo;* deinde ut sit caritate

78) Mt 18, 16. 79) Cf. A. Calmet *Comment. in Matth.*, cp. 18, t. 7, pag. 193-194.
80) 1 Cor 5, 4-5. Vulg.: *Salvus sit.* 81) Cf. 1 Rg 16, 14. 82) Cf. Theodoretus *Interpr. Epistolae 1 ad Cor.*, (P. G. 82, 262); Theophylactus *Exposit. in Epistolam 1 ad Tim.*, ibid. 125, 27-30; S. Ambrosius *Comment. in Epistolam ad Tim.*, (P. L. 17, 466).
83) Cf. 1 Tim 1, 20. 84) Cf. Mt 15, 22. 85) Cf. ibid. 3, 8; Lc 3, 8; Act 26, 20.

praeditus, ut odio habeat peccatum et diligat peccatorem, sed : *Quis est hic et laudabimus eum?* [86] Quod et si quis inveniatur vir bonus et iustus qui posset quidem, vix reperitur qui velit, sed quisque cum Cain dicere mihi videtur : *Nunquid custos fratris mei sum ego?* [87] Quasi non teneretur iure etiam naturae diligere fratrem suum sicut seipsum. [88]

pauciores vero qui corripi velint;

Et multi quidem linguam habent satis potentem ad publicandum fratris peccatum, ad infamandum, ad detrahendum, ad murmurandum, non ad corripiendum. Et cum dederit nobis Deus linguam tanquam gladium Gedeonis [89] ad occidendum peccatum et salvandum peccatorem, nos lingua utimur ad defendendum peccatum et offendendum peccatorem. Bone Deus ! non reperitur in mundo fons unde scaturiat simul dulcis et amara aqua, arbor simul faciens fructus bonos et malos, dulces et amaros. Lingua autem Deum laudamus et proximos vituperamus, benedicimus Deo et maledicimus hominibus ; [90] imo multos coram laudamus eisque adulamur, quos retro vituperamus et blasphemamus.

multi autem qui lingua utuntur ad fratrem infamandum murmuratione, vel hypocrite adulandum,

Si quis autem reperiatur qui possit et velit, resuscitare vult mortuum baculo Elisei ; sed non fuit possibile; opus fuit ut ipsemet Eliseus iret ad suscitandum mortuum sese inclinans super eum. Virga Moysi proiecta in terram conversa fuit in colubrum, [91] et ipse Moyses peccavit, quia ad deducendam aquam de petra voluit eam bis percutere, [92] cum verba suffecissent, sicut Dominus ait: *Loquimini ad petram ... et illa dabit aquas.* [93] Non enim iussit ei Dominus ut virga percuteret petram, sed ut virgam manu tenens loqueretur ad petram. Sic Elias dure nimis corripuit Achab, sed correptus Achab minime correctus fuit, [94] baculus mortuum non suscitavit. Spiritu mansuetudinis opus est.

vel modis asperis reprehendendum;

Quod si quis tandem reperiatur qui iure possit et velit peccatorem corripere, non invenitur qui corripi velit, sed multi correpti peiores fiunt, sicut heri vidimus de Nazarenis, qui a Christo correpti repleti fuerunt ira volueruntque Christum occidere. [95] Sunt enim

multi etiam qui correpti peiores fiunt insaniendo in correptorem.

86) Eccli 31, 9. 87) Gn 4, 9. Vulg.: *Num custos*, etc. 88) Cf. Lv 19, 18; Mt 5, 43; 22, 39. 89) Cf. Idc 7, 14. 20. 90) Cf. Iac 3, 9. 91) Cf. Ex 4, 3; 7, 10. 92) Cf. Nm 20, 11. 93) Ibid. vr. 8. 94) Cf. 3 Rg 20, 38 sqq. 95) Cf. Lc 4, 23-29. Missale Rom. Feria Secunda Dom. Tertiae Quadr.

hi similes insanis, qui si in speculo turpes sese viderint, irascuntur in speculum illudque proicientes in terram confringunt. Sic Achab odio habebat Michaeam quia vera nunciabat ei.[96] Infirmi oculi sicut noctuarum odio habent lucem.

II. ALIA HOMILIA

Si peccaverit in te frater tuus, vade . . . corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.[1]

Dominus, duo mandat hodie: dimittere iniurias et fratrem corripere ad eum salvandum.

I. Voluit Dominus ut supra altare sacrificiorum sacer ignis perpetuo arderet,[2] ita perpetuam a bonis exigit caritatem, ut semper Deum diligamus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente et ex omnibus viribus et proximum nostrum sicut nosmetipsos.[3] Fraterna autem correptio opus est caritatis, nec simpliciter caritatis, sed magnae utique caritatis ; requirit enim hodie a nobis Christus ut si quis nos verbis aut factis offenderit, toties quoties nos laeserit dimittamus ei iniurias ex caritate. Sic ait Petro : *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies,*[4] sicut Deus dimittit nobis toties quoties peccamus et poenitentes veniam petimus; hoc autem comprobat Christus parabola decem millium talentorum.[5] Nec tantum vult ut dimittamus, si eum poenituerit peccati, sed si non poenituerit, sed in peccato permanserit, nos ex caritate quaeramus fraterna correptione ad poenitentiam eum inducere : *Si peccaverit in te frater tuus, vade . . . corripe eum.* Ad faciendum autem haec duo magna opus est caritate.

Duplici via salus fratris quaerenda est: caritatis et iustitiae.

Vult autem Dominus ut duplici via quaeramus proximi nostri salutem : via caritatis et via iustitiae. Via caritatis : *Vade . . . corripe;* via iustitiae : *Dic Ecclesiae; et si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus,*[6] ut sit anima nostra sicut columna illa coelestis quae per diem nubes erat, per noctem vero ignis ;[7]

96) Cf. 3 Rg 22, 15-18.

1) Mt 18, 15. 2) Cf. Lv 6, 13. 3) Cf. ibid. 19, 18; Dt 6, 5; Mt 22, 37-39; Mc 12, 30-31. 4) Mt 18, 22. 5) Cf. ibid. vrr. 23-27. 6) Ibid. vr. 17. Vulg.: *Si autem Ecclesiam*, etc. 7) Cf. Ex 13, 19-20.

sicut Cherubim habens duas facies, hominis et leonis;[8] ut corripiamus fratrem primo quidem humane: *In spiritu lenitatis,*[9] postea utamur severitate quadam iustitiae. Quoad primum ait: *Vade... corripe,* sed ex caritate, ut lucreris, nam: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Cum Dominus praecepit ut inimicos nostros diligamus, ait: *Ut sitis filii Patris vestri qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos... Estote ergo* et *vos perfecti, sicut... Pater vester coelestis perfectus est.*[10]

Praeceptum hoc opus perfectae caritatis est et Deo quam maxime similes nos reddit, qui semper in corripiendo mitissimus fuit.

Quoniam utique praeceptum illud adimplere opus est perfectae caritatis, ideo proposuit Dei exemplum voluitque nos Deo similes et perfecta praeditos caritate. Hodiernum autem praeceptum illi quam simillimum est, ideo servandum est ut simus Deo similes. Deus enim, cum peccassent primi parentes nostri generis in paradiso, venit et corripuit eos, sed venit non in maiestate terribili, uti cum venit ad dandam legem,[11] sed venit cum vento quodam suavi et levi: *Ad auram post meridiem,*[12] sicut cum venit ad consolandum Eliam in monte sancto Horeb, venit in sibilo aurae suavis, nam ait Angelus: Non in tempestate Dominus, *non in commotione Dominus... non in igne Dominus,* sed in sibilo levi Dominus,[13] quoniam *Deus caritas est.*[14] Sic misit Nathan ad corripiendum David[15] *in spiritu lenitatis;* sic tandem misit Christum in mundum ad corripiendos peccatores, sed in mansuetudine. Si igitur venit Deus, venit Christus ad corripiendos peccatores qui in Deum peccaverant; tu quoque, qui filius Dei es per adoptionem, ut Deo sis caritate similis, *vade... corripe* fratrem tuum qui in te peccavit.

Magnum praemium promittitur corripienti, quia Deus maximi facit salutem animae;

II. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Hoc est quod Divus Iacobus ait: *Fratres... si quis vestrum a veritate erraverit et converterit quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam... a morte et operit multitudinem peccatorum;*[16] hoc est, *lucratus eris fratrem tuum:* salvasti animam ipsius a morte aeterna. Bone Deus, quale lucrum est istud! Praemium

8) Cf. Ez 1, 10. 9) Gal 6, 1. 10) Mt 5, 45 sqq. 11) Cf. Ex 19, 16-20, 1 sqq. 12) Gn 3, 8. 13) 3 Rg 19, 11-12. 14) 1 Io 4, 8. 16. 15) Cf. 2 Rg 12, 1-14. 16) 5, 19-20. Vulg.: *Si quis ex vobis erraverit a veritate,* etc. *Et operit* legitur in veteribus editionibus Vulg. Cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Et operiet.*

proponit Christus facienti fraternam correptionem, occidenti peccatum et salvanti peccatorem, sicut Saul proposuit magnum praemium percutienti philisthaeum [17] et David percutienti iebusaeum; [18] pluris enim Deus facit unam tantum animam quam totum mundum.

homo enim filius Dei est, ideo anima apud Deum infiniti est valoris.

Hoc est enim quod Deus prius universum mundum creavit, deinde unum tantum hominem [19] ad designandum quod propter hominem creatus est mundus. Homo est finis propter quem Deus mundum creavit; finis autem habet rationem optimi. [20] Si rex pro filio aedificet maximis sumptibus regale palatium ex lapidibus pretiosis, profecto quamvis palatium illud summi valoris esset ac summi pretii, rex tamen procul dubio pluris faceret filium quam palatium illud, etiam si Cyri palatium esset, quod inter orbis miracula numeratur. [21] Homo autem Dei filius est, mundus vero palatium quod Deus propter hominem construxit. Hoc est quod Christus [ait]: *Quid... prodest homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* [22] Res utique est anima nostra apud Deum pretii infiniti.

Nil in mundo excellentius anima,

quia imago Dei est, ab ipso condita et coelestibus donis praedita;

Designata autem mihi videtur in aurea lamina, quam supra mitram portabat sacerdos magnus, in qua nomen Dei ineffabile sculptum erat. [23] Aurum [24] enim metallum est omnium excellentissimum ac pretiosissimum, anima autem rationali in mundo nihil est excellentius, est enim [24*] imagine et similitudine Dei insignita tanquam luna soli simillima. Designata in arca, [25] quae veluti scrinium et thesaurus erat divitiarum Dei; sic anima condita a Deo est ut esset thesaurus scientiarum, thesaurus virtutum coelestium et thesaurus divinarum dignitatum. Erat autem induta auro incorruptibili propter immortalitatem.

et regina mundi constituta,

Videtur mihi esse mulier mirabilis amicta sole, habens sub pedibus lunam et in capite coronam stellarum duodecim. [26] Anima

17) Cf. 1 Rg 17, 25. 18) Cf. 2 Rg 5, 8; 1 Par 11, 6. 19) Cf. Gn 1, 1 sqq.
20) Axioma philosophicum, de quo cf. Aristoteles *Magnorum Moralium*, lib. 1, cp. 1, t. 2, pag. 85; S. Beda *Sententiae Philosophicae* (spuria), (P. L. 90, 982). 21) Cf. I. Hyginus *Fabularum Liber*, fab. 223, pag. 48. 22) Mt 16, 26. Vulg.: *Si mundum universum*, etc. 23) Cf. Ex 39, 29. 24) In margine haec adiecta fuerunt: « Sacerdos magnus Christus est, qui animam nostram supra caput suum portavit, nam pluris fecit salutem unius animae quam propriam vitam ». 24*) Ms.: *Autem* loco: *Enim*. 25) Cf. Ex 37, 1-5; 40, 18-19. 26) Cf. Apc 12, 1.

enim supra lunam est, quoniam non constat ex corruptibilibus elementis, est amicta sole propter intellectualem naturam, est coronata stellis quoniam regina est mundi; ait enim: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae.*[27] *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius.*[28]

pro cuius salute Christus vitam prodegit

Videtur mihi anima nostra margarita illa pretiosissima, qua inventa, mercator evangelicus, Christus, dedit omnia sua et comparavit eam;[29] pro salute enim unius animae Christus dedit non tantum omnia sua, sed etiam totum seipsum in cruce moriens; et poenitentia quidem unius animae peccatricis totum laetificat paradisum. Sic enim Christus ait quod sicut pastor habens centum oves, si perdiderit unam ex eis, multum laborat ad quaerendam eam, inventa autem nimium laetatur cum amicis suis; similiter mulier habens decem drachmas, si perdiderit unam ex eis, everrit totam domum ad quaerendam eam, inventa autem nimium laetatur cum amicis et vicinis;[30] sic gaudium magnum est in coelo *coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente.*[31] Hoc etiam docuit in parabola filii prodigi, quod pater, suscepto eo, magnum fecit convivium cum magna laetitia:[32] *Epulari*, inquit, *et gaudere* oportet, quia filius meus hic *mortuus erat et revixit, perierat et inventus est.*[33]

et de cuius conversione coelum laetatur.

Animam ergo correptione salvare magnum lucrum est, quod facillime acquiri potest.

Quae igitur lingua dicere unquam poterit quam magnum lucrum sit? *Lucratus eris fratrem tuum*, salvasti animam a morte aeterna, eripuisti cum Davide ovem a faucibus leonis infernalis,[34] nam: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret.*[35] Resuscitasti cum Elia[36] et Eliseo mortuum,[37] nam inquit: *Mortuus erat et revixit, perierat et inventus est;* lucratus es thesaurum infinitum. Hoc autem lucrum acquirere possumus minimo labore, facillimo negotio; verbis tantum utendum est: *Corripe eum... si te audierit.* Sic Nathan propheta verbis lucratus fuit David regem. Quod si passibus aliquibus opus fuerit: *Vade... corripe*, scito quod

27) Gn 1, 26. Vulg.: *Et praesit piscibus*, etc. 28) Ps 8, 6-8. 29) Cf. Mt 13, 45-46. Breviarium Rom. Commune Virginum, antiph. ad *Benedictus*. 30) Cf. Lc 15, 4-9. 31) Ibid. vr. 10. 32) Cf. ibid. vrr. 11-24. 33) Ibid. vr. 32. 34) Cf. 1 Rg 17, 34-36. 35) 1 Petr 5, 8. 36) Cf. 3 Rg 17, 19-22. 37) Cf. 4 Rg 4, 32-37.

Christus descendit de coelo ut Paulum corriperet, qui in ipsum peccabat; corripiendo autem lucratus fuit.[38]

Si secreta admonitio effectum non sortiatur, via iustitiae tentanda est,

III. Si autem via caritativae mansuetudinis et *in spiritu lenitatis* fratrem lucrari minime potes, iustitiae via tentandum est, si spes sit salutis: *Dic Ecclesiae.* Res mirabilis! Quanta fecit Deus pro homine! Pro salute corporis creavit hunc mundum, pro salute autem animae alterum mundum condidit, corporeo isto tanto augustiorem ac meliorem quanto anima est nobilior corpore. Mundus corporeus pro corporali vita continet necessaria ad conservandam vitam, nec tantum vitam, sed etiam sanitatem remediaque contra infirmitatem, sed non remedia contra mortem; non potest mundus resuscitare mortuum. Ecclesia autem continet omnia necessaria ad vitam sanitatemque animae et potest etiam mortuam animam vivificare iustificando a peccatis per gratiam Sacramentorum.

nam Christus Ecclesiam instituit

De Ecclesia autem tria dicit hodie Christus. Primum est: *Amen dico vobis, quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.*[39] Secundum est: *Iterum dico vobis quia, si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint fiet illis a Patre meo.*[40] Tertium est: *Ubi... sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,*[41] sicut divinum propitiatorium in medio cherubim.[42] Divina igitur potestate praedita est Ecclesia, habet enim claves paradisi, habet et claves inferni; potest obtinere a Deo quicquid vult; Christum semper secum habet: *Ecce ego vobiscum sum... usque ad consummationem saeculi.*[43]

divina potestate praeditam,

Est igitur tribunal Ecclesiae valde formidabile; sic enim ait Iacob: *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam; pavensque: Quam terribilis est, inquit, locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli.*[44] Terribile est tribunal Ecclesiae, siquidem iussit Deus ut si quis non obediret sacerdotis imperio, morte mulctaretur.[45] Et quanto anima nobilior est corpore tanto mors animae, quae per sententiam excommunicationis infertur, terribilior est morte corporis.

ideo valde terribile est eius tribunal quod mortem animae decernere potest.

38) Cf. Act 9, 3-6. 39) Mt 18, 18. Vulg.: *Quaecunque alligaveritis*, etc.
40) Ibid. vr. 19. 41) Ibid. vr. 20. 42) Cf. Ex 37, 6-9. 43) Mt 28, 20.
44) Gn 28, 16-17. 45) Cf. Dt 17, 12-13.

Sicut autem omne membrum quod a corpore rescinditur, statim ut resectum est, mortuum est, sic omnis homo qui per sententiam excommunicationis rescinditur a corpore Ecclesiae, ita ut fiat *sicut ethnicus et publicanus*, mortuus est spiritu coram Deo. Sicut enim in terra separatur a consortio fidelium, ita in coelo a communione Sanctorum fitque ex templo Spiritus Sancti templum satanae, ex Angelo paradisi daemon infernalis.

Multa Christus fecit pro animae salute,

IV. *Si peccaverit in te frater tuus, vade... corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris*, etc. Ut lucreris fratrem tuum, ut salves animam a morte, *vade*, inquit, *corripe*. Ad hoc venit Christus; et in conversione quidem samaritidis mulieris, quam Christus *in spiritu lenitatis* corripuit atque convertit, legimus quod *fatigatus est ex itinere*. [46] O quale iter sumpsit Christus! *A summo coelo egressio eius;* [47] *Exivi a Patre et veni in mundum;* [48] abiit usque ad mortem crucis. Descendit ab altitudine Dei – *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos;* [49] *Ascendet homo ad cor altum et exaltabitur Deus*, [50] – usque ad *inferiores partes terrae:* [51] ad infernum usque descendit ad salvandas animas, et corripuit praedicando Evangelium per seipsum et postea per Apostolos, sicut prius per Prophetas mundum corripuerat. Nobis autem facillima praecipit : *Vade et corripe:* paucis utere passibus et verbis ut convertas *peccatorem ab errore viae suae*. Quod quidem divinum est opus ac miraculum multo maius quam creare mundum, [51a] sed : *Omnia possibilia sunt credenti;* [52] *Omnia possum in eo qui me confortat;* [53] Dominus enim dat voci nostrae *vocem virtutis*. [54] Verbum enim Domini est *sicut ignis... et sicut malleus conterens petras*, [55] et *vivus est... sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti*, [56] potens educere de petra durissima aquas : *Loquimini ad petram... et illa dabit aquas*. [57] Sic Eliseus verbo Domini produxit in solitudine aridissima copiosissimas aquas sufficientes tribus exercitibus ad bibendum. [58] Si autem quis ex caritate fratrem corripiat, *verba Dei loquitur*, [59] nam ubi caritas ibi Deus, [59a] ibi Spiritus Sanctus qui dat

nobis autem facillima praecipit ad maximum hoc miraculum operandum,

ad quod Deus ipse nobis suam virtutem praestat.

46) Io 4, 6. 47) Ps 18, 7. 48) Io 16, 28. 49) Ps 96, 9. 50) Ps 63, 7-8. Vulg.: *Accedet homo*, etc. 51) Eph 4, 9. 51a) Cf. S. Augustinus *In Io. Evang.*, tract. 72, (P. L. 35, 1823). 52) Mc 9, 22. 53) Phil 4, 13. 54) Ps 67, 34. 55) Ier 23, 29. Vulg.: *Quasi ignis... et quasi malleus conterens petram*. 56) Hebr 4, 12. 57) Nm 20, 8. 58) Cf. 4 Rg 3, 10-20. 59) Io 3, 34. 59a) Missale Rom. in Coena Domini, *Mandatum*.

linguam igneam, ut sit homo verbis profluus et caritate fervidus, [60] ut oblitus iniuriarum et eorum *quae sua sunt*, tantum quaerat *quae sunt Iesu Christi.* [61] Sic caritas perditum hominem lucratur, mortuum resuscitat.

Peccatum fratris semper excusandum est, vel excusanda intentio, vel saltem fragilitas;

V. *Si peccaverit in te frater tuus, vade... corripe eum.* Si videris fratrem tuum veneno infectum et tu theriacam habes, antidotum et salutare remedium contra venenum, porrige ei ne veneno infectus moriatur. Si fratrem vides in mortis periculo et potes ei succurrere, affer ei auxilium. Si combureretur domus fratris tui, non afferres aquam ex propinquo praesentique fonte domus tuae ? Quod si grave tibi videtur praeceptum istud, considera Christi verba : *Si peccaverit in te frater tuus.* Nonnunquam tu putas quod peccaverit, et absque peccato est ; sicut populus Israel putavit quod tribus Ruben et Gad peccatum grave commiserint erigendo altare ; illi tamen nequaquam peccaverant, quia eorum intentio non fuit contra Legem altare illud erigere ad sacrificandum, sed in testimonium. [62] Sic fratris peccatum semper excusandum est ; si non possumus excusare opus, excusemus intentionem; quod si nec intentionem possumus excusare, excusemus illum, quod magna tentatione victus peccavit, hinc Christus dubitative loquitur : *Si peccaverit;* et cavendum est ne aggravemus peccatum, sed potius minuamus et alleviemus.

si vero nulla excusatio adsit, patienter iniuria ferenda est et cum caritate fratris salus quaerenda;

Quod si peccatum admodum grave sit, considera quod peccavit *in te.* Tu quidnam es nisi vilis homuncio, terra, cinis et pulvis ? Deinde considera quod *frater tuus* est, quamvis peccaverit, adhuc eiusdem naturae est eiusdemque fidei, et tu quoque in simile peccatum incidere potes; ideo si tu stas, vide ne cadas. [63] *Vade*, igitur, *corripe eum*, quia *non est valentibus opus medico, sed male habentibus,* [64] non sanus sed infirmus indiget medicina, non dives sed pauper eleemosyna eget. Si frater tuus cecidit in foveam, vide ut illum extrahas, porrige funem, quia sic *lucratus eris fratrem tuum.*

O lucrum ! Si enim vidua illa evangelica duobus minutis coelum sibi comparavit, [65] et si alter ille, dato calice aquae frigidae ex cari-

60) Cf. Breviarium Rom. Dominica Pentecostes, hymnus ad Laudes. 61) Phil 2, 21.
62) Cf. Ios 22, 10 sqq. 63) Cf. 1 Cor 10, 12. 64) Mt 9, 12. Vulg.: *Non est opus valentibus medicus*, etc. 65) Cf. Mc 12, 42 sqq.; Lc 21, 2-4.

tate, meruit paradisum,[66] quid tu apud Deum mereberis, si hominem a morte salvaveris? Si patri filium eripueris a mortis periculo eique dilectissimam prolem salvam praesentaveris, dic mihi: apud patrem istum, si vir sit grato animo praeditus, dives et valde potens, quid, quaeso, merueris? Suscepto autem filio prodigo salvo, piissimus pater nimium laetatus fuit conviviumque solemnissimum fecit cum magno gaudio et laetitia.[67] Sic qui peccatorem salvaverit, apud Deum infinitum meritum acquirit: *Lucratus eris fratrem tuum*, eripuisti a mortis periculo fratrem tuum, ergo filium Dei, nam Deus pater est omnium nostrum, ideo nos omnes, filii Dei cum simus, fratres sumus: *Patrem nolite vocare vobis super terram; unus est enim Pater vester, qui in coelis est,* Deus, *omnes autem vos fratres estis,*[68] et quisque nostrum Deo filius est carissimus; pluris enim Deus unum hominem facit quam mundum universum.

Infinitum enim meritum acquirit qui peccatorem salvaverit,

quia filium Deo lucratus erit.

VI. *Si peccaverit in te frater tuus*, etc. Multis rationibus Christus urget ad opus fraternae correptionis et quaerendae salutis proximi et fratris nostri. Prima ratio est: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*, magnum acquisivisti et reposuisti in coelo thesaurum. Secunda est: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo*, acquisitio magnae gratiae apud Deum, cui adeo gratum est opus hoc, ut in praemium huius operis petenti nihil se negaturum repromittat; gratia autem magni principis magni momenti est et ab hominibus maximi penditur. Tertia ratio: *Ubi* fuerint *duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*[69] Loquitur de congregatione pacis et caritatis: *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum! Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam... Aaron; sicut ros Hermon* et *qui descendit in montem Sion; quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in saeculum.*[70] Ubi Christus est *Sol iustitiae,*[71] thesaurus et fons omnium bonorum, ibi nullum potest malum contingere. Quare observantia huius praecepti non solum lucramur animam fratris, sed etiam gratiam Dei et ipsummet

Multis rationibus Christus urget ad fraternam correptionem,

qua magna gratia apud Deum acquiritur;

66) Cf. Mt 10, 42. 67) Cf. Lc 15, 20-24. 68) Mt 23, 8-9. Ordine inverso affert pericopen hanc. 69) Ibid. vr. 20. 70) Ps 132, 1 sqq. 71) Mal 4, 2.

Deum Iesum Christum Dominum nostrum, ut semper nobiscum sit. Quarta tandem ratio continetur in parabola decem millium talentorum, quam Dominus [adducit] ad suadendam condonationem iniuriarum servandumque praeceptum hoc fraternae correptionis, quod nisi nos caritate et pietate utamur erga proximum et fratrem nostrum, nec Deus utetur nobiscum ut dimittat nobis peccata nostra [72] : *Eadem... mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* [73]

est etiam maxime necessaria et salutifera christianae reipublicae;

Urget autem tantopere Christus ad opus hoc christianae caritatis, quoniam praeceptum hoc, praeter quam quod opus est iustitiae et caritatis magni apud Deum meriti et valoris, est etiam maxime necessarium et salutiferum christianae reipublicae. Autumat Divus Augustinus libro 1 *De Civitate Dei*, cp. 9, quod ob transgressionem praecepti huius multae adversitates immittuntur a Deo, quae et iustis et iniustis communes sunt. [74] Et sic in Divinis Litteris legimus quod Eli sacerdos, propterea quod neglexit corripere filios suos, [75] morte punitus fuit non tantum propria, sed etiam filiorum, et ut a Philisthaeis funderetur exercitus Israel et arca Dei caperetur a Philisthaeis, et sic in multa mala incurrit populus Dei. [76] Si Aaron corripuisset populum cum dixerunt ei : *Fac nobis deos qui nos praecedant,* [77] sicut fecit postea Moyses, non commisisset populus idololatriae peccatum, nec iram Dei incurrisset. [78] Et si Adam corripuisset Evam de transgressione divini mandati, mundus non fuisset damnatus.

e contra autem, omissio huius praecepti multorum malorum causa est.

Praeceptum hoc supramodum urgere debet principes et praelatos,

VII. O utinam principes, praelati et patres familiarum, quorum maxime interest opus hoc caritatis, tam salubri officio vel tantillam operam darent ! Procul dubio christianismus multis esset vitiis expurgatus. Sed nemo est qui hoc vel cogitet quidem, cum ipsi vel maxime et possint et debeant huic operi incumbere, nam :

« Urget praesentia Turni », [79]

quia auctoritas maxime movet.

movet admodum auctoritas dignitasque personae. Hinc universus Israel ad corripiendos Rubenitas et Gaditas de aedificio altaris ad ripam Iordanis, misit Phinees filium Eleazari summi pontificis et

72) Cf. Mt 18, 25 sqq. 73) Lc 6, 38. 74) P. L. 41, 21-23. 75) Cf. 1 Rg 2, 12 sqq. 76) Cf. ibid. 4, 1 sqq. 77) Ex 32, 1. 78) Cf. ibid. vrr. 21 sqq. 79) Virg. *Aeneid.*, lib. 9, vr. 73.

cum eo decem principes ad munus hoc obeundum. [80] Sic unus Moyses universum populum sua auctoritate et corripere et corrigere potuit de peccato idololatriae et sic populum salvare lucratusque fuit fratres suos.

Ad rite opus hoc exercendum tria requiruntur: bona conscientia, certa scientia, bona voluntas,

Ad hoc caritatis opus rite exercendum tria vel maxime requiruntur : Conscientia, scientia et experientia, ut homo possit, sciat et velit ex caritate fratrem corripere. Ut possit requiritur bona conscientia, ut sit homo boni nominis, bonae famae, virtute praeditus, vir probus, caritate et pietate plenus : *Corripiet me iustus in misericordia et increpabit me;* [81] haec virga est Moysi, [82] virga Aaron, virga Dei in arca fructibus plena. [83] Deinde requiritur scientia, cognitio peccati et peccatoris, ut sciat homo illud esse peccatum mortale, sciat etiam persuadere peccatorem ut convertatur *ab errore viae suae;* hae sunt tabulae legis. [84] Tandem requiritur bona voluntas plena desiderio salutis, ut homo velit caritate corripere fratrem suum ; hoc est vas mannae. [85]

quae in praesulibus reperiri debent.

Si autem tria haec in praesulibus et maioribus, qui sunt pastores et patres populorum ac medici male valentium, non reperiuntur, in quibusnam reperientur ? Et si praesules et praelati non moventur rationibus quas hodie Christus affert, quibus ad hoc opus praelatos maxime urgeat, quinam movebuntur ? Beatum populum, felicem Ecclesiam, cui Deus pastores et praelatos dedit, qui super omnia hoc satagant opus christianae caritatis !

Sed caritas et pietas ad hoc maxime requiritur;

Caritas et pietas ad hoc maxime requiritur, nam correptio facta sine caritate est sicut virga Moysi, quae iacta in terram conversa in colubrum fuit, [86] obest potius, non prodest. Eliseus ad suscitandum filium mulieris sunamitis misit Giezi cum baculo suo, sed baculus suscitare mortuum filium non potuit ; opus fuit ut ipsemet abiret et supra mortuum sese totum semel et bis inclinaret, et sic suscitavit eum, fusis etiam ad Deum precibus. [87] Misit Deus Moysen cum virga rigorosae legis ad mortuum mundum suscitandum, ad corripiendum mundum de peccatis suis, sed non profuit. Tandem opus fuit ut veniret ipsemet et misericordia ac pietate sua mundum sal-

80) Cf. Ios 22, 10-14. 81) Ps 140, 5. 82) Cf. Ex 4, 17. 83) Cf. Nm 17, 5-10. 84) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 85) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 86) Cf. Ex 4, 3; 7, 10. 87) Cf. 4 Rg 4, 31-36.

varet. Magnum opus est corripere fratrem ; est mortuum suscitare. Sed ad hoc opus est potius multa caritate quam severitate, dulci potius pietate quam ardenti zelo iustitiae et severitatis. Sic fecit Christus cum muliere deprehensa in adulterio : inclinavit se semel et iterum, [88] ac tandem dulciter monuit: *Vade et . . . noli amplius peccare.* [89]

quod si opus sit severitate, semper fiat magna cum misericordia, ut salvetur qui peccavit.

Quod si severitate opus est, misceat samaritanus vinum cum oleo et infundat in plagas sauciati ac semimortui, qui incidit in latrones daemones peccando. [90] Si tu, o homo, in fratrem tuum incideres a latronibus vel inimicis mortaliter sauciatum, num absque ulla humanitate cum sacerdote et levita pertransires ? Tam fero et inhumano corde et animo es ? Non ageres cum fratre tuo id quod samaritanus egit cum iudaeo, quamvis nequaquam couterentur Iudaei Samaritanis, sed inimici essent ad invicem ratione religionis et fidei ? [91] Cum autem peccavit in te frater tuus descendens ab Ierusalem ad Iericho, incidit in latrones, a quibus expoliatus est omnibus bonis et meritis gratiae et vitae aeternae et insuper mortaliter sauciatus est, multis vulneribus et plagis acceptis. Tu igitur, cum videris fratrem tuum in tam miserabili statu, non moveberis misericordia cum samaritano ?

Pauci sunt qui praeceptum hoc bene adimpleant, quia pauci veram caritatem habent

VIII. Mandatum hodiernum est caritatis praeceptum : *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* [92] quod quidem praeceptum declaravit Christus parabola illa pii samaritani. *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* quaere salutem illius, vel saltem desidera sicut tuam propriam. Sed hoc nostrum malum est, et propterea divinum istud praeceptum minime servatur, quoniam nosipsos, ut par est, minime secundum Deum diligimus, sed secundum carnem : *Qui enim diligit iniquitatem odit animam suam;* [93] quia non diligimus nosipsos secundum Deum, ideo nec proximos vere diligimus. Si nosmetipsos vere diligeremus et salutem animarum nostrarum vere et desideraremus et quaereremus, facile divinum hoc impleremus mandatum.

et pretium animae cognoscunt;

Negligimus autem, quoniam ignoramus quale quantumque sit lucrum hoc, quod Christus hodie proponit : *Lucratus eris fratrem tuum,* quoniam non cognoscimus dignitatem, pretium et valorem

88) Cf. Io 8, 3-8. 89) Ibid. vr. 11. Vulg.: *Amplius noli peccare.* 90) Cf. Lc 10, 30-37. 91) Cf. Io 4, 9. 92) Lv 19, 18; Mt 19, 19; 22, 39; Mc 12, 31. 93) Ps 10, 6.

animae nostrae et quanti faciat Deus animam nostram, pro cuius salute in mundum venit et in cruce mortuus est. Ex hac ignorantia oriuntur omnia mundi mala : *Homo, cum in honore esset, non intellexit,* ideo *comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis.* [94] *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me;* [95] sed quare ? *Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui, Israel autem me non cognovit... populus meus non intellexit.* [96] Utinam nosipsos cognosceremus ! Nam ex hac cognitione nasceretur amor, ex amore desiderium salutis nostrae, ex desiderio autem propriae salutis oriretur etiam verum et efficax desiderium salutis proximi et fratris nostri. Si cogitaremus, ut decet, salutem animae nostrae, cogitaremus etiam salutem proximi ; quandiu enim homo sanctis cogitationibus armatus est, peccare non potest nec vinci a daemonibus, sicut quandiu Samson capillos non amisit, superari a Philisthaeis minime potuit ; capillis autem abrasis, virtutem omnem amisit vilissimumque Philisthaeorum mancipium orbatus oculis evasit. [97] Nos autem eo deducti sumus ut nec cogitemus quidem quae pro salute nostra agenda nobis sunt ; nam cogitaremus etiam peccantem in nos fratrem corripere, cum praeceptum sit ad salutem utique necessarium.

si enim vere cognoscerent, utique tum propriam tum proximi salutem quaererent.

Si peccaverit in te frater tuus, vade... corripe eum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Tria nobis consideranda Christus proponit : personam, damnum et utile ; personam hominis, damnum peccati, utile correptionis. *Si peccaverit in te frater tuus.* Quid est *frater tuus ?* Homo fidelis, filius Dei et Sanctae Matris Ecclesiae ; *frater tuus,* quoniam omnes fratres sumus, filii Dei : *Omnes... vos fratres estis... Unus est enim Pater vester, qui in coelis est.* Quod si quilibet christianus est filius Dei, ergo et frater Christi, heres Dei et coheres Christi. [98] Haec est persona. Damnum autem peccati infinitum, nam homo per peccatum amittit gratiam Spiritus Sancti, caritatem, paternam Dei amicitiam et fraternitatem Christi, hereditatem coeli, merita omnia vitae aeternae, infinita bona, nec nisi reatum aeterni cruciatus in inferno acquirit mortemque perpetuam. Lucrum autem caritatis, quoniam restituitur homo per poenitentiam in gradum et

Ad urgendum hoc praeceptum tria consideranda Christus proponit: personam peccatoris, qui frater noster est;

damnum peccati, quod infinitum est; utile quod acquiritur, idest vita aeterna.

94) Ps 48, 13. 21. 95) Is 1, 2. 96) Ibid. vr. 3. 97) Cf. Idc 16, 6-30.
98) Cf. Rom 8, 17.

statum pristinum. O utinam tria haec cognosceremus, vel saltem ex corde crederemus et cogitaremus! Profecto tam salutare opus fraternae correptionis nequaquam tantopere negligeremus.

III. ALIA HOMILIA

Si peccaverit in te frater tuus, vade . . . corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. [1]

Vult hodie Dominus ut lingua nostra sit instrumentum salutis.

I. Nos creavit Christus Dominus ac verus Deus ut ei similes essemus. De ipso autem legimus quod de eius ore procedit *gladius ex utraque parte acutus.* [2] Lingua Christi, sermo Christi, verbum Christi gladius acutissimus est ad occidendum peccatum et defendendum ac salvandum hominem a peccato et potestate diaboli. Sic vult hodie Dominus ut sit lingua nostra gladius acutissimus contra peccatum ad salvandum hominem a peccato: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; Vivus est... sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti.* [3]

Magnam virtutem et potentiam Deus linguae contulit, ut esset veluti gladius in manu Angeli

Magnam Deus virtutem et potentiam contulit linguae humanae ad persuadendum et commovendum animum. Lingua hominis sapientis veluti fatalis est gladius in manu fortissimi ac fortunatissimi Hectoris aut Achillis, [4] nihil fere non obtinet linguae potentia. Lingua autem sacra divino spiritu mota gladius est igneus atque versatilis in manu magni Cherub. [5] Vult Dominus ut sit spiritus noster sicut Angelus ille, qui evaginato gladio stabat ut interficeret impium Balaam euntem ad maledicendum electum Dei populum; [6] nam verbum Dei a Paulo *gladius spiritus* dicitur. [7]

ad pugnandum pro salute fratris nostri;

Homo vivens in peccato servus et captivus diaboli est. [8] Pugnare nos vult Dominus contra diabolum, ut liberemus fratrem nostrum, sicut fecit beatissimus patriarcha Abraham; audiens enim quod Loth abduceretur captivus, armavit se pro viribus contra reges et liberavit Loth a captivitate: [9] *Lucratus eris fratrem tuum.*

1) Mt 18, 15. 2) Apc 1, 16. 3) Hebr 4, 12. 4) Cf. I. Hyginus *Fabularum Liber*, fab. 106, pag. 26. 5) Cf. Gn 3, 24. 6) Cf. Nm 22, 24-35. 7) Eph 6, 17. 8) Cf. Io 8, 34; 2 Petr 2, 19. 9) Cf. Gn 14, 13-16.

Lingua hominis vere christiani divina gratia et caritate praediti gladius est in manu Angeli ad perdendum peccatum, quod per poenitentiam deletur, et salvandum peccatorem: *Lucratus eris fratrem tuum.* Sed lingua hominis peccatoris a caritate alieni gladius est in manu daemonis; illa gladius in manu Christi, in manu Dei; haec gladius in manu satanae, in manu diaboli. Gladius triceps qui uno ictu tria vulnera infligit, tres vulnerat personas, dum murmurando ac traducendo famam proximi offendit Deum, proximum et seipsum.

sed lingua mala gladius est in manu daemonis, qui uno ictu tria vulnera infligit.

Lingua autem nostra, fratres, in cuiusnam manu gladius est? *Lingua eorum gladius acutus.* [10] Si a caritate et Spiritu Sancto movetur, gladius est in manu Christi; si autem ab iniquitate et maligno spiritu, gladius est in manu diaboli occidens peccatorem et servans, imo augens peccatum, instrumentum diaboli, instar serpentis plena veneno mortifero.

Lingua iusti gladius est in manu Christi;

Sed, bone Deus, quam paucae reperiuntur linguae, quae a Spiritu Sancto motae fratres ex caritate corripiant ad salvandas animas, quam multae vero motae a satana, quae ex malignitate murmurant, detrahunt, infamant, traducunt, maledicunt, blasphemant ad perdendas animas cum diabolo, cui nil magis est in votis quam perditio animarum, non ad salvandas cum Christo, cui nil antiquius!

sed plures linguae sunt quae a malo spiritu motae gladius fiunt in manu diaboli.

Sicut cum obsessus esset infelix Saul a maligno spiritu, accipiens David citharam suam ac pulsans, suavi illo sono et harmonia propulsabat a Saul vexantem spiritum ipsumque Saulem sanitati mentis et quieti restituebat, [11] sic vult Dominus ut faciamus. Peccans enim homo, quandiu in peccato perseverat, a maligno spiritu obsessus tenetur. Lingua iusti cithara est Spiritus Sancti. Vult Dominus ut sono huius citharae liberemus fratrem a maligno spiritu: *Corripiet me iustus in misericordia;* [12] *Vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* [13] En suavis sonus citharae davidicae.

Lingua iusti cithara est Spiritus Sancti,

liberans a maligno spiritu animam fratris.

II. Multi odio habent correptionem, similes stultae mulieri, quae turpi deformique vultu cum sit, quoniam speculum talem eam repraesentat, contra speculum irascitur illudque confringit; sic enim fecerunt heri Christo Nazareni. Cum enim Christus, qui *speculum*

Multi odio habent correptionem, quia corrigi nolunt;

10) Ps 56, 5. 11) Cf. 1 Rg 16, 23. 12) Ps 140, 5. 13) Gal 6, 1.

est *sine macula*,[14] praedicans in synagoga carperet vitia eorum quaerens animarum salutem, *repleti sunt omnes in synagoga ira . . . et eiecerunt eum extra civitatem et duxerunt . . . in supercilium montis . . . ut praecipitarent eum.*[15]

qui autem de salute propria solliciti sunt, correptionem libenter ferunt, imo desiderant,

Homo autem salutis suae studiosus et cupidus similis est sapienti mulieri quae seipsam contemplatur in speculo et, si quam comperit in facie maculam aut in capite inordinatum quid, statim emendat. Similis est Apelli excellentissimo ac decantatissimo pictori, ita ut Alexander Magnus nonnisi ab eo voluerit depingi.[16] De hoc scribit Plinius quod ei perpetua consuetudo fuit nunquam tam occupatam diem agendi, ut non lineam saltem ducendo exerceret artem perfectaque opera proponebat in pergula transeuntibus atque, post ipsam tabulam latens, vitia quae notarentur auscultabat, vulgus diligentiorem iudicem quam se praeferens ; feruntque a sutore reprehensum emendasse erratum.[17]

quia vere ex animo virtutis perfectionem quaerunt,

Sic, inquam, quisquis vere ex animo virtutis perfectionem culmenque perfectionis desiderat, perpetua exercitatione id contendit esuriens sitiensque iustitiam,[18] et in quo errat, emendari et corripi exoptat : *Corripiet me iustus in misericordia et increpabit me;* ex hebraico verti potest : Corripiat *me iustus in misericordia et* increpet *me; oleum autem peccatoris*, idest adulatio et assentatio, *non impinguet caput meum.*[19] Hinc Sapiens ait: *Qui corripit hominem gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille qui per linguae blandimenta decipit.*[20] Sic David dilexit Nathan prophetam a quo correptus fuit.[21] Adulatores nanque multo peiores sunt corvis.

et ideo correptorem diligunt eumque adulatori praeferunt.

Refert nanque Diogenes Laertius libro 6 *in Antisthene*, quod is dicebat praestare magis in corvos quam in assentatores incidere :[22] Εἰς κόρακας καὶ εἰς κόλακας,[23] nam Graeci κόρακας corvos dicunt, κόλακας[24] vero adulatores; siquidem corvi nonnisi mortuos comedunt, adulatores autem vivos devorant perduntque, sicut falsi prophetae Achabum regem Israel.[25] Diogenes

14) Sap 7, 26. 15) Lc 4, 28-29. Vulg.: *Et eiecerunt illum . . . usque ad supercilium*, etc. Cf. Missale Rom. Feria Secunda Dom. Tertiae Quadr. 16) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 35, cp. 10, pag. 391. 17) Ibid. 18) Cf. Mt 4, 6. 19) Ps 140 (hebr. 141), 5. 20) Prv 28, 23. 21) Cf. 2 Rg 12, 1 sqq. 22) Pag. 218. 23) Ms.: *Is coracas che is colacas.* Diogenes Laertius habet: Εἰς κόρακας ἢ εἰς κόλακας. 24) Ms.: *Coracas*, et: *Colacas.* 25) Cf. 3 Rg 22, 1-40.

etiam Cynicus aiebat quod adulator morsum habet nocentissimum, referente eodem Laertio libro 6 *in Diogene*,[26] quod ex feris belluis perniciosissime mordet obtrectator, ex cicuribus vero adulator.

III. *Si peccaverit in te frater tuus, vade... corripe eum*, etc. Magnum ostendit Dominus salutis nostrae desiderium, nam ad hoc dat hodie praeceptum fraternae correptionis : *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*, nam *perierat et inventus est, mortuus erat et revixit.*[27] Suscitatur magno miraculo mortuus, cum homo a peccato liberatur ; *Lucratus eris fratrem tuum :* magnum lucrum. *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur ?*[28] Perditio unius animae infinitum est damnum, quoniam margarita est infiniti pretii. Regius Vates ait : *Qui confidunt in virtute sua et in multitudine divitiarum suarum gloriantur. Frater non redimet, redimet homo*, et *non dabit Deo placationem suam et pretium redemptionis animae;*[29] ubi ex hebraico verti potest: Confidentium in opulentia vel potentia sua et eorum qui *in multitudine divitiarum suarum gloriantur*, nec frater quidem redimere poterit hominem, nec dare poterit Deo pretium eius, quoniam pretiosa est redemptio animae eorum, etiam si laboret in perpetuum et vivat adhuc in aeternum. Comparat pretium unius animae cum omnibus mundi divitiis aitque longe pretiosiorem esse animam, ita ut, si omnes mundi thesauri darentur Deo pro liberatione unius animae ex inferno, eam Deus minime liberaret, quoniam, inquit, pretiosa est animae redemptio. Anima siquidem pretiosa est margarita, de qua Dominus ait quod : *Simile est regnum coelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas; inventa autem una pretiosa margarita... vendidit omnia* sua et comparavit eam ;[30] imo etiam sanguinem vitamque profudit Christus pro salute animarum.

Christus dans hodie praeceptum correptionis fraternae ostendit magnum salutis nostrae desiderium.

Perditio unius animae infinitum damnum est,

Christus enim sanguinem suum fundere non dubitavit pro salute animae,

Sed unde, quaeso, tale tantumque rationalis animae pretium ? Utique a dignitate et nobilitate ipsius. Aurum metallum est omnium pretiosissimum, quia nobilissimum. Divinam autem animae nostrae dignitatem ac nobilitatem Moyses in sua cosmopoeia mirabili arte

quae imago Dei est,

26) Pag. 234. 27) Lc 15, 32. Ordine inverso affert hanc pericopen. 28) Mt 16, 26. Vulg.: *Mundum universum*, etc. 29) Ps 48 (hebr. 49), 7-9. Vulg.: *Frater non redimit*, etc. 30) Mt 13, 45-46. Affert ex Breviario Rom. Commune Virginum, antiph. ad *Benedictus*.

ac ratione demonstravit dicens quod *inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem;*[31] hebraice est: *Inspiravit spiritum vitarum et fuit homo in animam viventem.* Quaeso, attendite. Cum loquitur Moyses de productione animalium irrationalium ait: *Producat terra animam viventem... iumenta et reptilia et bestias terrae,*[32] quoniam animae irrationales educuntur, ut philosophi dicunt, de potentia materiae,[33] viles sunt: *Producat terra.* At cum loquitur de productione animae humanae, non ait: *Producat terra,* sed: *Inspiravit in faciem eius spiritum vitarum.* Sic ostendit animam humanam substantiam esse immaterialem, incorpoream, non ex terra aut elementis productam, sed a Deo creatam, ex divino pectore et ore egressam.

ab ipso Deo creata,

et spiritu suo vivificata.

Hinc Beatus Iob *spiritum Dei* animam appellat dicens: *Donec superest halitus in me, et spiritus Dei in naribus meis.*[34] Imo Deus ipse sic eam appellat dicens: *Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est,*[35] hebraice est: לֹא־יָדוֹן רוּחִי;[36] significat autem יָדוֹן[37] manere veluti in vagina,[38] ita ut corpus sit veluti animae vagina, quod sicut gladius non dependet a vagina, sed integer extrahi potest, sic anima a corpore. *Non permanebit* ergo *spiritus meus in homine,* idest in humano corpore, *in aeternum,* sicut Deus hominem immortalem condiderat ut perpetuo vivere posset; non diu vivet homo, sicut ante diluvium multis saeculis homines vivebant,[38a] בְּשַׁגָּם הוּא בָשָׂר,[39] *eo quod etiam ipse caro est,* quoniam, inquit, instar brutorum animalium vivit ac si totus esset carnalis ac si spiritum Dei non haberet.

Tribus nominibus in Sacra Scriptura anima appellatur: *a) anima vivens,* quia ipsa tribuit vitam corpori,

Tribus igitur nominibus appellatur anima in Divinis Litteris: נֶפֶשׁ חַיָּה,[40] *anima vivens;* רוּחַ אֱלֹהִים,[41] *spiritus Dei,* et: נִשְׁמַת חַיִּים[42] *halitus vitalis,* sive flatus vitarum; *anima vivens,* sive vivifica, vitam tribuens respectu corporis; *flatus vi-*

31) Gn 2, 7. 32) Ibid. 1, 24. 33) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1, q. 118, a. 1-2. 34) 27, 3. 35) Gn 6, 3. 36) Ms.: *Lo iudum ruchi.* 37) Ms.: *Iudun.* 38) Cf. Sanctes Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae,* sub radice: דון. 38a) Cf. Gn 5, 3 sqq. 39) Ms.: *Scebegam(!) hu bassar.* 40) Cf. Gn 1, 20. Ms.: *Nephesc chaiah.* 41) Cf. Iob 27, 3. Ms.: *Ruach Elohim.* 42) Cf. Gn 2, 7. Ms.: *Nessamath chaiim.*

talis respectu sui, quod suapte natura substantia sit incorporea, vivens; *spiritus divinus* respectu Dei, quia spiritus est Deo simillimus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram . . . Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum,* [43] idest sibi simillimum, ut luna plena simillima soli est. Est enim anima in corpore sicut Deus in mundo, substantia incorporea, semper vivens, intellectu et libero arbitrio praedita. Quod si Deus aeterna, independens et infinita substantia est, anima quoque nostra perpetua aeternitate, ex quo coepit esse, donata est. Non dependet a corpore; animi infinita plane magnitudo est, ita ut parvus sit mundus, continere ac capere non potest humani animi magnitudinem. Infinitae magnitudinis est intellectus quoad cognitionem rerum, voluntas quoad amorem et desideria veluti series numerorum est quae finem non habet, ita ut augeri et crescere non possit.

flatus vitalis, quia est substantia incorporea, *spiritus divinus,* quia est spiritus Deo simillimus,

nam sicut Deus et ipsa spiritualis et immortalis est, intellectu et libertate praedita,

Notandum etiam quod ait: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram et dominetur,* [44] ut sit dominus mundi, ut anima sit regina rerum, naturali utique dominio, sicut ait quod creavit *luminare maius ut dominaretur diei, et luminare minus ut dominaretur nocti.* [45] Dominium naturalem excellentiam significat et dignitatem. Creavit solem ut esset dominus diei, dominus claritatis, dominus praeses astrorum, quia excellentissimum ac nobilissimum omnium condidit. Sic creavit hominem ut dominaretur mundo, animam ut esset regina rerum. Contulit ergo divinam excellentiam ac nobilitatem.

regina mundi constituta, corona et opus excellentissimum creationis;

Ultimo loco creavit Deus animam rationalem, sed in creatione processit semper ad perfectiora. Nam primo creavit ea quae tantum habent esse: coelum, terram, elementa. Postea quae simul cum esse habent vitam, ut plantae sunt et stellae in coelo, quae forte vitam habent in coelo qualem habent plantae in terra, [46] sicut nos aquam dicimus vivam, argentum vivum, quod suapte natura mo-

homo enim ultimo loco creatus fuit, quia omnibus creaturis nobilior.

43) Gn 1, 26-27. 44) Ibid. Vulg.: *Et praesit.* 45) Ibid. vr. 16. Vulg.: *Ut praeesset diei . . . ut praeesset nocti.* 46) De hac opinione Lud. Caelius ait: « Coelestes sphaeras habere animas, non Platonici modo, sed omnes etiam Peripatetici confitentur. Idipsum et 2 *Coeli* docet Aristoteles; rursus 7 et 8 *Naturalium*, 2 *de Anima*, 11 *Divinorum;* Theophrastus quoque eius discipulus, libro *De Coelo;* sed et Avicenna et Algazales summopere confirmarunt. Augustinus Aurelius in *Enchiridio* et Thomas *Adversus Gentes*, libro secundo, tradunt: Nihil quantum ad christianam doctrinam spectat, interesse coelestia corpora animas habere vel non habere ». *Lect. Antiq.*, lib. 22, cp. 2, col. 1221.

vetur vivum dicimus; stellae autem naturali motu aguntur, sicut aqua deorsum ad mare currit et sicut ignis suapte natura movetur semper. Postea produxit Deus quae supra vitam habent etiam sensum: aves coeli, pisces pelagi, animalia terrae.[47] Tandem hominem, qui supra sensum praeditus intellectu est, prudentia et libero arbitrio ad regendum gubernandumque mundum veluti alter Deus in terra, pro-rex et vicarius summi regis Dei in mundo hoc.

His de causis Deus tanti facit animae salutem.

IV. Admiratur Regius Vates tantam hominis dignitatem: *Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis,*[48] a Deo. Haec igitur causa est cur tanti facit Deus animam rationalem, quoniam margarita, gemma pretiosissima est.

Admirabilis magnitudo animae elucet etiam ex eius operationibus in corpore,

Videte eius effectus; a fructibus cognoscitur arbor.[49] Ratione plurium effectuum dicitur anima nostra נפש חיה,[50] *anima vivificans,* נשמת חיים, *halitus vitalis,* flatus vitarum, רוח אלהים, *spiritus divinus.* Ratione quidem corporis *anima vivificans,* ratione sui *flatus vitalis,* sive vitarum, ratione et respectu Dei *spiritus divinus.* Multa operatur in corpore: vitam, sanitatem, sensum, motum, pulcritudinem, gratiam, venustatem et alia id genus. Multa in seipsa: in intellectu, in memoria, in voluntate, cognoscendo, intelligendo, inveniendo, iudicando, conservando inventa et acquisita in thesauro memoriae, inveniendo deperdita per reminiscentiam; voluntate diligendo, eligendo, desiderando, sperando, gaudendo, dolendo, etc. Omnes scientiae, omnes artes inventiones et operationes sunt animae. Multa operatur erga Deum, ut Deo simillima fiat. Non est autem animus singula explicare opera animae in corpore: vivificare, nutrire, augmentare, generare, viresque vegetativas:[51] appetitricem, retentricem, digestricem et expultricem; opera sensuum exteriorum et interiorum; sed sufficiat pretium noscere horum effectuum.

in seipsa et erga Deum.

Quis ad vitam servandam non omnes thesauros bonorum suorum profunderet? Si in navi positus cum omnibus facultatibus suis, tem-

47) Cf. Gn 1, 11-25. 48) Ps 8, 5-6. 49) Cf. Mt 12, 33; Lc 6, 44. 50) Ms.: *Nephesc chaiah,* et immediate infra: *Nessamath chaiin,* et: *Ruach Elohim.* 51) Ms.: *Vegetativae.*

pestate orta cum vitae discrimine et magna periclitatione, an non omnia in mare proiceret ad salvandam vitam? Imo, quid dico de vita? Ad sanitatem tuendam vel deperditam acquirendam quibusnam expensis parcitur? Pro oculorum luce homo, ne eam amitteret vel ut amissam recuperaret, quid non ageret?[52] Quod autem spectat ad animam in seipsa, si sapiens homo multa prudentia, scientia et virtute animi praeditus, ad mentis insaniam deveniret ut amens fieret et mente captus ex capitis debilitate vel alia quavis ex causa aut praestigio, quid, quaeso, non ageret ad sanitatem mentis resumendam?

At si tanto in pretio habetur vita corporis, quae effectus est animae,

Hi autem omnes effectus sunt animae. Si tanto in pretio sunt fructus hi, quanto maiori in pretio habenda est arbor? Plane nullus est in mundo thesaurus rationali anima pretiosior aut maior. Hinc Christus coelestis negotiator, inventa hac pretiosa margarita, vendidit omnia sua et comparavit eam; invento hoc thesauro abscondito in agro, vendidit omnia, ut tanti thesauri iure dominus fieri posset legitimusque possessor.[53]

in multo maiori habenda est ipsa anima,

Quanti autem faciat Deus animam quatenus divinus est spiritus, quis non videat etiam in hodierno Evangelio? *Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram*, etc. *Si duo ... consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo. Ubi ... sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*[54] Pro salute animae instituit Ecclesiam divina praeditam auctoritate, instituit Sacramenta, multa operatus est tantaque Dei gratia digna declaratur, cum caritate praedita est, ut nihil a Deo non obtineat. Sic preces Ecclesiae exaudiuntur: *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re*, [etc.]. Magna res est ut anima in oratione digna sit divino colloquio, ita ut, cum libuerit, Dei copiam habere possit, ingredi in cubiculum Dei, loqui, petere et obtinere quicquid petierit, ut digna sit Christi amicitia et conversatione: *Ubi* fuerint *duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

pro cuius salute etiam Deus Ecclesiam et Sacramenta instituit.

V. Nihil est autem in mundo quod suum venenum, suam pestem non habeat. Vestes licet pretiosissimae roduntur a tineis, metalla ab aerugine, segetes a rubigine et aliis coeli iniuriis laeduntur. Sed

52) Ms.: *Homo* repetitur. 53) Cf. Mt 13, 44. 54) Ibid. 18, 18-20.

Cum igitur peccatum maximus sit inimicus animae, correptio fraterna est maximum beneficium,

animae venenum et pestis nonnisi peccatum est. Hoc eam depravat, perdit, occidit. Sic enim Christus insinuat dicens: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Omne autem damnum quod peccatum animae infert, poenitentia reparari potest, poenitentia autem fraterna correptione paratur, sicut patet in Davidis poenitentia ex correptione Nathan prophetae.[55] Quare veluti antidotum est contra venenum peccati, ignis contra glaciem. In praemium correptionis proponitur salus animae, acquisitio magni thesauri et cum modico labore. Tunc enim ratio utilis maxime movet cum ex modico labore magnum sequitur emolumentum, ex modico semine sparso magnam colligere messem in centuplum. En modicus labor: *Vade... corripe eum.* Requiruntur quattuor passus, quattuor verba et ecce magnum lucrum: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Caleb magnus princeps in acquisitione terrae promissionis, agrum proposuit praemium capienti civitatem quandam, quae Cariath Sepher dicebatur. Si quis dux hoc effecisset opus, promisit daturum se ei Axam unicam filiam suam.[56]

quia poenitentiam parat ad reparandum peccatum.

55) Cf. 2 Rg 12, 1 sqq. 56) Cf. Ios 15, 16; Idc 1, 12.

FERIA QUARTA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

I. Est mundus iste tanquam *castrorum acies ordinata,*[1] in qua milites subditi sunt decurionibus, decuriones centurionibus, centuriones chiliarchis, chiliarchi ducibus legionum, duces autem omnes imperatori, qui totius exercitus caput supremum et princeps est. Inferiores autem necesse est superiorum parere imperiis, alioquin confusa sunt omnia. Sic in mundo isto omnes creaturae subiectae sunt hominibus, homines populares ac plebei civesque rectoribus civitatum, rectores gubernatoribus praefectisque provinciarum ac pro-regibus, pro-reges autem regibus supremis, hi autem Deo, qui *Rex regum* est *et Dominus dominantium.*[2] Sicut autem nil valent statuta pro-regum contra iustissimas ac sanctissimas leges et praecepta regum, quibus omnes parere tenentur, sic nec humanae leges quippiam valent aut tenent cum sunt contra divinas. Hinc merito Christus hodie arguit scribas et Pharisaeos quod propter traditiones suas irrita fecerint mandata Dei: *Transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram;*[3] *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*[4] Nobis autem divinis magis quam humanis legibus parendum est divinaque servanda lex est, si salvari volumus: *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata.*[5]

Sicut statuta auctoritatis inferioris nil valent contra statuta auctoritatis superioris,

sic statuta humanae cuiusvis auctoritatis nil valent contra divinas leges.

1) Ct 6, 3. 9. 2) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 3) Mt 15, 3. 4) Ibid. vr. 6. 5) Ibid. 19, 17.

Accesserunt ad Iesum ab Ierosolymis scribae et Pharisaei dicentes : Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones ? etc. [6]

Duo sunt genera legum: divinarum et humanarum;

II. Quasi [7] duo luminaria in coelo, [8] duas arbores in paradiso, [9] duas columnas ignis et nubis in deserto, [10] duas tabulas in arca, [11] duas aeneas columnas : Iachin et Bohaz, in templo Salomonis, [12] duas mulieres in domo Abraham : Saram et Agar, [13] videre mihi videor in mundo duo genera legum : divinarum et humanarum, de quibus Dominus in sacrosancto hodierno Evangelio : *Transgredimini mandata Dei propter traditiones vestras; In vanum... colunt me docentes doctrinas et mandata hominum.* [14]

leges humanae onerosae et graves sunt, divina lex autem levis;

Differunt autem sicut coelum a terra divinae leges ab humanis: *Non enim,* inquit, *viae meae viae vestrae, neque cogitationes meae cogitationes vestrae;* sed *sicut exaltantur coeli a terra, ita exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris.* [15] Leges divinae sunt sicut coelum, humanae autem sicut terra. Gravis est suapte natura terra, graves similiter leges humanae ob gravissimas poenas atque censuras. Coelum autem leve est sicut aer, quod, si sursum non movetur, est quia in suo est loco, sicut et terra in suo manens loco non fertur deorsum ; sic divina lex levis est : *Iugum... meum suave est et onus meum leve.* [16] Terra obscura est et tenebricosa, coelum clarum et lucidum. Humanae leges multis sunt obscuritatibus plenae, sed *praeceptum Domini lucidum illuminans oculos.* [17] Terra

humanae obscurae, divina clarissima;

6) Pericope huius diei Mt 15, 1-20. Vulg.: *Traditionem. Traditiones* lect. cod. Cf. Missale Rom.
7) In margine haec adiecta fuerunt: « In duabus tabulis, non ligneis sed lapideis, scripsit Deus divinae legis mandata, ad designandam perpetuitatem legis, nam quae ad perpetuam memoriam scribuntur, ea sunt quae in marmoreis tabulis consignantur. In duabus autem et non in una scripsit mandata sua, ad designandum quod pluribus legibus homini opus erat pro vita tum corporali tum spirituali, apud Deum et homines. Ambas tabulas voluit esse in arca. Scribae autem unam abstulerant, secundam tabulam caritatis erga proximum. Abstulerant a coelo lunam; sicut autem luna aliquando solem eclipsat, ita etiam praeceptum hoc honorandi parentes praevalet aliquando praecepto honorandi Deum, cum haec sint duo magna luminaria coeli, duo, inquam, haec maxima legis praecepta ». Et linea separationis ducta: « *Quare discipuli tui,* etc. De schola Aristarchi scribae hi et Pharisaei prodiere; tanquam critici et censores, mundi arbitri, Aristarchum hodie agunt Christi discipulos ipsumque Christum arguentes ».
8) Cf. Gn 1, 14-18. 9) Cf. ibid. 2, 9. 10) Cf. Ex 13, 21 sqq. 11) Cf. ibid. 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 12) Cf. 3 Rg 7, 21; 2 Par 3, 17. Vulg.: *Booz. Bohaz* ex hebraico. 13) Cf. Gn 16, 1-3. 14) Mt 15, 9. Vulg.: *Sine causa... colunt me,* etc. 15) Is 55, 8-9. Vulg.: *Non enim cogitationes meae cogitationes vestrae, neque viae vestrae viae meae... sic exaltatae sunt,* etc. 16) Mt 11, 30. 17) Ps 18 (hebr. 19), 9.

humanae multa mala permittunt et tantum externam iustitiam quaerunt, divina nullam imperfectionem admittit

imperfectissimum est elementum, sentina omnium imperfectionum ac faecium mundi; coelum autem perfectissimum corpus est absque ulla imperfectione. Leges humanae permittunt multa mala, in civitatibus permittunt prostibula, nec nisi gravia delicta puniunt, tantumque externam iustitiam quaerunt, lavare manus, externam innocentiam imperant; lex autem divina internam iustitiam et innocentiam quaerit, nullam penitus imperfectionem admittit vel internam vel externam: *Lex Domini immaculata:* [18] תּוֹרַת יְהוָה תְּמִימָה: [19] *Lex Domini perfecta,* sicut coelum sphaericae ac perfectae figurae est, perficit enim hominem, omni virtute instruit tum quoad Deum tum quoad hominem: quoad Deum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* quoad hominem: *Diliges proximum tuum sicut teipsum;* [20] quoad Deum tribus virtutibus theologicis, quoad hominem quattuor cardinalibus; quoad Deum praeceptis primae tabulae:

« Unum cole Deum nec iures vana per ipsum,
Sabbata sanctifices », [21]

et omni virtute animam instruit;

quoad hominem praeceptis secundae tabulae. [22] Perficit hominem quoad utranque partem iustitiae. *Declina a malo:* [23] *Non habebis deos alienos coram me;* [24] *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum;* [25] *Fac bonum:* [26] *Memento ut diem sabbati sanctifices.* [27] Ecce perfecta iustitia quoad Deum, qui Dominus et Rex noster est.

praecipit enim perfectam caritatem erga Deum

Regi autem quattuor debentur a regno: cognitio dominii, fidelitas, reverentia et servitus. Primum, ut rex cognoscatur dominus regni, cui obedientia praestanda sit; secundo, ne ab eo ad inimicos deficiant; tertio, ut illum honorent ac revereantur, et quarto, ut illi serviant et famulentur, maxime deputatis temporibus. Sic lex quattuor ista iubet erga Deum in decalogo: *Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti:* [28] ecce primum; *Non habebis deos*

18) Ibid. vr. 8. 19) Ms.: *Torath Iehovah themimah.* 20) Mt 22, 37-39; Mc 12, 30-31; Lc 10, 27. 21) A Moralistis decalogi praecepta his versibus enunciantur:
« Unum cole Deum, nec iures vana per ipsum;
Sabbata sanctifices, habeasque in honore parentes;
Ne sis occisor, moechus, fur, testis iniquus;
Non cupias nuptam, non rem cupias alienam ».
P. Scavini *Theologia Moralis Universa,* tract. 2, lib. 1, *De Actibus Humanis,* cp. 2, pag. 128.
22) Alludit ad opinionem communem Doctorum Ecclesiae, qui sentiunt in una tabula scripta fuisse praecepta quae hominem ad Deum ordinabant, in altera quae ad proximum. Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Primum,* pag. 183, not. 69. 23) Ps 36, 27.
24) Ex 20, 3. 25) Ibid. vr. 7. 26) Ps 36, 27. 27) Ex 20, 8. 28) Ibid. vr. 2.

alienos coram me: ecce secundum; *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum:* ecce tertium; *Memento ut diem sabbati sanctifices:* ecce quartum.

et perfectam iustitiam erga proximum.

Praecipit perfectam iustitiam quoad proximum. *Fac bonum: Honora patrem tuum et matrem tuam:* [29] beneficiis affice parentes et omnes quibus debes. *Declina a malo: Non occides:* [30] quoad irascibilem prohibet manum; quoad concupiscibilem et opus et animum: *Non moechaberis;* [31] *Non concupisces uxorem proximi tui;* [32] *Non furaberis;* [33] *Non concupisces domum proximi tui... et omnia quae illius sunt.* [34] Perficit rationalem in lingua: *Non loqueris in proximum tuum falsum testimonium.* [35] Sic *lex Domini perfecta* omni ex parte est, hinc coelitus data fuit tanquam tota coelestis.

Decem praecepta divinae legis cum decem sphaeris coeli comparantur.

III. Imo coelum utique universum videre mihi videor, dum legem divinam contemplor. Sicut enim sunt decem sphaerae mobiles, ita decem sunt legis praecepta et habent cum decem coelestibus sphaeris nonnullam convenientiam et sympathiam, si recte animum apponamus.

Omnium Doctorum consensu decem tantummodo sunt praecepta legis divinae in duabus tabulis descripta; manifestissime enim legimus בְּרִית עֲשֶׂרֶת הַדְּבָרִים. [36] Sed differunt in hoc quoniam multi volunt in prima tabula fuisse tria tantum praecepta et in secunda septem; alii in prima quattuor et in secunda sex. [37] Utraque

29) Ibid. vr. 12. 30) Ibid. vr. 13. 31) Ibid. vr. 14. 32) Dt 5, 21. 33) Ex 20, 14. Vulg.: *Non furtum facies.* Affert ex Rom 13, 9. 34) Ex 20, 17. Vulg.: *Nec omnia*, etc. 35) Ibid. vr. 16. Vulg.: *Contra proximum*, etc. 36) Ex 34, 28. Ms.: *Berith hassereth hadebarim.* 37) Divus Thomas: « Praecepta Decalogi diversimode a diversis distinguuntur. Hesychius enim Levit. XXVI (Lib. VII. comment. cp. XXVI.) super illud, *Decem mulieres in uno clibano coquunt panes*, dicit, praeceptum de observatione sabbati non esse de decem praeceptis: quia non est observandum secundum litteram secundum omne tempus. Distinguit tamen quattuor praecepta pertinentia ad Deum: ut primum sit, *Ego sum Dominus Deus tuus;* secundum sit, *Non habebis deos alienos coram me;* et sic etiam distinguit haec duo Hieronymus Oseae X. super illud, *Propter duas iniquitates tuas.* Tertium vero praeceptum esse dicit, *Non facies tibi sculptile;* quartum vero, *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Pertinentia vero ad proximum dicit esse sex; ut primum sit, *Honora patrem, et matrem tuam;* secundum, *Non occides;* tertium, *Non moechaberis;* quartum, *Non furtum facies;* quintum, *Non falsum testimonium dices;* sextum, *Non concupisces...*

Origenes (hom. VIII. in Exod.) distinguens etiam quattuor praecepta ordinantia ad Deum, ponit ista duo pro uno praecepto; secundum vero ponit, *Non facies sculptile;* tertium vero, *Non assumes nomen Dei tui in vanum;* quartum, *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Alia vero sex ponit, sicut Hesychius.

Sed quia facere sculptile, vel similitudinem non est prohibitum nisi secundum hoc, ut non colantur pro diis (nam in tabernaculo Deus praecepit fieri imaginem seraphim, ut dicitur Exod.

opinio probabilis est. Ego autem pro nunc secundae subscribam. Pariter astrologorum omnium consensu decem sunt sphaerae coelestes : septem orbes planetarum, coelum stelliferum, crystallinum et primum mobile, qui duo novissimi incogniti fuerunt antiquis. [38] Supra hos autem omnium theologorum consensu datur coelum empyreum immobile, locus primi mobilis, regia Dei primi motoris, ubi sunt mansiones omnium electorum Dei. [39] Sic supra decem praecepta Decalogi datur praeceptum divinae dilectionis, quod Christi sententia est primum et maximum divinae legis praeceptum. [40] Post empyreum est primum mobile, quod suo motu trahit omnes alias sphaeras ; sic primum praeceptum legis est unum tantum : credere et adorare Deum, praeceptum purae vivaeque fidei quae universam legem complectitur. Sequitur crystallinum coelum absque omni astro, quod primo mobili simillimum est et fere nihil differt, ex motu tamen trepidationis agnitum est. Ita iuxta secundam opinionem secundum praeceptum est: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quae in coelo est sursum aut in terra deorsum.* [41] Praeceptum est divinae fidelitatis ne unquam ad idolorum cultum declinemus a vero Deo deficientes, vel simul cum legitimo sponso adulterum recipientes, quoniam, inquit : *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus zelotes.* [42] Tertium coelum est stelliferum astrorum millibus ornatum ; et tertium praeceptum est reverentia divini Nominis et summus honor divinae maiestatis ; haec illa pietas est, de qua Apostolus ait : *Pietas... ad omnia utilis est, eius quae nunc est vitae promissionem habens et futurae;* [43] *Non assumes nomen... Dei tui in vanum;* profecto qui hac divini nominis reverentia praeditus est, omni necesse est praeditum esse virtute. Quartum coelum Saturni est, qui diei sabbati dominatur et ad religionem in-

XXV) convenientius Augustinus (quaest. LXXI in Exod.) ponit sub uno praecepto, *Non habebis deos alienos*, et, *Non facies sculptile.* Similiter etiam concupiscentia uxoris alienae ad commixtionem pertinet ad concupiscentiam carnis. Concupiscentia autem aliarum rerum, quae desiderantur ad possidendum, pertinet ad concupiscentiam oculorum. Unde etiam Augustinus (ibid.) ponit duo praecepta de non concupiscendo rem alienam, et uxorem alienam; et sic ponit tria praecepta in ordine ad Deum, et septem in ordine ad proximum: et hoc melius est ». *S. Theolog.*, 1a 2ae, q. 100, a. 4.

38) Cf. Conimbricenses *Commentarii in Libros Aristotelis, De Coelo*, lib. 2, cp. 5, q. 1-2; Ben. Pererius *Commentariorum in Genesim*, lib. 2, q. 4, t. 1, pag. 214.

39) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1a, q. 66, a. 3; q. 102, a. 2.

40) Cf. Mt 22, 38.

41) Dt 5, 8. Vulg.: *Nec similitudinem omnium quae in coelo sunt desuper et quae in terra deorsum.*

42) Ex 20, 5. Ex hebraico.

43) 1 Tim 4, 8. Vulg.: *Promissionem habens vitae quae nunc est, et futurae.*

clinare dicitur; quartum praeceptum est divini cultus in sabbati sanctificatione: *Memento ut diem sabbati sanctifices* in memoriam beneficii creationis mundi; necesse est autem ut qui stipendia a rege accipit, miles regi suo tempore serviat et de acceptis beneficiis gratias agat, cognoscendo beneficia et recognoscendo benefactorem. Quintum coelum est Iovis, planeta valde benignus et beneficus, qui fortunas, dignitates et honores largitur; quintum praeceptum est beneficentiae in proximum, maxime autem in parentes, qui primi sunt proximi: *Honora patrem tuum et matrem tuam.* Sextum coelum est Martis, qui bellicum furorem inspirat; et sextum praeceptum prohibet iram illicitumque usum armorum: *Non occides,* nemini noceas. Septimum coelum est solis, qui legitimus est naturae sponsus et non adulter; septimum praeceptum est: *Non moechaberis, non adulterabis.*[44] Octavum coelum est Veneris, planetae benignissimi qui nunquam eclipsatur, nec solem ipsum unquam, sicut luna, eclipsat auferens mundo beneficium solaris lucis; octavum autem praeceptum est: *Non furaberis,* non tolles aliena, quae tua non sunt; et luna quidem diei nonnunquam furatur lumen ipsius, Venus vero nunquam et terminus nocturnarum tenebrarum est, quas fures amant, initium vero diurnae lucis, quam odio habent. Nonum coelum est Mercurii, qui influit eloquentiam; nonum autem praeceptum linguam moderatur ne iniusta loquatur: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Decimum tandem coelum omnium infimum luna est, planeta lucis inops et pauperrimus lucisque cupidissimus, influit cupiditatem temporalium bonorum, quae quidem ob inopiam et indigentiam desiderantur; decimum praeceptum est: *Non concupisces* aliena bona, nam: *Radix... omnium malorum est cupiditas.*[45]

Sic lex divina veluti coelum est et coelestis scala,

IV. Sic divina lex coelum quoddam est divina manu fabricatum,[46] coelum et coelestis scala per quam in paradisum ascenditur, cuius quidem gradus sunt praecepta, stipites vero laterales timor divinae iustitiae et spes divinae misericordiae, timor poenae et spes praemii. Ait enim

44) Mt 19, 18. 45) 1 Tim 6, 10. 46) Tota haec decalogi comparatio cum decem coelis fere ad litteram desumpta est a Rabbino Abraham Aben Ezra *In Decalogum,* in fine. Eadem expositio invenitur etiam citata in *Explanatione in Genesim* S. Laurentii a Br. pag. 155, quam cum ederemus, opusculum hoc *In Decalogum* reperire non potuimus. Eius titulus: עשרה הדברים עם פירוש הראע idest: *Decalogus Praeceptorum Divinorum cum eleganti commentariolo Rabbi Aben Ezra, et latina versione Sebastiani Munsteri,* sine numeratione foliorum.

statim in ipso decalogi initio: *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem... et faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me et custodiunt mandata mea.* [47] Summum vero caput vertexque supremus huius scalae: *Diliges Dominum Deum tuum,* huic summitati innititur Deus; pedes vero et pars infima: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Hanc autem divinam scalam scribae et Pharisaei perverterant: *Irritum fecistis mandatum Dei,* aliamque scalam composuerant traditionibus decretisque suis: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras; nam Deus dixit: Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi;* [48] *Et: Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis:... Munus quodcunque est ex me, tibi proderit, et non honorificabit patrem... et matrem suam.* [49] Homo, aiebant, duabus substantiis compositus, altera quidem terrena, altera autem coelesti, duos habet patres: unum quidem in coelo, alterum vero in terra. Magis autem, aiebant, tenetur homo honorare coelestem Patrem quam terrenum, sicut nobilior substantia anima coelestis est, quam corpus terrenum. Ideo si bona habet superflua quibus patrem egentem iuvare possit, illis Deum potius honorare debet spiritualem Patrem quam corporalem, offerens et consecrans illa Deo dicendo patri egenti: Pater, cum Deo magis debeam quam tibi, quoniam Deus bonorum omnium auctor est et largitor, a quo omnia bona accepi, ideo etsi tibi debeo, cum tamen magis debeam Deo, quicquid apud me est quod tibi prodesse possit, quo te possem iuvare, sit munus, offero illud et consecro ac voveo in sacrificia templi, in honorem Dei. Facto autem hoc voto, dicebant quod nullo modo licebat filio de bonis suis iuvare egentes parentes, sed summa egestate confectos impia illa religione et voto perire sinebant, ne votum transgrederentur et consecrata Deo revocarent in usus profanos; et sic, lege illa lata, non sinebant filios irrationabili illo voto astrictos honorare et beneficiis afficere pereuntes parentes.

per quam in paradisum ascenditur;

hanc autem divinam scalam scribae et Pharisaei perverterant,

impie docentes bona Deo promissa in templo offerenda esse,

potius quam pro egenis parentibus impendenda.

Erat autem ista traditio veluti si quis diceret, quod licet furari

47) Ex 20, 5-6. Vulg.: *Fortis, zelotes... faciens misericordiam in millia... praecepta mea. Deus zelotes* ex hebraico. 48) Affert ex Ex 20, 12; Dt 5, 16. 49) Mt 15, 3-6. Vulg.: *Propter traditionem vestram... aut matrem suam.*

Sed omnis lex contraria legi Dei iniusta necesse est esse.

propter eleemosynas faciendas et quod licet occidere corpus ad salvandam animam, sicut diabolus Christo praecipitium suasit. [50] Lumen lumini non potest esse contrarium, sed verum semper vero consonat. Quod vero contrarium est, falsum necesse est esse. Sic omnem legem quae divinae legi conformis non est, iniustam necesse est esse.

Tales autem sunt plurimae leges humanae,

V. Nunc autem mundus invenit leges ex avaritia et tyrannide natas, nequissimas et iniustissimas contra divinam legem, quas iustas dicit ob r a t i o n e s s t a t u s [51] et conservationem reipublicae. Christus autem dicit: *Vos transgredimini mandata Dei propter traditiones vestras; Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Et tamen sub praetextu religionis et pietatis statutum istud conditum erat; iniustum tamen iudicatur damnaturque a Christo, quoniam contra divinam legem erat.

et tamen summo in honore ab hominibus habentur, dum leges divinae contemnuntur;

Leges humanae, ut plurimum, ex avaritia principum emanant et ideo divinis legibus contrariae sunt; et tamen praeferuntur hodie humanae leges divinis. Humanae quidem nullibi non leguntur, nullibi non summo cum studio addiscuntur; his homines summa cum diligentia et labore operam navant ac si summorum deorum essent oracula. Divinae autem leges, quae verae divinitatis oracula sunt, ubinam leguntur? ubi addiscuntur? ubi studium eis impenditur? Hinc ubique conculcantur, lacerantur, scinduntur, nihil penitus penduntur, eas omnes vel ignorantes vel contemnentes transgrediuntur. Sic tenebrae praeferuntur luci, nox diei, luna soli, terra coelo, homo Deo.

ideo tales humanarum legum conditores a Christo *caeci et duces caecorum* vocantur,

Et tamen Christus hodie humanarum legum conditores *caecos* vocat *duces caecorum* propter ignorantiam divinae veritatis; ignorantes peccati sedem ubi consistat, putant peccatum consistere in manibus, cum consistat in corde. Hinc scandalizantur audientes a Christo: *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ab ore,* [52] idest cordis malae cogitationes, prava desideria, etc.

quia ignorantes divinae veritatis.

Non intelligentes autem veritatem hanc scandalizati sunt, [53] hinc Christus ait: *Caeci sunt... duces caecorum.* [54] Conditores humanarum legum homines sunt et, ut plurimum, vitiis dediti, mente

50) Cf. Mt 4, 6. 51) Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Primum*, pag. 295-296, not. 30. 52) Mt 15, 11. Vulg.: *Ex ore.* 53) Cf. ibid. vr. 12. 54) Ibid. vr. 14.

caeci, affectu depravati, Deum minime cognoscentes et divinam veritatem ignorantes. Hinc iniustae leges emanant.

Maxima stultitia est leges a Deo latas spernere, pro quibus praemium vel supplicium aeternum statutum est.

Nos tamen humanas magis quam divinas leges servamus. O miseri! Non intelligimus quidnam sit lex divina. Audias, homo, rationes stringentes. *Deus dixit:* haec prima ratio est a conditore; *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi:* haec secunda est ratio, spes praemii aeterni et infiniti; *Qui maledixerit patri vel matri morte moriatur:* haec tertia ratio est, timor supplicii similiter aeterni et infiniti. Ex observantia autem humanarum legum quodnam, quaeso, praemium expectas? *In vanum,* inquit, *colunt me docentes doctrinas et mandata hominum.*

Propterea in die iudicii nullam inveniemus excusationem, quia Deo praecipienti et comminanti renuimus obedire.

Sed adverte quod dicenti Domino: *Quare... transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* nescierunt scribae et Pharisaei quid responderent ei. Sic nos in die iudicii nullam inveniemus excusationem, nam *Deus dixit,* nec tantum dixit, sed et promittendo et comminando dixit. Quid dices tu? Cum Adamo: *Mulier, quam dedisti mihi,* [55] an cum Eva: *Serpens decepit me?* [56] Nihil illis profuerunt excusationes illae, quin minus de paradiso in perpetuum exilium relegarentur, mortis et gravissimarum poenarum sententia gravati. [57] *Deus dixit:* rex imperat! An tibi, qui minister es regis, uxori tuae tibi subiectae magis quam regi parendum est, maxime quando imperat aliquid promittendo mercedem facienti et comminando poenam non facienti? Imo, quid dico uxori? dico servae, servae, ancillae vilissimae. Quid dices regi, quando rationem reddes cum dicet tibi: Nonne praecepi ut hoc facias et non illud? Cur totum oppositum fecisti? Dices: Quia ancilla sic mihi persuasit? Ah, fratres, in die iudicii nulla valebit excusatio, si magis servaverimus humanas leges timore principum, quam divinas ex timore Dei.

Lex divina levis est diligentibus Deum.

VI. Leges humanae gravissimae sunt, divinae leges levissimae: *Iugum... meum suave est et onus meum leve.* Levis est lex divina, quoniam tota ex ipsa lege naturae oritur. Hinc cum integra erat et incorrupta naturalis lex in homine, non opus habebat lege, nil horum quae in lege praecepta sunt mandavit Deus homini in paradiso, non enim

55) Gn 3, 12. 56) Ibid. vr. 13. 57) Cf. ibid. vrr. 16 sqq.

necessaria lex est quae matri praecipiat ut filium lactet ac nutriat. Sic *lex iusto non est posita, sed iniustis.* [58] Timentibus et diligentibus Deum divina lex onus quidem est, sed levissimum, sicut avibus pennae plumaeque onus sunt levissimum et quae ipsas in altum sustollunt per aeraque ferunt. Militi arma optima onus sunt, sed levissimum, quia illis se ab inimicis defendit hostesque offendit. Navi malus, funes, vela, anchora, tormenta bellica, remi, nautae et quaecunque necessaria sibi sunt, onus quidem sunt, sed leve. Sic omnibus fidelibus Dei levissimum onus est divina lex tum in seipsa tum maxime intuitu supplicii, quod per eius observantiam homo effugit, et praemii magni, infiniti et aeterni, quod consequitur: *Ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi; Qui maledixerit... morte moriatur.*

tum in seipsa, tum ratione praemii quod servatoribus promittit

Intuere, intuere, homo, et vide quidnam sit mors et vita; mors perpetua, vita aeterna; paradisus Angelorum cum Deo, infernus daemonum cum diabolo; poena sempiterna, gloria infinita. Si mortem certo certius posset homo effugere et perpetuo in mundo hoc vivere, si tamen per multos dies amarissimas quasdam medelas ac potiones sumeret summa cum abstinentia vivendo, uti consumitur aqua l i g n i s a n c t i amarissima [59] per quadraginta dies, dicite: quisnam non levem omnem illam molestiam existimaret? Si homo in carcere positus, in crastinum in supplicium vocandus extremum, daturus extremas poenas maximo cum dedecore, sciretque se posse per arctam quandam fenestram exire, nudus tamen, tantum cum subucula et cum aliquo labore, an non extremae dementiae homo haberetur, si exire nollet ne vestes in carcere relinqueret et modicum illum laborem sustineret? Profecto viro cuivis omnis labor gravissimus nonnisi levissimus videretur ad fugiendam mortem, maxime cum tanto dedecore. Spes autem praemii quosnam gravissimos labores non alleviat? Vide agricolas, vide nautas, vide milites.

et supplicii quod transgressoribus minitatur.

VII. Tenemur divinam servare legem, quoniam: *Lex Domini immaculata convertens animas; testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis... praeceptum Domini lucidum illuminans oculos...*

Tenemur divinam legem servare,

58) 1 Tim 1, 9. 59) Cf. part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 111, not. 37.

iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa; desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum ... in custodiendis illis retributio multa. [60] Est perfecta in perficiendo intellectum cognitione veritatis et voluntatem integritate iustitiae et perfectione virtutis. Convertit animas ad Deum, sive quietat animas : *Tollite iugum meum super vos ... et invenietis requiem animabus vestris; iugum enim meum suave est et onus meum leve.* [61] Intellectus enim quiescit in cognitione veritatis et voluntas in amore et dilectione bonitatis ; lex autem utrunque affert, hinc : *Iustitiae Domini rectae laetificantes corda,* [62] quoad voluntatem, et : *Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos,* quoad intellectum. Est lex divina servatoribus suis causa summi honoris et gloriae, quia honor virtuti debetur, causa infinitae utilitatis et voluptatis : *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum.* Hoc est quod in *Proverbiis* legimus : *Beatus homo qui invenit sapientiam et qui affluit prudentia. Melior est acquisitio eius negotiatione argenti et auro ... purissimo proventus eius; pretiosior est cunctis opibus, et omnia, quae desiderantur, huic non valent comparari ; longitudo dierum in dextera eius, et in sinistra ipsius divitiae et gloria; viae eius viae pulcrae, et omnes semitae illius pacificae; lignum vitae est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam beatus.* [63]

quia perfecta est, perficit enim intellectum et voluntatem,

et servatoribus suis causa est gloriae et voluptatis;

Quamvis autem innumerae sint rationes ad persuadendam divinae legis observantiam, Deus tamen, cum legem dedit, ipso statim initio quattuor tantum adduxit. Prima est auctoritas divinae maiestatis: *Ego sum Dominus Deus tuus.* Secunda, manifestatio divinae bonitatis : *Qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis,* [64] hoc est : Qui te a malis salvavi et bona omnia quae habes contuli. Tertia, severitas divinae iustitiae : Quia *ego sum Dominus Deus tuus Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem.* Et quarta, magnitudo divinae misericordiae: *Et faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me et custodiunt mandata mea.* Ergo reverentia divinae maiestatis, gratitudo divinae caritatis, metus divinae iustitiae ad effugiendas poenas peccatorum et spes divinae misericordiae ad consequendum praemium, debent movere animos nostros ad perfectam divinae legis observantiam.

urgemur etiam auctoritate divinae maiestatis, gratitudine erga divinam bonitatem, metu divinae iustitiae, spe divinae misericordiae.

60) Ps 18, 8-12. 61) Mt 11, 29 sq. 62) Ps 18, 9. 63) 3. 13-18. Vulg.: *Et auri... purissimi fructus eius,* etc. 64) Ex 20, 2; Dt 5, 6.

Lex scripta fuit in lapidibus ad significandam inflexibilem rectitudinem divinae legis,

VIII. *Quare... vos transgredimini mandatum Dei?* Promisit universus populus Deo per Moysen servaturum se perpetuo divinam legem. [65] At Dominus non fidit [66] verbis, novit enim humanam infidelitatem; legem voluit scriptis tradere et tanquam instrumentum in arca servari. [67] Scripsit autem legem non in cartis, sed in lapidibus, nam carta facile rumpitur flectiturque, at non sic lapis; perpetuo durat, difficile rumpitur et flecti non potest; sic perpetua et inflexibilis est rectitudo iustitiae divinae legis.

ad quam servandam Deus dat gratiam, sed requirit nostram cooperationem.

Quare... vos transgredimini? Cur cum Moyse tabulas legis confringitis? [69] Cur sic in terram proicitis? Deus autem videns tabulas legis fractas iterum aliis in tabulis legem eandem scripsit; non tamen ipse tabulas facere voluit, sicut priores, quas ipse per se fecit et digito suo scripsit; voluit ut posteriores tabulas Moyses faceret, ipse vero Deus scripsit. [70] Divina lex absque gratia divina servari non potest. Sed cum Deus primo dat gratiam, gratis dat, vel nullam requirit cooperationem nostram, nisi ut gratiam velimus recipere. At non sic in secunda gratia, requiritur enim nostra cooperatio. Haec est differentia inter sacramentum Baptismi et sacramentum Poenitentiae: ibi datur gratia gratis absque nostris meritis, ex Christi merito; hic autem contritio vel attritio, confessio et satisfactio condigna requiritur, saltem in proposito, si non adsit facultas.

In Divinis Litteris frequenter homines per arbores designantur,

IX. *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur. Sinite illos,* etc. [71] Frequens est in Divinis Scripturis ut homines per arbores designentur. Hinc paradisus terrestris a Deo plantatus [72] Ecclesiam significat; hinc in libro *Iudicum* legimus parabolam de lignis silvarum volentibus super se regem eligere; [73] hinc Isaias proposuit parabolam de vinea Domini sabaoth; [74] Regius Vates inquit quod vir iustus est *tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum;* [75] idem quoque ait Ieremias comparans hominem iniustum arbori infrugiferae, iustum autem ligno pomifero: *Maledictus homo qui confidit in homine et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myricae in deserto...*

65) Cf. Dt 5, 26-28. 66) Ms.: *Vidit.* 67) Cf. Ex 25, 16-21; 40, 18; Dt 10, 5.
68) Cf. Ex 31, 18; Dt 9,10. 69) Cf. Ex 32, 15-19; Dt 9, 15-17. 70) Cf. Ex 34, 1; Dt 10, 1-2. 71) Mt 15, 13-14. 72) Cf. Gn 2, 8-9. 73) Cf. 9, 8-15.
74) Cf. 5, 1-7. 75) Ps 1, 3.

Benedictus vir qui sperat in Domino et erit Dominus fiducia eius, et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas.[76] Hinc Ioannes Baptista: *Omnis... arbor quae non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur;*[77] et Christus: *Omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit.*[78] In Divinis igitur Litteris bonae arbores significant bonos viros, malae autem arbores malos viros; bonae arbores sunt plantae paradisi, plantatae manu Dei; malae autem arbores plantae sunt deserti, plantatae manu diaboli. Sic Dominus docuit in parabola zizaniorum, quod homo in agro suo seminavit bonum semen, sed inimicus homo superseminavit zizania. Interpretatur autem ipse per triticum filios regni, electos, per zizania autem filios nequam, peccatores.[79] Hinc iusti in Divinis Scripturis dicuntur *filii Dei,*[80] peccatores vero *filii diaboli.*[81] De his ait Christus hodie: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur,* loquens de scribis et Pharisaeis omnibusque similibus reprobis a Deo traditis *in reprobum sensum.*[82] Plantae Dei igitur sunt electi, qui Christum sequuntur, ut hodie Apostoli, plantae autem diaboli scribae et Pharisaei, qui Christo adversantur.

iusti quidem per bonas, reprobi autem per malas,

et illi filii et plantae Dei dicuntur, hi vero filii et plantae diaboli;

Plantarum Dei est divinas leges servare, humanis mundanisque posthabitis; plantarum autem diaboli totum oppositum: transgressis divinis legibus, humanis tantum mundanisque operam dare. Nobis igitur, fratres, summa cum diligentia videndum est quaenam nos ipsi plantationes simus, videamus quasnam leges servemus. Habet suas leges Deus, habet suas et mundus; suas Christus, suas et satanas.

illorum est, mundanis posthabitis, divinas leges servare, horum autem totum oppositum.

II. ALIA HOMILIA

I. In sacrosancto hodierno Evangelio habemus duo genera legum et duo genera hominum. Primum genus legum sunt *traditiones seniorum* et *mandata hominum,*[1] leges humanae atque mundanae; secundum

Exhibentur hodie duo genera legum:

76) 17, 5-8. Vulg.: *Benedictus vir qui confidit in Domino,* etc. 77) Mt 3, 10. 78) Ibid. 7, 17. Vulg.: *Malos fructus facit.* 79) Cf. ibid. 13, 24-30. 37-42. 80) Cf. Os 1, 10; Mt 5, 9; Io 1, 12; Rom 8, 14. 17. 19; 9, 8; 1 Io 3, 1. 10. 81) Cf. 1 Rg 2, 12; 25, 17; 2 Rg 16, 7; 21, 13; 2 Par 13, 7; Io 8, 44; Act 13, 10; 1 Io 3, 10. 82) Rom 1, 28.

1) Mt 15, 2. 9.

humanarum et divinarum, et duo genera hominum: electorum et reproborum.

vero genus sunt *mandata Dei* divinaeque leges. Et primum genus hominum sunt plantationes quas plantavit Pater coelestis, Deus ; alterum vero genus plantationes quas non Deus, sed satanas plantavit : *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur.* [2] Primum genus sunt discipuli Christi : *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum ?* [3] Alterum autem scribae et Pharisaei: *Accesserunt ad Iesum scribae et Pharisaei ab Ierosolymis.* [4]

eorumque discrimina, nam auctores legum mundanarum homines sunt, divinarum Deus;

Assignantur etiam discrimina inter utrasque leges et utrosque homines, nam leges quidem mundanae ab hominibus conditae sunt antiquis : *Traditiones seniorum*, doctrinae et *mandata hominum*, auctores igitur mundanarum legum homines sunt ; divinarum vero legum auctor est Deus : *Mandata Dei . . . nam Deus dixit.* [5] Deus autem multo magis differt ab homine quam coelum a terra, sol a luna, dies a nocte, Angelus ab animali, homo a bruto.

finis illarum vanus est, harum vita aeterna;

Differunt fine, quia divinae leges ducunt homines ad vitam aeternam : *Ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi;* [6] finis autem mundanarum legum vanus est : *In vanum . . . colunt me docentes doctrinas et mandata hominum;* [7] servantes enim leges principum nullum in praemium obedientiae consequuntur bonum, sed tantum poenas, quas leges transgressoribus comminantur, non patiuntur.

praecepta legis Dei bona et utilia sunt, legis mundanae, vana;

Differunt substantia, nam praecepta quidem Dei bona et utilia sunt valdeque rationabilia et ipsimet naturali rationi legique naturali conformes : *Honora patrem tuum et matrem tuam;* [8] praecepta vero humana atque mundana vana sunt, uti manus abluere : *Non enim lavant manus suas cum panem manducant.* [9] Hoc autem, quaeso, cuius virtutis est opus ? Divina lex virtutes praecipit, non vanitates ; mundana autem lex externas vanitates circa vitam politicam et civilem, non veras virtutes.

lex Dei sanctissima est, lex mundi saepe iniqua et iniusta;

Differunt forma, nam lex quidem Dei tota est immaculata, iusta et sancta ; lex autem mundi saepe iniqua et iniusta, contra legem et voluntatem Dei : *Transgredimini mandata Dei propter traditiones*

2) Ibid. vr. 13. 3) Ibid. vr. 2. Vulg.: *Traditionem seniorum?* 4) Ibid. vr. 1. Vulg.: *Ab Ierosolymis scribae et Pharisaei.* 5) Ibid. vr. 3. 6) Ex 20, 12; Dt 5, 16. 7) Mt 15, 9. Vulg.: *Sine causa... colunt me*, etc. Ex Is 29, 13. Ex Translat. Septuaginta. 8) Ex 20, 2; Dt 5, 16; Mt 19, 19. 9) Mt 15, 2.

vestras; [10] *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* [11]

Homines vero, qui sunt plantationes Dei, divinas leges servant, mundanas autem vel nihil curant : *Discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum.* Quicunque enim Christi discipuli sunt eiusque praecepta servant, contemnunt ex alto mundanas vanitates ; at vero homines, qui non Dei, sed satanae plantationes sunt, transgrediuntur mandata Dei ut servent mundi leges : *Transgredimini mandata Dei propter traditiones vestras.*

fideles Dei mundanas vanitates contemnunt, mundani autem oppositum faciunt.

II. Sed, quaeso, videamus quomodo in sacrosancto hodierno Evangelio depinguntur plantationes mundi et satanae, quas non plantavit Deus. Dicuntur *scribae et Pharisaei.* Scribae quidem viri erant legisperiti et legisdoctores, viri sapientes et prudentes, de quibus Dominus ait : *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis;* [12] Pharisaei vero profitebantur vitam immaculatam, unde pharisaeus ille dicebat : *Non sum sicut ceteri hominum: raptores, adulteri, iniusti.* [13] Sed humilis publicanus qui se peccatorem agnoscens, *percutiebat pectus suum dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori . . . descendit . . . in domum suam iustificatus* [14] magis quam pharisaeus. Mundani igitur homines profitentur prudentiam et sapientiam, vitae etiam bonitatem, sed externam tantum non internam. Ideo Christus vocat eos *hypocritas,* [15] qui sunt sicut vulpes, quarum quidem pellis bona est, sed caro mala ; sicut serpentes ostendentes foris pulcram oculorum varietatem, sed intus veneno sunt pleni ; ideo eos Christus sepulcris comparavit, quoniam foris quidem marmorum nitorem ostendunt, intus autem plena sunt immunditia. [16] Hinc ait : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me;* [17] habent speciem pietatis, sed virtutem eius abnegant ; [18] habent fidem, sed non caritatem, propterea dicit : *In vanum autem colunt me docentes doctrinas et mandata hominum.*

Mundani figurantur hodie per scribas et Pharisaeos, qui externam tantum virtutem quaerebant,

quos Christus *hypocritas* appellat,

Adhuc vero facile scandalizantur, religiosorum maxime vel mi-

10) Ibid. vr. 3. Vulg.: *Mandatum Dei propter traditionem*, etc. *Traditiones* lect. cod.
11) Ibid. vr. 6. 12) Ibid. 11, 25; Lc 10, 21. 13) Lc 18, 11. Vulg.: *Iniusti, adulteri.*
14) Ibid. vrr. 13-14. Vulg.: *Iustificatus in domum suam.* 15) Cf. Mt 15, 7; 22, 18; Mc 7, 6; Lc 12, 56; 13, 15. 16) Cf. Mt 23, 27. 17) Ibid. 15, 8. 18) Cf. 2 Tim 3, 5.

quia facillime scandalizantur vel minimis defectibus aliorum, maxime religiosorum,

nimis defectibus. Sic scandalizati sunt scribae et Pharisaei quod Apostoli manducarent non lotis manibus, [19] quasi hoc grave peccatum esset et magna culpa maculans conscientiam et coinquinans animam. Sic etiam verbis scandalizantur. Si concionator verbi Dei dicat verbum aliquod sanae quidem doctrinae, sed ab ipsis male intellectae, scandalizantur haeresimque existimant. Sic hodie, quia Christus dixit : *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem,* [20] *Pharisaei, audito verbo hoc, scandalizati sunt,* [21] ac si Christus haeresim dixisset, quoniam in Lege multa erant prohibita ne comederentur, [22] veluti si concionator diceret quod carnem in Quadragesima manducare non est peccatum, multi, audito verbo hoc, scandalizarentur, cum tamen verum sit quod caro conscientiam minime maculat, sed inobedientia et transgressio praecepti ecclesiastici. Sic Christus ait : *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod ex ore procedit*, hoc est peccatum quod procedit ex corde, unde *exeunt malae cogitationes, homicidia . . . fornicationes, adulteria, furta, falsa testimonia, blasphemiae* [23] et peccata alia id genus. Proprium horum est videre aliorum pilos non autem suas trabes : [24]

et de verbis male intellectis,

« Respicit alterius gibbum quandoque camelus,
Sed non in dorso respicit ipse suo » ; [25]

oculos habent similes iis qui a longe acutissime vident, a prope autem nihil.

et sic divina ignorantes suae damnationis sunt causa.

Tandem de his ait quod *caeci sunt et duces caecorum; caecus autem, si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt;* [26] ignorant, inquit, spiritualia et divina : *Animalis homo non percipit . . . quae sunt Spiritus Dei;* [27] sed ignorans ignorabitur, [28] ideo cadent in foveam damnationis aeternae. Hi sunt plantationes satanae. Dei autem plantationes sunt discipuli Christi, qui transgrediuntur vanas traditiones seniorum ut Dei mandata servent.

Inter divinas et humanas leges Deus ipse per Isaiam discrimen posuisse videtur dicens : *Non enim viae meae viae vestrae neque cogitationes meae cogitationes vestrae.* Sed *sicut exaltantur coeli a terra,*

19) Cf. Mt 15, 2. 20) Ibid. vr. 11. 21) Ibid. vr. 12. 22) Cf. Lv 11, 1 sqq. 23) Mt 15, 19. Vulg.: *Cogitationes malae... adulteria, fornicationes*, etc. 24) Cf. ibid. 7, 3-4; Lc 6, 41-42. 25) Huius distichi auctorem non reperimus. Est tamen proverbium arabicum, de quo cf. Atto Vannucci *Proverbi Latini*, vol. 1, pag. 256. 26) Mt 15, 14. 27) 1 Cor 2, 14. 28) Cf. ibid. 14, 38.

ita exaltatae sunt viae meae a viis vestris et cogitationes meae a cogitationibus vestris. [29] Divinae leges sunt veluti coelum, intra quod paradisus est; at leges humanae sicut terra, in cuius utero positus est infernus; [30] coelum nil gravitatis habet: *Iugum... meum suave est et onus meum leve;* [31] sed terra gravissimum est elementum: *Imponunt onera gravia et importabilia in humeros hominum.* [32] Lex divina est lex ignea, quod elementum levissimum est: *In dextera eius ignea lex;* [33] sed lex humana lex est lapidea, sicut lex mosaica in lapidibus scripta: [34] *Iugum* grave, *quod neque nos neque patres nostri portare potuimus.* [35] Sic Moyses manus habebat graves. [36] Coelum influit in terram lucem et calorem, unde fit generatio, bonaque omnia natura producit et gignit; sic divina lex dat lucem divinae sapientiae et calorem divinae caritatis. Terra autem suapte natura frigida est et tenebricosa; sic leges humanae frigidae sunt, timorem incutiunt; sunt etiam obscurae, mentem potius obfuscant quam illuminant.

Discrimen inter leges humanas et divinas etiam ab Isaia insinuatur.

III. *Non... lavant manus suas cum panem manducant.* Mirum est quod Deus pedum potius munditiam quam manuum quaerit, unde Christus pedes discipulorum lavare voluit, [37] et Petro dixit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* [38] Abraham tribus Angelis pedes lavare voluit. [39] Deus Moysi iussit ut solveret calceamenta de pedibus suis; [40] similiter Angelus Domini Iosue praecepit. [41] In lege etiam saserdotibus speciale mandatum datur, ut accessuri ad sacrificium Deo offerendum prius pedes suos lavarent. [42] In *Canticis* laudantur pedes sponsae, non autem manus: *Quam pulcri sunt gressus tui in calcea-*

Videtur Deus pedum munditiam magis quam manuum quaerere.

29) 55, 8-9. Vulg.: *Non enim cogitationes meae cogitationes vestrae, neque viae vestrae viae meae... sic exaltatae*, etc. 30) Itaque S. Auctor videtur infernum in imo terrae centro collocare. De loco autem inferni diversae sunt catholicorum sententiae. Suarez *De Angelis* lib. 8, cp. 16: « Quod infernus sit sub terra dubitandum non est propter communem sensum Patrum ita intelligentium Scripturas, quae semper de inferno tanquam de loco inferiori hoc mundo visibili loquuntur, et ideo motum in infernum semper descensum appellant ». S. Augustinus cum dixisset: « Cuiusmodi sit (ignis inferni) et in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominum scire arbitror neminem, nisi forte cui Divinus Spiritus ostenderit », *De Civitate Dei*, lib. 20, cp. 26, (P. L. 41, 682), quasi seipsum emendans alibi subiunxit: « De inferis magis mihi videor dicere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem reddere cur sub terris esse credantur ». *Retract.*, lib. 2, cp. 24, ibid. 32, 640. Ad quam postremam sententiam S. Auctor etiam inclinare videtur. 31) Mt 11, 30. 32) Ibid. 23, 2. Vulg.: *Onera gravia et importabilia... imponunt in humeros hominum.* 33) Dt 33, 2. 34) Cf. Ex 31, 18; Dt 9, 10. 35) Act 15, 10. Vulg.: *Quod neque patres nostri neque nos*, etc.
36) Cf. Ex 17, 12. 37) Cf. Io 13, 5. 38) Ibid. vr. 8. 39) Cf. Gn 18, 4.
40) Cf. Ex 3, 5. 41) Cf. Ios 5, 16. 42) Cf. Ex 30, 19-21.

munditia enim pedum significat puritatem affectuum internorum.

mentis, filia principis! [43] Manus autem non laudantur, ad designandum quod, modo caritas vera adsit in anima, non sunt opera necessaria, nam otium contemplationis multo melius est labore actionis : *Maria meliorem partem elegit, quae non auferetur ab ea.* [44] In sabbato nihil operatus est Deus, sed *benedixit... et sanctificavit illum.* [45] Ab electis in patria Deus non requirit amplius opera, sed amorem summamque caritatem. Requirit super omnia Deus pedum munditiam, idest affectuum internorum puritatem, nam internam pietatem necessario sequitur externa in moribus et candore vitae, non autem, e contra, sanctitatem externam sequitur interna; [46] qui animo sancti sunt, et moribus; sed hypocritae sepulcra sunt dealbata, lupi sub ovina pelle. [47]

quam Deus super omnia requirit.

Humanae autem leges internam sanctitatem nil curant, sed tantum externam, ut laventur manus, non pedes; divinae autem ut laventur pedes potius quam manus.

III. ALIA HOMILIA

Deus dixit : Honora patrem tuum et matrem tuam, et : Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem, etc. [1]

Agit hodiernum Evangelium de praecepto honorandi parentes.

I. Hoc est, inquit Apostolus, *mandatum primum in promissione,* [2] nam ait : *Ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.* [3] Primum mandatum est secundae tabulae, quae dirigit hominem ad proximum, sicut prima tabula ad Deum. [4] Prima enim legis tabula virtute continet primum et maximum mandatum : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo;* [5] secunda vero mandatum alterum : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* [6]

Sicut autem iustitia duas habet partes : *Declina a malo et fac bonum,* [7] sic praeceptum istud duo a nobis requirit : primum, ne parentes quibusvis malis afficiamus dictis vel factis; secundum, ut eis quantum possumus benefaciamus, reverentiam exhibendo eis [et] in

43) 7, 1. 44) Lc 10, 43. Vulg.: *Optimam partem*, etc. 45) Gn 2, 3. 46) Ms.: *Sanctitatem internam sequitur externam.* 47) Cf. Mt 7, 15.

1) Mt 15, 3-5; Ex 20, 12; 21, 17; Lv 20, 9. 2) Eph 6, 2. 3) Ex 20, 12; Dt 5, 16. 4) Cf. supra, hom. 1 huius Feriae, pag. 191, not. 22. 5) Dt 6, 5; Mt 22, 37-38. 6) Lv 19, 18; Mt 22, 39. 7) Ps 36, 27.

omnibus quae non sunt contra voluntatem Dei et salutem animae obediendo, et in necessitatibus, quas patiuntur, eis pro viribus subveniendo. Haec tria filii parentibus iure naturae debent. Sic [8] enim ante legem datam Ioseph patrem suum honoravit et obedivit prompto animo, cum misit ipsum pater ad visitandos fratres, [9] eique subvenit in necessitate famis diuturnae; [10] Cham vero maledictus fuit, quia patrem suum Noe inhonoravit. [11] In lege autem praecipitur ut *qui maledixerit patri vel matri morte moriatur*, et ut filius contumax ab universo populo civitatis lapidibus obruatur, si a parentibus apud iudices fuerit accusatus. [12] Sem et Iapheth propter honorem et reverentiam patri exhibitam benedicti fuerunt; [13] Absalom, quia contra patrem suum impie consurrexit, infelicissimo fine periit propriis crinibus suspensus in quercu et tribus lanceis transfossus. [14]

quod duas partes habet: negativam unam, et positivam alteram.

II. Quanti autem faciat Deus parentum honorem hinc elucet, quod praecepto huic primum locum dedit in secunda tabula, et inter omnia praecepta huic tantum specialem addidit praemii promissionem: *Ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi;* et transgressoribus poenam comminatus est mortis: *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.*

Maximi facit Deus honorem erga parentes.

Continet autem praeceptum istud virtutes quam plurimas. Primo quidem caritatem; diligendi enim sunt parentes non tantum naturali amore, sed etiam ex caritate in Deo et propter Deum, quatenus Deum supremum Patrem nostrum nobis repraesentant. Secundo iustitiam; nam religio in Deum et pietas in parentes sunt partes iustitiae; requirit autem iustitia ut unicuique detur quod suum est: *Reddite . . . quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.* [15] Nos autem quod sumus, parentum sumus. Est autem pietas virtus inducens animum ad diligendum honorandumque parentes. Hinc apud Hebraeos ci-

Praeceptum hoc multas virtutes continet: caritatem, iustitiam, gratitudinem obedientiam, misericordiam, patientiam, humilitatem;

8) In margine haec adiecta fuerunt: « Quattuor sunt praecipua quae filii parentibus debent, praeter innocentiam et reverentiam: *Honora patrem... et : Qui maledixerit.* Primum est amor et pietas animi, ut amori eorum respondeamus; secundum gratitudo, ut pro acceptis beneficiis gratias eis et habeamus et referamus; tertium prompta obedientia, ut eis ex animo prompte obediamus, et quartum subventio in necessitatibus, ut eis pro viribus tum vivis benefaciamus et tum defunctis, si aliter non possumus, saltem oratione apud Deum iuvemus ».

9) Cf. Gn 37, 12-17. 10) Cf. ibid. 42, 1-43, 1 sqq. 11) Cf. ibid. 9, 22-25. 12) Cf. Dt 21, 18-21. 13) Cf. Gn 9, 26-27. 14) Cf. 2 Rg 18, 9-14. 15) Mt 22, 21; Mc 12, 17.

conia, quae hieroglyphicum est pietatis in parentes, nam senes parentes nutrit et fovet,[16] dicitur חֲסִידָה,[17] idest p i a. Tertio continet animi gratitudinem, quae requirit ut beneficia benefactoribus duplicata et triplicata rependamus. A parentibus autem quis dicere unquam poterit qualia et quanta beneficia acceperimus ? Continet obedientiam, ut eis pro viribus morem geramus ; continet misericordiam, ut eis compatiamur et egentibus misereamur corde et opere ; continet patientiam, ut patienter eos supportemus, si quando graves nobis sunt nimiumque fastidiosi; continet humilitatem, ut eis subiecti simus, sicut Christus subiectus esse voluit matri et patritio suo : *Descendit* enim *cum eis* in *Nazareth et erat subditus illis.*[18]

ideo Christus hodie acriter valde in scribas et Pharisaeos invehitur irritum illud facientes.

III. Merito igitur Deus huic praecepto adiunxit promissionem vitae servatoribus et mortis comminationem transgressoribus, et propterea Christus hodie acriter valde in scribas et Pharisaeos invehitur, quoniam propter traditionem suam mandatum istud Dei irritum fecerant : *Quare . . . vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?*[19] et: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*[20] Erat autem eorum traditio : *Munus quodcunque est ex me, tibi proderit, et non honorificabit patrem suum et matrem suam.*[21] Quod apud M a r c u m sic legimus : *Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri aut matri: Corban, quod est donum, quodcunque* est *ex me, tibi profuerit; et ultra non dimittitis eum quicquam facere patri suo aut matri.*[22] Persuadebant filiis ut omnia bona sua Deo devoverent ad pios usus. Facto autem tali voto, dicebant eos minime posse de bonis illis Deo per votum oblatis parentibus egentibus et necessitate confectis subvenire, ac si sacrilegium esset. Sic igitur locus iste intelligitur : *Munus*, sive *corban*, idest donum et oblatio, *quodcunque est ex me*, quod *tibi profuerit*, idest omnia bona mea quibus vos, o parentes, iuvare possem, Deo in munus et donum obtuli ; ideo non possum ea in profanos usus convertere. Et sic non sinebant filios prodesse parentibus eosque de bonis suis iuvare et sustentare. Dicebant v o t u m istud, persuadendo quod

Docebant Pharisaei filios bonis Deo promissis parentibus egenis subvenire non posse,

quia plus debet homo Deo quam patri carnali.

16) Cf. S. Ambrosius *Hexaem.*, lib. 5, cp. 26, (P. L. 14, 228-229); Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 11, cp. 17, col. 585. 17) Ms.: *Hasidah.* 18) Lc 2, 51. 19) Mt 15, 3. Vulg.: *Traditionem vestram?* 20) Ibid. vr. 6. 21) Ibid. vrr. 5-6. Vulg.: *Aut matrem suam.* 22) 7, 11-12.

homo duplicem habet patrem : alterum in coelo, alterum in terra ; unum aeternum, alterum temporalem ; unum spiritualem, alterum carnalem ; unum divinum et alterum humanum. Principaliori autem patri, Deo, magis debet homo quam patri carnali illumque magis honorare de bonis suis quam istum.

Sed falso argumentabantur, quia uterque pater honorandus est, divinus et humanus, et uterque ex caritate diligendus.

Erat autem eorum argumentatio ac si diceret homo : Duplici substantia consto : corpore et anima, carne et spiritu ; et harum quidem altera coelestis est, altera terrena ; altera Deo et Angelis similis, altera bestiis ; altera immortalis et perpetua, altera temporalis et caduca. Curanda igitur est totaliter salus animae ; salus autem corporis nihil curanda, aut corporalibus necessitatibus, dum corpus eget atque laborat fame, siti, frigore, nuditate infirmitatibusque, nequaquam subveniendum. An bona esset huiuscemodi argumentatio ? Sic nec illa: habemus patrem spiritualem et patrem carnalem ; magis tenemur patri spirituali quam carnali ; ergo spirituali patri danda sunt omnia, non autem carnali, sed relinquendus hic est ut fame et necessitate confectus moriatur !

Id tantum prohibet Christus ne quis supra Deum parentes diligat,

Homo quidem, duplici substantia cum constet, utrique opus est ut necessaria ad salutem provideat ; sicut uterque pater ei honorandus est, et divinus et humanus, utrique obediendum, uterque ex caritate diligendus, ut habeat divinum propitiatorium, quod caritatem designabat, duos cherubim, unum a dextris et alterum a sinistris. [23] Sint in superhumerali magni sacerdotis duo lapides onychini, [24] duo praecepta caritatis ; sint intra arcam ambae tabulae legis, [25] sint a dextris et a sinistris maris aenei duae columnae, Iachin et Bohaz. [26] Habeat facies animae nostrae duos oculos et duas aures ; homo interior noster duas manus et duos pedes, affectum erga Deum Patrem coelestem et etiam erga hominem patrem terrenum. Si hic plantavit arborem, accipiet de fructibus eius. Id tantum prohibet in Evangelio Christus ne quis supra Deum parentes diligat : *Qui* enim, inquit, *diligit patrem* suum *aut matrem* suam *plus quam me, non est me dignus.* [27] Sed qui patrem terrenum non diligit, coelestem quomodo diliget ? Si, inquit Divus Ioannes, non diligis fratrem tuum

qui autem eos non diligit, nec Deum diligere potest.

23) Cf. Ex 25, 17-20; 37, 6-9. 24) Cf. ibid. 28, 9. 25) Cf. ibid. 25, 16; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 26) Cf. 3 Rg 7, 21; 2 Par 3, 17. Vulg.: *Booz. Bohaz* ex hebraico. 27) Mt 10, 37. Vulg.: *Qui amat*, etc.

quem vides, Deum quem non vides quomodo potes diligere?[28] Si obiectum praesens non movet potentiam, quomodo movebit absens? Sic si patrem quem vides, non diligis, quomodo potes diligere patrem spiritualem et coelestem, Deum, quem non vides? Ideo: *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur*, signum est enim quod omni penitus destitutus est caritate omnique in Deum religione sicut pietate erga parentes.

Pater honorandus est quia imago divinae bonitatis et dominus filiorum,

IV. Vult Dominus ut anima nostra sit tanquam coelum ornatum omnibus astris virtutum, sed praecipue duobus luminaribus magnis, duobus, inquam, praeceptis caritatis erga Deum et erga proximum, maxime vero erga parentes: *Honora patrem tuum et matrem tuam.* Apostolus ait: *Soli Deo honor et gloria.*[29] Si soli Deo tribuendus est honor, quomodo honorandus est pater? Et tamen per Prophetam Deus ipse ait: *Filius honorat patrem et servus dominum suum.*[30] Sed quia pater imago quaedam Dei est filio, propterea honorandus a filio est; pater enim quaedam imago est divinae bonitatis et caritatis; hinc Deus in Scripturis Sanctis *Pater* est appellatus, *ex quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur.*[31] Est etiam pater dominus filiorum, ideo a filiis honorandus et ministrandus.

hinc Deus tantopere honoravit filios pios erga parentes

Laudat Deus apud Ieremiam Rechabitas, eo quod praeceptum patris eorum Ionadab servabant, ut non biberent vinum neque haberent domos et possessiones.[32] Ioseph cum universis fratribus suis quadraginta diebus flevit mortem Iacob patris sui eumque cum honore maximo ad sepeliendum portavit ex Aegypto usque ad terram promissionis, ut patris praeceptum impleret.[33] Sic patrem etiam mortuum honoravit; Cham vero, quoniam dormientem patrem dehonestavit, maledictus, ubi e contra fratres ipsius Sem et Iapheth benedicti fuerunt ob paternum honorem et reverentiam.

et multis malis afficit ingratos,

Ex qua quidem historia liquet quod ex transgressione huius praecepti, quod naturali lege praeceptum est, multa mala sequuntur, praeter illud quod in decalogo legis innuitur, quod est vitae brevitas et praematura mors, quam Absalom expertus fuit ob transgressionem divini huius mandati et magnam iniuriam patri illatam. Ex historia

28) Cf. 1 Io 4, 20. 29) 1 Tim 1, 17. 30) Mal 1, 6. 31) Eph 3, 15. Vulg.: *In coelis*, etc. 32) Cf. 35, 5-10. 33) Cf. Gn 50, 1-13.

autem hac duo alia mala habemus, quae sequuntur transgressionem huius praecepti, nam ait: *Maledictus Chanaan: servus servorum erit fratribus suis.*[34] Maledictio autem in Divinis Scripturis importat paupertatem et penuriam rerum, sicut, e contra, benedictio opulentiam et copiam divitiarum. Hinc propter transgressionem huius mandati Chananaei ab Hebraeis expulsi fuerunt a patriis sedibus bonisque omnibus expoliati ad nihilumque redacti.[35] Alterum vero malum est servitus: *Servus servorum erit fratribus suis. Benedictus . . . Deus Sem: sit Chanaan servus eius. Dilatet Deus Iapheth . . . sit Chanaan servus eius;*[36] ante transgressionem autem praecepti huius nullibi in Divinis Scripturis legimus servitutem, ut homo hominis servus esset. Nec tantum servitus, sed vilissima intelligenda hic est: *Servus servorum erit fratribus suis,* idest servus vilissimus. Sic Gabaonitae servi perpetui Hebraeorum fuerunt.[37]

sicut patet ex historia Cham, qui maledictus fuit a patre et posteritas eius perpetuae servituti addicta.

V. *Nam Deus dixit: Honora patrem tuum et matrem tuam, et: Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Praecipit divina lex ut parentes diligantur a filiis, non autem ut diligant filios, quoniam amor parentum erga filios est valde naturalis. Radix enim suapte natura mittit humorem suum ad ramos, at non e contra, et aqua suapte natura descendit deorsum, non autem sursum. Sic amor parentum suapte natura descendit ad filios, sed non sic ascendit amor filiorum ad parentes.

Naturalis est amor parentum erga filios, ideo hunc lex divina non praecipit;

Tenentur tamen parentes non tantum naturali amore diligere filios, sed etiam ex caritate, ut diligant eos non tantum ut filios suos secundum carnem, sed etiam ut filios Dei secundum spiritum. Et Paulus quidem ait quod parentes tenentur thesaurizare filiis;[38] thesaurizare autem est filiis bona acquirere. Ex Evangelio autem habemus thesauros et terrenos et coelestes;[39] utrosque igitur thesauros parentes tenentur filiis thesaurizare. Timor enim Dei in Divinis Scripturis *thesaurus* dictus est, similiter et sapientia: *Timor Domini ipse est thesaurus eius,* inquit Isaias.[40] In *Sapientia* etiam legimus quod sapientia *infinitus . . . thesaurus est hominibus.*[41]

sed amor hic ex vera caritate oriri debet, et secundum spiritum parentes debent diligere filios.

34) Ibid. 9, 25. 35) Cf. Ios 12, 1 sqq.; Ps 134, 10-12. 36) Gn 9, 26-27. Vulg.: *Sitque Chanaan*, etc. 37) Cf. Ios 9, 22 sqq. 38) Cf. 2 Cor 12, 14. 39) Cf. Mt 6, 19-21. 40) 33, 7. 41) 7, 14.

idest eos potissimum docere quae ad vitam spiritualem spectant.

Cum igitur filii duplici substantia constent et ad duplicem vitam ducendam creati sint: ad vitam corporalem et spiritualem, temporalem et aeternam, in terra et in coelo ; alteram communem cum animalibus, alteram vero communem cum Angelis, duplici thesauro opus habent.

et hoc ab infantia.

Parentes tenentur thesaurizare filiis. Primum opus quod legimus de duobus filiis Adam fuit offerre sacrificia Deo ;[42] hoc signum est quod hoc primum eos docuit Adam. De filiis David legimus quod erant omnes sacerdotes,[43] idest bene educati erant tanquam religiosi. Sic enim David Salomonem filium suum educandum dedit Nathan prophetae,[44] ut thesaurizaret ei timorem Domini et coelestem divinamque sapientiam; Abraham iussus fuit, postquam Isaac filius promissionis ad puerilem aetatem devenit, ut eiceret e domo Ismaelem una cum matre Agar,[45] ne Isaac vitia Ismaelis disceret; quoniam hoc praecipuum munus parentum esse debet: curam habere ne filii, maxime in tenera aetate, cum male morigeratis conversentur.

Parentes debent *a*) filios diligere secundum Deum, quia primus dominus eorum Deus est;

VI. Sed ut in ordinem redigamus ea quae parentes erga filios facere tenentur, primum est quod tenentur eos diligere non tantum carnaliter, sed etiam spiritualiter, ex caritate secundum Deum, desiderando eis non solum temporalia et corporea bona in salutem corporum, sed etiam spiritualia et aeterna in salutem animae. Hoc primum praeceptum est, ut rationabili amore et ex caritate filii diligantur cognoscanturque a Deo, quoniam filii dona sunt Dei. Sic enim Eva, cum primum filium edit in lucem, dixit : *Acquisivi virum per Deum.*[46] Laetata fuit ac si magnam possessionem a Deo accepisset, quare non a natura, sed a Deo auctore naturae datum sibi filium cognovit confessaque fuit et gratias Deo egit. Hinc multi ob suam ingratitudinem filiis iusta Dei punitione orbantur, ut, vexatione dante intellectum,[47] cognoscant beneficia Dei, cum illis fuerint privati.

b) pro eis quotidie Deum exorare et prius bona spiritualia petere;

Secundo, debent parentes iugiter, omnibus et singulis diebus pro filiorum salute Deum exorare, sicut fecit Abraham pro Ismaele,[48] petereque a Deo pro filiis primo bona spiritualia, ut Deus concedat filiis bonam mentem, cor docile, divinum timorem, virtutes animi,

42) Cf. Gn 4, 3-5. 43) Cf. 2 Rg 8, 18. 44) Cf. ibid. 12, 25. 45) Cf. Gn 21, 9-12.
46) Ibid. 4, 1. Ex hebraico. 47) Cf. Is 28, 19. 48) Cf. Gn 17, 18-20.

moresque optimos, qui ad salutem consequendam necessarii sunt; deinde bona temporalia, quae ad victum et vestitum nobis opus sunt.

c) curare ut filii discant doctrinam christianam, legem Dei, bonos mores,

Tertio, cum filii devenerint ad aetatem capacem disciplinae, magna diligentia summoque studio curare et niti ut filii discant doctrinam christianam legemque Dei et bonos mores. Hoc enim praeceptum saepe legimus in Divinis Scripturis, ut filiis narrentur divina opera divinaque mandata, [49] ut sic ad Deum dirigantur. Curare etiam ut discant artes vel scientias utiles, sed licitas et honestas, quibus possint victum vestitumque sibi lucrari. Non unam eandemque artem filios suos docuit Adam, sed diversas, ad conservandam pacem et animorum concordiam unionemque. Duo enim canes circa idem os non possunt esse concordes. [50] Hinc vetuit lex ne duae sorores eundem haberent maritum, [51] sicut Rachel et Lia, ne inter sorores regnaret invidia et malevolentia. [52] Sic enim fecit primus noster pater Adam: filios suos docuit artes utiles licitasque, Cainum agriculturam et Abelum pastoralem artem, quae artium omnium innocentissimae sunt et a dolo et fraudibus remotissimae; nec divinum cultum filios docere neglexit, sed docuit ut munera Deo offerrent Deoque servirent et omnibus quibus possent modis honorarent. [53] Quod si non potest pater per seipsum haec filiis praestare, provideat eis magistros bonos, qui non tantum artes et scientias doceant eos, sed etiam bonos mores.

et tandem diversas artes utiles;

d) maxime eos docere quotidianam orationem;

Maxime vero parentibus satagendum est ut filios doceant orare Deum et Sanctos, saltem mane et sero per singulos dies, et ut spirituales libros legant vitasque Sanctorum Patrum aliosque sanctos libros, nam: *Bonum est viro cum portaverit iugum ab adolescentia sua,* [54] *adolescens* enim *iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* [55] Siquidem, ut ethnicus ille ait:

« Quo semel imbuta recens servabit odorem
Testa diu ». [56]

e) eis exempla virtutum praebere;

Quarto, tenentur parentes dare filiis exempla virtutum et bonorum morum, nam filii sicut linguam sermonemque parentum ex auditu

49) Cf. Dt 6, 6-7; Ps 33, 12; 77, 4-8; Prv 1, 8; 19, 18 sqq.; Eccli 7, 25-27. 50) Proverbium illis simile: « Unum arbustum non alit duos erithacos », et: « Una domus non alit duos canes », dictum de iis inter quos parum convenit, nec in eodem munere seu arte concorditer versari queunt propter idem lucrum. Cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 702-703. 51) Cf. Lv 18, 18. 52) Cf. Gn 29, 16 sqq. 53) Cf. ibid. 4, 1-4. 54) Thr 3, 27. 55) Prv 22 6. 56) Horat. *Epistolarum*, lib. 1, epist. 2, vr. 14.

discunt, ita et mores ex visu. Filii enim parentum mores facillime sequuntur, ut experientia docet; hinc Turcarum filii turcae volunt esse, Iudaeorum iudaei, haereticorum haeretici. Sunt enim filii tanquam simiae parentum, et sicut simiae in omnibus homines imitari conantur, sic filii parentes.

f) verbis et verberibus eos corrigere,

Quinto, tenentur filios corrigere verbisque et verberibus a vitiis et malis moribus omni studio pro viribus emendare, nec parcere virgae, nam: *Qui parcit virgae odit filium* [57] et serpentem in sinu fovet nutritque inimicum, sicut David Absalomum. [58] Heli sacerdos morte punitus fuit tum filiorum tum propria, quoniam filios non, ut par erat, correxit. [59] Multi sunt qui filios tanquam idola colunt, nec verbo eos contristare volunt nihilque curant quid faciant filii, bene an male, si peccant in Deum vel in proximum, quoniam supra Deum et supra virtutem tanquam bruta animalia filios diligunt. Diligendi sunt filii, sed citra Deum, sicut Abraham dilexit Isaac. [60] Diligendi sunt, sed citra virtutis et religionis praeiudicium, sicut Iacob filios dilexit iubens ut auferrent a se omnes deos alienos. [61]

consiliari et oratione adiuvare;

Quod si filii in eam aetatem devenerint ut non liceat amplius cum eis virga et verberibus agere, semper licet agere verbis, vel saltem oratione ad Deum, sicut faciebat Iob qui diebus singulis offerebat Deo sacrificia pro filiis Deumque suppliciter exorabat ne filii in Deum factis aut verbis vel cogitationibus peccarent. [62]

g) sollicite eos custodire ne a societate malorum pervertantur;

Sexto, multa cum sollicitudine quam oculatissime filios custodire a conversatione et societate malorum ne discant male agere. Hinc enim pueri et adolescentes vitiis et malis moribus imbuuntur: *Corrumpunt* enim *bonos mores colloquia mala,* [63] nam tanquam flatus et ventus carnalis concupiscentiae et fomitis peccati ignem accendunt.

h) aeque et iuste inter eos bona dividere, ne occasione hereditatis lites accendantur,

Tandem curare debent ut in morte filios in pace concordes relinquant, sine causa vel occasione rixarum et litium ratione hereditatis. Possunt parentes, si velint, alicui filiorum aliquid amplius supra aliorum sortes partesque relinquere, sicut possunt filium unum supra alios amare. Sic enim fecit Iacob et dilexit Ioseph supra alios filios [64] et in morte reliquit ei campum Sichem possessionem unam supra fratres

57) Prv 13, 24. 58) Cf. 2 Rg 15, 1 sqq. 59) Cf. 1 Rg 2, 12-25; 4, 1-18. 60) Cf. Gn 22, 1-12. 61) Cf. ibid. 35, 2-4. 62) Cf. Iob 1, 5. 63) 1 Cor 15, 33. Vulg.: *Mores bonos,* etc. 64) Cf. Gn 37, 3 sqq.

ipsius.[65] Sed sicut singularis ille amor erga Ioseph seminarium fuit multorum malorum magnamque invidiam contra Ioseph accendit in cordibus aliorum filiorum,[66] sic saepe partialis affectus parentum multorum causa est vel occasio malorum. Quare debent parentes ante mortem suam testamenta magna cum consideratione et prudentia facere et ante mortem suam filios accommodare, sicut fecit Abraham[67] et sicut fecit etiam David, qui ante mortem suam Salomonem regem constituit.[68]

partialis enim amor parentum multorum est causa et occasio malorum.

IV. ALIA HOMILIA

Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum ? Non enim lavant manus suas cum panem manducant.[1]

I. Agitur in sacrosancto hodierno Evangelio de disputatione quadam habita inter Christum et scribas ac Pharisaeos de munditia et puritate vitae, in conspectu magnae multitudinis. Christus cathedram tenet, scribae et Pharisaei arguunt contra eum, turbae assistunt audientes propositiones et responsiones. Disputatur ergo de munditia et puritate vitae quae decet fideles Dei : *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum ? Non enim lavant manus suas cum panem manducant.* Venerunt magnum iter ab Ierosolymis usque ad terram Genesareth parati ad argumentandum contra Christum Pharisaei et scribae, sapientes legisperiti et magni doctores.

Disputat hodie Christus cum scribis et Pharisaeis de puritate vitae,

Eorum autem argumentum tale est : Quicunque negligit et spernit quod Deo placet et a maioribus traditum et acceptum est, male agit ; sed discipuli tui negligunt munditiam, quae Deo placet et a senioribus mandata est ; ergo male agunt. Tu autem malum permittis nec corrigis ; ergo zelum Dei non habes, non curas quae placent Deo ; non es ergo verus Messias ut dicis et praedicas miraculisque confirmare conaris. Quod autem placeat Deo mundities patet, nam Deus per Isaiam ait : *Lavamini, mundi estote.*[2] Et Deus saepe in lege munditiam mandavit. Legem enim laturus iussit prius ut omnes la-

qui ex eo quod ipse immundos discipulos tollerabat, arguebant non esse verum Messiam.

65) Cf. ibid. 48, 22. 66) Cf. ibid. 37, 3-4. 67) Cf. ibid. 25, 1-7. 68) Cf. 3 Rg 1, 28-40.

1) Mt 15, 2. Vulg.: *Traditionem seniorum*, etc. *Traditiones* lect. cod. 2) 1, 16.

varent vestimenta sua [3] et sacerdotes sacrificium oblaturi prius lavari mandantur. [4] Placet ergo Deo mundities et politia et propterea tradita mandataque fuit a senioribus et principibus populi. Servanda igitur est. Cur ergo *discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum* non lavantes *manus suas cum panem manducant?* Hoc argumentum est scribarum et Pharisaeorum.

Sapientissima responsione Christus primo arrogantiam eorum retundit et argumentum contra ipsos retorquet,

II. Respondet Christus primo adducendo inconveniens et secundo solvendo argumentum. Adducit inconveniens : *Quare ... vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* [5] Quomodo, inquit, o arbitri et censores mundi, videtis aliorum pilos, vestras [6] autem trabes minime videtis? [7] Displicet vobis transgressio traditionum humanarum et non displicet transgressio mandatorum divinorum? Displicet immunditia corporis alieni et non displicet impuritas et immunditia animarum vestrarum? Consideratis minimos defectus aliorum et non consideratis gravissima peccata vestra? Lupi reprehendunt oves, carnisprivium Quadragesimam arguit. [8] *Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias ...: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. In vanum autem colunt me docentes doctrinas et mandata hominum.* [9] Si, inquit, vos zelum Dei et iustitiae haberetis, non transgrederemini *mandatum Dei propter traditionem vestram.* Tunc Christus solvit argumentum turbas alloquens : *Audite et intelligite. Non quod intrat per os coinquinat hominem, sed quod procedit* ex homine, sive *ex ore, hoc coinquinat hominem.* [10] Non est verum, inquit, quod externa immunditia corporis displicet Deo hominemque coram Deo immundum reddit; sed immunditia interna animae, idest vitium et peccatum, hoc reddit hominem Deo ingratum.

deinde ostendit non externam, sed internam immunditiam Deo displicere,

Sed Pharisaei, audita hac Domini responsione, *scandalizati sunt,* [11] quasi Domini responsio falsa omnino esset ac erronea divinaeque legi contraria, quoniam divina lex praecipit ne animalia immunda co-

non potest enim anima ab externo cibo,

3) Cf. Ex 19, 10-15. 4) Cf. ibid. 30, 19-21; Nm 8, 6-8. 21-22. 5) Mt 15, 3. 6) Ms.: *Vestros.* 7) Cf. Mt 7, 3-4; Lc 6, 41-42. 8) Proverbia illi similia: « Sus Minervam docet », dictum de iis qui, indocti cum sint, non verentur summos in omni doctrina viros in certamen litterarium provocare. Iuxta intentionem S. Auctoris intelliguntur de iis qui, vitiis inquinati cum sint, intemeratos et omni laude dignos viros de aliqua culpa calumniose arguere audent. Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Primum*, pag. 282, not. 6; P. Mannuccius *Adagia*, col. 65-66. 9) Mt 15, 7-9. Vulg.: *Sine causa*, etc. 10) Ibid. vr. 11. Vulg.: *Intrat in os*, etc. 11) Ibid. vr. 12.

medantur.[12] Quid igitur, inquiunt, docet hic contra divinam legem, quod sine peccato comedi potest caro suilla aliorumque immundorum animalium? *Audito . . . hoc scandalizati sunt.* Sed Dominus ab Apostolis requisitus declarat responsionem suam: *Non intelligitis,* inquit, quia *omne quod intrat in os, in ventrem vadit et in secessum emittitur?*[13] Omnis cibus, etsi immundus, non tangit cor, non tangit animam, sed vadit in stomachum et inde in ventrem ac in secessum. Non polluit ergo animam, neque enim radius solaris polluitur tangens lutum et stercora; sed quae ab ore procedunt, quia a corde exeunt malae cogitationes et desideria, mendacia et blasphemiae, falsa testimonia, periuria et iuramenta falsa, adulteria, homicidia et his similia. *Haec,* inquit, *sunt quae coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem;*[14] hoc enim ad civilem tantum politiam spectat, non ad conscientiam. sed a vitio cordis inquinari.

Docet igitur Christus quod non est immunditia corporis externa quae displicet Deo, sed interna cordis et animae; quod non requirit Deus corporalem munditiam et politiam, sed spiritualem cordis puritatem. Hinc Christus ait: *Beati mundo corde.*[15] Propterea cum Isaias dixisset: *Lavamini, mundi estote,* subiunxit: *Auferte malitiam cogitationum vestrarum ab oculis meis;*[16] hinc etiam alibi legimus: *Lava, Ierusalem, a malitia cor tuum.*[17] Et ob hanc causam Deus per Isaiam Iudaeos arguit dicens: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me,*[18] quoniam Deus super omnia internam cordis puritatem sanctitatemque requirit, non externam. Ob id Regius Vates cor mundum petebat a Deo: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.*[19] Hoc docuerunt etiam Prophetae.

Apud Divum Lucam legimus quod invitatus Dominus a quodam pharisaeo, discubuit cum eo, et quod pharisaeus statim coepit reputare intra se quod Dominus ante prandium non esset baptizatus. Cui Dominus: *Nunc vos,* inquit, *Pharisaei, quod deforis est calicis et catini mundatis, quod autem intus est vestrum plenum est rapina et iniquitate.*[20] Sic etiam apud Matthaeum: *Vae vobis . . . Pharisaei* et alibi pluries ipse Dominus.

12) Cf. Lv 11, 1 sqq. 13) Mt 15, 17. Vulg.: *Quod in os intrat,* etc. 14) Ibid. vrr. 18-20. 15) Ibid. 5, 8. 16) 1, 16. Vulg.: *Auferte malum,* etc. 17) Ier 4, 14. Vulg.: *Lava a malitia cor tuum, Ierusalem.* 18) 29, 13. Ex Translat. Septuaginta et ex Mt 15, 8; Mc 7, 6. 19) Ps 50, 12. 20) 11, 39.

hypocritae, quia mundatis quod deforis est calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et iniquitate! Pharisaee caece, munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat... quod deforis est mundum. Vae vobis, scribae et Pharisaei hypocritae, quia similes estis sepulcris dealbatis, quae aforis parent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia! Sic et vos aforis quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. [21] Sunt hypocritae vulpibus quam similes, in quibus nil boni est nisi externa pellis.

Deus enim hominem sanctum vult secundum animam.

Internam igitur Deus sanctitatem requirit, nam: *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* [22] Homo factus est *ad imaginem et similitudinem Dei,* [23] ut sit Deo similis: *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester;* [24] *Estote... perfecti, sicut... Pater vester coelestis perfectus est.* [25] At non est similis Deo nisi secundum animam. Ergo sanctitas hominis necesse est ut sit spiritualis secundum animam.

Hinc ostenditur magna excaecatio Pharisaeorum,

III. Erant isti scribae et Pharisaei sicut Salomon ait: *Generatio, quae sibi munda* esse *videtur, et non est lota a sordibus suis.* [26] Ad eos redarguendos Dominus locum adducit Isaiae, ubi loquitur Divinus Vates de excaecatione Iudaeorum. Ait enim: *Obstupescite et admiramini, fluctuate et vacillate, inebriamini et non a vino, movemini et non ab ebrietate. Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, Prophetas et principes vestros qui vident visiones, operiet. Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras et dicent: Lege istum... respondebit: Non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras diceturque ei: Lege, et respondebit: Nescio litteras.* [27] Causam autem huius excaecationis adiungit dicens: *Eo quod populus iste appropinquat ore suo et labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est a me, et timuerunt me mandato hominum et doctrinis; ideo ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo; peribit enim sapientia a sapientibus... et intellectus prudentium eius abscondetur.* [28]

quam Isaias etiam vaticinatus fuerat,

21) 23, 25-28. Vulg.: *Rapina et immunditia... intus vero plena sunt, etc.* 22) Io 4, 24. 23) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 24) Lv 11, 44-45; 1 Petr 1, 16. Ordine inverso affert hunc vr. 25) Mt 5, 48. 26) Prv 30, 12. 27) Is 29, 9-12. 28) Ibid. vrr. 13-14. Vulg.: *Eo quod appropinquat populus iste, etc.*

Sic videmus hodie. Erant enim isti scribae et Pharisaei sapientes Iudaeorum, erant legisdoctores, sed excaecati sunt ut non videant solem ; Christus enim *Sol* est *iustitiae.*[29] Ex radiis cognoscitur sol; Christus ex operibus et miraculis. Fecerat Christus miracula innumera ad demonstrandum se verum esse Messiam. At isti ea tantum ratione ducti eum Messiam minime credunt, eo quod discipuli eius non lotis manibus manducarent, veluti si quis solem negaret, quia nubeculam quandam videret in aere umbram aliqualem facientem super terram. Causa autem huius caecitatis, inquit, est hypocrisis, eo quod externam tantummodo sectarentur iustitiam externumque vitae candorem.

ab hac enim hypocrisi obcaecati, etiam visis miraculis Christi, in cum credere renuerunt,

Arguit autem hos scribas et Pharisaeos eodem loco Isaias dicens : *Vae qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera et dicunt: Quis videt nos? et quis novit nos? Perversa est haec vestra cogitatio, quasi si lutum contra figulum cogitet, et dicat opus factori suo: Non fecisti me, et figmentum dicat fictori suo: Non intelligis.*[30] Sic enim faciunt hodie homines isti dicentes Christo : *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?*

imo eum arguere non verentur,

In eo autem quod Christus conversus ad turbas dixit : *Audite et intelligite: Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod exit ab ore, hoc coinquinat hominem,* adimpletur quod Isaias addit : *Nonne adhuc in modico et in brevi convertetur Libanus in Charmelum et Charmel in saltum reputabitur? Et audient in die illa surdi verba libri et de tenebris et caligine oculi caecorum videbunt. Et addent mites in Domino laetitiam, et pauperes homines in Sancto Israel exultabunt.*[31] Hoc autem idem cum illo est : *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius.*[32] Sic hodie Christus scribis et Pharisaeis aufert auditum et intellectum divinae legis et dat turbis, aufert Iudaeis et dat Gentibus. Sic modo luce clarius cernitur quod non Iudaei, sed Gentes divinae legis per Christum intelligentiam et obedientiam habent, et pauperibus Apostolis Christus declarat edisseritque parabolam,[33] aperit librum Iudaeis tum sapientibus tum insipientibus clausum. Ostendit quod omnia Antiquae Legis mandata de corporali purificatione et munditia spiritualiter intelligenda sunt, quod lavare debemus animas a peccatis, sicut Regius Vates

et propterea ablatum est ab eis regnum Dei et datum Gentibus.

Patet ergo legis mandata de corporali purificatione et sacrificiis spiritualiter intelligenda esse.

29) Mal 4, 2. 30) 29, 15-16. 31) Ibid. vrr. 17-19. Vulg.: *Libanus in Charmel*, etc.
32) Mt 21, 43. 33) Cf. ibid. 15, 15-20.

orat: *Asperges me*, Domine, *hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor;*[34] quod etiam sacrificia carnalia spiritualia designabant; *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.*[35] Ostendit quod omnes corporales caeremoniae Legis Antiquae abolendae erant, et spiritualiter tantum servandae in Ecclesia erant. Quod si ob hanc causam scandalizati sunt Iudaei, relinquendi sunt, quoniam non sunt amplius populus Dei, sed *synagoga satanae:*[36] *Sinite illos: caeci sunt et duces caecorum;*[37] *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur.*[38]

Septem praeclara documenta habemus in hodierno Evangelio:

IV. In[39] sacrosancto hodierno Evangelio Christus videtur esse aureum candelabrum iuxta mensam panum propositionis, quod septem lucernis divinum sanctuarium illuminabat;[40] narrat enim Matthaeus historiam hodierni Evangelii post magnum illud miraculum, quo Christus quinque panibus satiavit quinque millia hominum.[41] Haec est mensa panum propositionis. Hodie vero ad instar aurei candelabri septem lucernis, hoc est multis sapientiae suae luminibus, Christus sanctuarium Ecclesiae suae illuminat. Praecipue vero septem documenta habemus a Christo in hoc Evangelio, quae sunt magna septem lumina et veluti septem stellae ac septem aurea candelabra septemque lampades in templo Dei ardentes quas Ioannes vidit, et septem oculi Agni.[42]

a) Deo magis quam hominibus obediendum esse,

Primum est quod Deo oportet magis obedire quam hominibus, divinam legem servare quam humanas traditiones divinae legi contrarias. Secundum est quod magis tenetur homo ad

34) Ps 50, 9. *Domine* lect. cod. et Liturgia Ecclesiae. 35) Ibid. vr. 19. 36) Apc 2, 9; 3, 9. 37) Mt 15, 14. 38) Ibid. vr. 13. Quae sub sequentibus numeris continentur fragmentarii commentus sunt eiusdem Evangelii. 39) In margine haec adiecta fuerunt: « Voluit Dominus ut candelabrum septem luminibus lucernisque ardentibus illuminaret divinum sanctuarium, quo sciremus quod, sicut in loco valde illuminato, praesente domino, nihil mali facere possunt servi, quin videantur a domino, sic nihil potest fieri in domo Dei, in mundo, quin Deus ipse videat; nihil occultum quod non reveletur. Occultaverant scribae et Pharisaei impietatem et avaritiam suam sub manto pietatis et religionis divinae, quod Deus, qui Pater est spiritualis et aeternus, praeferendus est patri carnali et temporali, ideo parentibus deneganda erant etiam necessaria ad victum ut in templo offerrentur Patri coelesti. At Dominus detegit hodie impietatem: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*. Non enim praecepit Deus sacrificia et vota, sed pietatem erga parentes; nam Deus pius est et benignus et misericordiam pietatemque magis vult quam sacrificium. Sicut autem si quis furaretur ut regi munera deferret, rem utique ingratam faceret optimo regi, qui muneribus nec eget nec delectatur, sic, inquit, non licet parentibus auferre quae necessaria sunt ut offerantur Deo; talibus enim Deus nec eget nec delectatur ». 40) Cf. Ex 37, 23; Nm 8, 2-4. 41) Cf. 14, 15-21. 42) Cf. Apc 1, 12-20; 2, 1; 4, 5; 5, 6.

observantiam divinorum mandatorum quam ad observantiam votorum, quae sponte sunt facta; debitum enim illud prius est, hoc autem posterius; primum est: *Quare ... vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?* Secundum vero: *Nam Deus dixit: Honora patrem tuum et matrem tuam, et: Quicunque maledixerit patri vel matri morte moriatur. Vos autem dicitis: ... Munus,* sive *corban, quodcunque est ex me,* quod *tibi proderit, et non honorificabit patrem suum et matrem.* [43] At Christus hic dicit quod votum non praeiudicat divino praecepto, quoniam divina lex non est sibi contraria, nec vult ut gratia destruat naturam. Tertium est quod cultus externus absque interno hypocritius est et nullius meriti apud Deum: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem colunt me docentes doctrinas et mandata hominum.* Quartum documentum est quod non externae immunditiae hominem coram Deo coinquinant Deoque impollutum et ingratum faciunt, sed internae, vitia et peccata: *Audite et intelligite: Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ab ore, hoc coinquinat hominem.* [44] Quintum est quod non omnis scandali habenda est ratio, nam dicentibus Apostolis: *Scis quia Pharisaei, audito verbo hoc, scandalizati sunt?* respondit: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur. Sinite illos: caeci sunt et duces caecorum.* Sextum est quod mali [45] principes et praelati non regentes populos divinis legibus, sed humanis traditionibus, quae saepe divinis legibus contrariae sunt, et sibi et subditis causa sunt perditionis aeternae: *Caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.* [46] Septimum quod origo, radix et fons omnis iniquitatis est mala voluntas: *De corde enim exeunt malae cogitationes, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae. Haec sunt quae coinquinant hominem.* [46a] Sic septem hisce divinae sapientiae luminibus ac splendoribus *Sol iustitiae* Christus hodie Ecclesiam suam illuminat.

b) mandata Dei magis quam vota servanda,

c) cultum externum sine interno non valere,

d) interna vitia tantum hominem coinquinare,

e) scandalum pharisaicum nihili pendendum,

f) principes divinas leges spernentes causam esse perditionis,

g) malam voluntatem fontem esse omnis iniquitatis,

V. Nobis autem divina haec documenta paulo diligentius consideranda et declaranda sunt. Quod spectat ad primum, quod Deo magis

43) Mt 15, 3-6; Mc 7, 10-11. Vulg.: *Propter traditionem vestram?* 44) Mt 15, 10-11. Vulg.: *Procedit ex ore,* etc. 45) Ibid. vrr. 12-14. 46) Ibid. vr. 14. 46a) Ibid. vrr. 19-20. Vulg.: *Cogitationes malae,* etc.

Docetur primum Deo magis quam hominibus obediendum esse, et leges divinas quam humanas servandas.

obediendum est quam hominibus et divinae leges servandae magis sunt quam traditiones humanae, sic Petrus et Ioannes in magno Iudaeorum concilio dixerunt, cum prohiberentur eorum mandatis ne Christi fidem praedicarent : *Si*, inquiunt, *iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, iudicate;* [47] et postea omnes Apostoli in conspectu totius concilii similiter dixerunt : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* [48] Principes enim ministri Dei sunt; magis autem regi obediendum est quam ministris, quia ministris nonnisi ob eam, quae regi debetur, obedientiam obediendum est; at cum praecipiunt contra regem aut regias leges et voluntatem, parendum non est, quoniam tunc sunt potius rebelles quam ministri regis. Sic, inquit hodie Christus, nunquam propter humanas traditiones transgressione violandum est divinum mandatum. Lex igitur Dei debet semper esse nobis sicut aurea lamina, quam magnus sacerdos super caput gestabat; [49] divinae legis super omnia habenda est ratio.

Iugiter in divina Lege meditari oportet,

Iussit Deus in *Deuteronomio* ut mandata legis iugiter haberentur in corde, in ore, inter oculos et in manibus : *Erunt*, inquit, *verba . . . quae ego praecipio tibi . . . in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis et meditaberis . . . sedens in domo . . . et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine et ostiis domus tuae.* [50] Vult ut habeantur in corde ad credendum et meditandum, in ore ad loquendum, in manibus ad operandum, et in oculis ad videndum, ut sint tanquam conspicilia vel ocularia super oculos, ut nihil liceat corde desiderare aut cogitare, ore loqui, manibus operari et oculis videre, nisi quod lex divina permittit. Ocularia adiuvant visum iis qui parum vident, ut melius videant et longius. Oculi mentis nostrae propter originale peccatum nimia debilitate affecti, parum vident; non clare cognoscimus vitia et virtutes, bona et mala. Divina autem mandata adiuvant ad haec cognoscenda. Sic Regius Vates tanquam specillis utebatur mandatis divinae legis : *Tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis.* [51] Sicut autem quicunque ocularibus opus habet nil agit magni vel parvi momenti absque ocularibus, sic nos nil agere convenit sine lege Dei. Leges Dei sunt

haec enim vitia et virtutes cognoscere nos adiuvat.

47) Act 4, 19. 48) Ibid. 5, 29. 49) Cf. Ex 39, 29. 50) 6, 6-9. Vulg.: *Eruntque verba*, etc. 51) Ps 118, 6.

ocularia naturalia et clara, non colorata, viridia, rubea aut cuiusvis alterius coloris. Sunt etiam proportionata et iusta, non sicut ocularia illa quae res vel maiores vel minores ostendunt quam sint. Leges autem humanae, ut plurimum, sunt ocularia colorata et improportionata iniustaque et fallentia, quae videntes decipiunt, quales erant iudaicae traditiones, quas hodie Christus arguit. Non enim omnes traditiones humanas Christus hodie reprehendit, sed impias et iniustas; non omnes autem humanae leges iniustae et impiae sunt; multae sunt piae, iustae et sanctae.

Docet hodiernum Evangelium ad aeternam salutem requiri tum internam iustitiam, qua Deo placeamus,

VI. *Nam Deus dixit: Honora patrem tuum et matrem tuam, et: Qui maledixerit patri vel matri,* etc. Hodiernum Evangelium, fratres, hoc vel maxime docet, quod ad aeternam salutem consequendam non sufficit tantum politica civilisque iustitia et honestas, sed quod principaliter requiritur christiana iustitia, virtus et bonitas interna, quae nos in oculis Dei iustos bonosque efficiat; non solum observantia humanarum legum, sed principaliter divinarum; quod praeferendae sunt divinae leges humanis. Multo maior multoque ardentior zelus habendus est divinarum legum quam humanarum, ne dicatur nobis: *Quare... vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Nam *Deo obedire oportet magis quam hominibus,* regi quam pro-regi, Episcopo quam vicario. Duplex igitur iustitia et bonitas requiritur ad salutem: interna in oculis Dei, qua Deo placeamus, et externa moralis, qua hominibus lucis exempla praestemus; nam si externa tantum adsit et non interna, nihil nobis proderit. Qui enim externa tantum iustitia praediti sunt, tepidi sunt. Ait autem: *Utinam esses calidus aut frigidus! Sed quia tepidus es et neque calidus neque frigidus, incipiam te evomere ex ore meo.* [52]

tum externam, qua proximo lucis exempla monstremus;

sed externa iustitia sine interna hypocrititia est et in pessimo statu damnationis constituit.

O magnum salutis nostrae desiderium in divino pectore! Calidus est qui fidem et caritatem habens magno cum spiritus fervore divina mandata custodit; frigidus autem est qui, quamvis fidem habeat, mortuam tamen habet sine caritate, et vitiis deditus est, ita ut manifeste peccatorem se cognoscere possit; tepidus vero qui caritate et spiritus fervore destitutus exterius quidem operatur bona cum phari-

52) Apc 3, 15-16. Vulg.: *Utinam frigidus esses aut calidus!... et nec frigidus nec calidus,* etc.

saeo illo : *Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quae possideo;* [53] abstinet a peccatis manifestis : *Non sum sicut ceteri hominum: raptores, adulteri, iniusti;* [54] sed tamen interius spiritualibus vitiis plenus est : superbia, ambitione, vana gloria, ita ut peccator quidem sit in oculis Dei, sed non in oculis suis, peccatorem se minime agnoscat, sine qua cognitione resipiscere non potest ad poenitentiam. Hinc peiori in statu perditionis, longior a salute reperitur, sicut infirmus qui plagas habet intrinsecus latentes et extrinsecus sanus videtur. Ait autem huic tepido Christus : *Incipiam te evomere ex ore meo; quia dicis: Quod dives sum et locupletatus et nullius egeo; et nescis quia tu es miser et miserabilis et pauper et caecus et nudus. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias et vestimentis albis induaris.* [55]

Tales autem erant Pharisaei iustitiam externam ostendentes.

Tales erant scribae et Pharisaei: externa iustitia praediti coram hominibus, interna autem destituti coram Deo ; abstinebant a peccatis commissionis, sed peccatis omissionis implicabantur : *Transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram; nam Deus dixit: Honora patrem tuum et matrem,* etc. Iubet divina lex non tantum declinare a malo, sed etiam bonum facere, inquirere pacem et persequi eam. [56] Hi autem una tantum iustitiae parte contenti aliam despiciunt, personam larvamque iustitiae induunt, non iustitiam : *Speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes.* [57] Hinc a Christo appellantur *hypocritae,* [58] *sepulcra dealbata.* [59] Sunt instar adulterinarum monetarum, quae exterius verae monetae imaginem referunt, sed interius loco argenti aut auri stamnum habent vel aurichalcum ; lupi sunt sub ovina pelle, simiae sunt aurea veste indutae.

hinc a Christo appellantur *hypocritae* et *sepulcra dealbata,*

hypocritae enim nonnisi sunt simiae virtutis,

D i v u s G r e g o r i u s N y s s e n u s refert quod circulator quidam simiam habens, eam exercuerat et docuerat ad saltandum composite iuxta cantilenam et sonum, eamque induens saltatricis personam et habitum, ad spectaculum duxit. Cumque ad cantilenae modos illa quam apposite saltaret, ut rei novitate spectatores valde mirarentur, homo quidam ceteris astutior in terram proiecit coram simia cibos quibus illud animal maxime delectatur. Ut autem amygdala vidit simia aut nuces, nihil cunctata, saltationis oblita, ad ea

53) Lc 18, 12. 54) Ibid. vr. 11. Vulg.: *Iniusti, adulteri.* 55) Apc 3, 17-18.
56) Cf. Ps 33, 15; 1 Petr 3, 11. 57) 2 Tim 3, 5. Vulg.: *Habentes speciem quidem pietatis,* etc. 58) Cf. Mt 15, 7; 22, 18; 23, 14-29; Mc 7, 6; Lc 13, 15. 59) Cf. Mt 23, 27.

accurrit simiamque se esse ostendit, non saltatricem. [60] Sic hypocrita simia semper est, vulpis est sub agni imagine, daemon in Angelum lucis transfiguratus. [61] De his ait Dominus per O s e a m : *Ephraim . . . subcinericius panis, qui non reversatur; comederunt alieni robur eius, et ipse nescivit.* [62] Sicut enim panis subcinericius qui non reversatur, altera quidem parte coctus est, imo adustus, altera vero crudus, nihil coctus, sic hypocrita est scriba et pharisaeus. Requiritur utraque iustitiae pars, munditia externa et interna. Iussit Deus ut sacerdotes ad altare accedentes lavarent manus et pedes, [63] non tantum manus, sed etiam pedes ; Pharisaei de lotione manuum tantummodo solliciti sunt; lavare pedes calceamentis opertos nil curant. Sed manus apparentes et etiam non apparentes pedes lavare oportet, ut Deo placeamus. Iubet Deus lavari non corpus, sed animam. Hinc per I s a i a m ait : *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis . . . discite benefacere.* [64] Vitia enim et peccata immunditiae sunt quas Deus summopere abominatur et execratur : *Lava . . . a malitia cor tuum,* ait I e r e m i a s .

cum perfecta iustitia utranque munditiam requirat, internam et externam.

Sic docet hodie Christus quod immunditia cordis hominem inquinat immundumque reddit in oculis Dei : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* [65] R e g i u s V a t e s etiam ait declarans quisnam ascensurus sit in montem Domini et permansurus *in loco sancto eius: Innocens manibus,* inquit, *et mundo corde.* [66] En duplex puritas, externa et interna, manuum et cordis : *Innocens manibus et mundo corde.* Sic arca Domini intrinsecus et extrinsecus deaurata fuit. [67] R e g i u s V a t e s cor purum a Deo petit dicens : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* [68] De hoc ait : *Asperges me,* Domine, *hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor;* [69] *Amplius lava me ab iniquitate mea et a peccato meo munda me.* [70] Haec est Sanctorum et electorum Dei vita : puritas cordis, candor animi, unde oritur externa innocentia iustitiaque politica et civilis honestas. Externa autem virtus non vera virtus est, sed imago et larva virtutis. Haec instar maris est, specie placidi atque

Hoc est quod docuit Christus et etiam Regius Vates,

sola enim externa virtus larva tantum virtutis est.

60) *De Professione Christiana,* (P. G. 46, 239-242). 61) Cf. 2 Cor 11, 14. 62) 7, 8-9. 63) Cf. Ex 30, 19-21; 40, 29-30. 64) 1, 16-17. 65) Mt 5, 8. 66) Ps 23, 3-4. 67) Cf. Ex 25, 11; 37, 1. 68) Ps 50, 12. 69) Ibid. vr. 9. *Domine* lect. cod. et liturgiae Ecclesiae. 70) Ibid. vr. 4.

tranquilli, sed sub aquis scopuli latent et syrtes, ita ut facillime navigantes in eo pereant patianturque naufragium.

Ostendit Dominus multa mala fieri in mundo sub specie boni.

VII. *Quare ... vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Ostendit hic Dominus quod multa mala fiunt in mundo sub [71] specie boni. Sub specie enim religionis divinique cultus et honoris scribae et Pharisaei divinam transgrediebantur legem. Sic a principibus avidis et avaris multae fiunt leges iniustae et iniquae, sub specie tamen iustitiae et boni publici. Sic malum induitur pallio boni ad decipiendos homines, iniustitia induit personam iustitiae. Hoc autem vel maxime avaritia facit speciem induens prudentiae ac parsimoniae bonique utilis.

Severe iudicabuntur in die iudicii qui ob vanos usus mundi legem Dei transgressi fuerint,

Quare ... vos transgredimini mandatum Dei? Non responderunt scribae et Pharisaei ad hanc Christi interrogationem, non habentes quid responderent ei. Quid enim ad hoc responderi potest? Aut quid nos in die iudicii respondere poterimus, cum interrogabit Christus: Quare vos propter traditiones mundi ususque vanos transgressi estis legem Dei? Num honorabiliores sunt traditiones mundi quam leges Dei? Num honorabilius est servire mundo, qui *totus in maligno positus est,* [72] quam Deo sanctitatis fonti? Mundus plenus est vitiis; honor autem sine virtute esse non potest, nam virtus honore digna est, non vitium. [73] An non sunt utiliores mundi traditionibus leges Dei? Quaenam utilitas est in pompis et vanitatibus mundi? An pompae non evertunt domos et familias? Si faciliores reputas mundi traditiones legibus Dei maiorisque consolationis, fateor quod mundi vanitas dulce venenum est; sed an non statim peccatum sequitur scrupulus conscientiae et amaritudo animi? Tunc videbimus, tunc cognoscemus quam difficiliores fuerint traditiones mundi legibus Dei, ut Christus ait: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos et ... invenietis requiem animabus vestris; iugum enim meum suave est et onus meum leve.* [74] Populus serviens Pharaoni in Aegypto durissimum portabat iugum, [75] Deo autem serviens in deserto suavissimo manna alebatur, absque ullo labore pro victu et vestitu comparando. [76]

servitus enim Dei honorabilior est et suavior servitute mundi.

71) Ms.: *Super.* 72) 1 Io 5, 19. 73) Ms.: *Vitio.* 74) Mt 11, 28 sqq.
75) Cf. Ex 1, 1 sqq.; 5, 5 sqq. 76) Cf. ibid. 16, 14 sqq.

VIII. *Quare... transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Multa cum indignatione loqui videtur Dominus et quidem magna cum ratione, quoniam hi impiis traditionibus peccare faciebant populum. Sicut autem nihil est Deo gratius quam salus animarum, pro qua Unigenitum suum misit in mundum, [77] et gaudium magnum est in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, [78] sic nihil displicet quam animarum perditio. Quare odit quidem Deus peccatores, sed eos maxime qui alios ad peccatum et perditionem animarum pertrahunt, qui alios peccare faciunt. Hinc toties legimus de Ieroboam, qui in perniciem populi idola aurea erexit: *Ambulavit in viis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.* [79] Hoc saepe repetit Deus ad declarandum quod manebat alta mente repositum, quod tenacissime divinae insidebat menti. Sicut enim solent homines tenacissima memoria retinere [eos a] quibus maxime laesi sunt, sic utique Deus. Nil mirum ergo si cum indignatione loquitur Christus scribis, qui peccare faciebant populum; nam in lege iussit Deus ut falsi prophetae absque ulla miseratione occiderentur ac de medio tollerentur. [80]

Indignatus videtur Christus, quia Pharisaei ob impias traditiones peccare faciebant populum.

Deus enim eos maxime odit qui alios ad peccandum inducunt.

IX. *Nam Deus dixit: Honora patrem tuum et matrem tuam, et: Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur,* etc. [81] Hoc primum praeceptum est secundae tabulae, qua traduntur praecepta et regulae ad dirigendum hominem ut bene cum proximo vivat. In prima enim tabula dantur praecepta caritatis erga Deum, in secunda autem praecepta caritatis erga proximum. [82] In capite autem secundae tabulae hoc positum est, quoniam post Deum nil magis quam parentes diligere debemus. Sunt enim nobis imagines et simulacra Dei viva, quae divinam nobis ad vivum caritatem repraesentant.

Honor parentum primum praeceptum est secundae tabulae, quia post Deum eos supra omnes diligere debemus.

Nec tantum proponitur nobis praeceptum hoc, sed munitum valde promissionibus divinae misericordiae et minis divinae iustitiae et irae, ut ad servandum praeceptum hoc calcaribus spei et timoris acutissime pungamur et excitemur ad cursum. Proposuit haec quidem Deus statim in decalogi initio dicens: *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem... et faciens misericordiam in millibus his qui diligunt*

Ideo praeceptum hoc Deus promissionibus et minitationibus communivit.

77) Cf. Mt 18, 11; Lc 9, 56; Io 3, 17. 78) Cf. Lc 15, 7-10. 79) 3 Rg 15, 26. 30. 34; 16, 2. 19. 26. 31; 4 Rg 3, 3. 80) Cf. Dt 18, 20. 81) Mt 15, 4. Affert ex Ex 5, 16. 82) Cf. supra, hom. 1 huius Feriae, pag. 191, not. 22.

me et custodiunt mandata mea. [83] Videtis calcaria spei et timoris ! Sed specialiter hoc praeceptum his promissionibus communivit ac minitationibus. Primo, inquam, promissionibus, unde praeceptum hoc, inquit Apostolus, *primum in promissione;* [84] ait nanque : *Honora patrem tuum et matrem tuam ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, et longo vivas tempore.* [85] Magna promissio ! Sed additur etiam magna comminatio : *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Promissio vitae proponitur et comminatio mortis divinaeque maledictionis : *Ite, maledicti,* etc. [86]

Parentes diligendi sunt, quia imagines bonitatis Dei;

Deus dixit: Honora patrem tuum et matrem tuam. Includit hoc praeceptum primo quidem amorem quoniam parentes proximi sunt : *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* [87] imo sunt primi proximi : *Ordinavit* autem *in me caritatem.* [88] Hinc praeceptum hoc primum est secundae tabulae. Diligendus est proximus, quia homo imago Dei. Sic pater, nam est imago Dei ut creatoris et ut conservatoris, imago divinae providentiae et caritatis. Si enim Deus creator creditur, ita etiam pater necesse est ut credatur, quia nulla est evidens certitudo. Dicitur pater hebraice אָב, [89] ab amore, a desiderio. [90] Pater enim totus est amor, totus desiderium erga filium suum ; mater autem dicitur אֵם, quasi אִם, coniunctio, [91] quia animo, cogitatione, amore semper est cum filio, tota est amor.

ad hoc natura ipsa nos urget, Deus tamen interponit auctoritatem suam ad impietatem magis cohibendam.

Sic igitur redamandi sunt parentes, quia ipsi prius nos dilexerunt, amandi ob animi gratitudinem, nam toti sunt nostri : *Patrem tuum . . . matrem tuam;* totos sese dedunt filiis ad utilitatem filiorum. Cum autem naturae ius exigat ut parentes diligamus, Deus tamen interponit auctoritatem suam ; sciens quanta sit filiorum ingratitudo interponit suam auctoritatem ad impietatem cohibendam. Ioannes ait : *Qui . . . non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere ?* [92] Ita qui non diligit patrem suum quomodo potest diligere Deum ?

83) Ex 20, 5-6. Vulg.: *Fortis, zelotes... faciens misericordiam in millia... praecepta mea. Deus zelotes* ex hebraico. 84) Eph 6, 2. 85) Ex 20, 12; Dt 5, 16. Vulg.: *Dabit tibi. ut,* etc. 86) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti.* 87) Ibid. 19, 19; Lc 10, 27. 88) Ct 2, 4. 89) Ms.: אב, et infra: אם. 90) Ab אָהַב, quod est amare, diligere, desiderare. 91) Idest: *Cum.* 92) 1 Io 4, 20.

FERIA QUINTA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

I. Placet oculis lux, auribus sonus, gustui dulcedo, cordi laetitia; sed nil minus animae sanitas corporis, quae inaestimabilis thesaurus est, unde non minus qui gravi pressus est infirmitate sanitatem desiderat quam qui in tenebris est videre lucem, qui esurit comedere, bibere qui sitit et captivus in vinculis libertatem. Hinc medici, quoniam tanquam naturae ministri noverunt ipsam coadiuvare naturam ad sanitatem acquirendam, in magno semper pretio habiti sunt. Quoniam vero medicinae ars pietatis et caritatis officium est, hinc Christus appellari *medicus* voluit: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus,* [1] et hodie medici officium artemque exercere, dum ingreditur domum Simonis ad visitandam socrum ipsius febricitantem; nec tantum visitat, sed magno etiam miraculo sanat; nec solum hanc, sed etiam innumeros alios infirmos. Profecto mirabilis et divinus medicus Christus est.

Medicinae ars pietatis et caritatis officium est, ideo Christus *medicus* appellari voluit.

Surgens Iesus de synagoga introivit in domum Simonis; socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. [2]

II. Mirabilis medicus fuit Eliseus, cum divino miraculo Naaman syrum a lepra curavit; [3] similiter Isaias, cum ab incurabili et mortifera infirmitate divinitus sanavit Ezechiam regem apposita massa ficuum super ulcus; [4] sed ille fuit veluti physicus, hic autem tanquam chirurgus. Sed quanto Deus maior est homine, tanto Christus excellentior medicus extitit tum Eliseo tum Isaia, qui hodie tanquam

Ostenditur hodie Christus medicus omnium excellentissimus, quia Deus.

1) Mt 9, 12. 2) Pericope huius diei Lc 4, 38 sqq. Cf. Missale Rom.
3) Cf. 4 Rg 5, 9-14. 4) Cf. ibid. 20, 1-7; Is 38, 1 sqq.

physicus visitat curatque socrum Simonis a febribus et tanquam chirurgus propriis manibus curat innumeros : *Cum . . . sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens curabat eos.* [5]

Tria requiruntur in optimo medico: scientia, experientia et diligentia;

Ut medicus vere excellentissimus et optimus sit, tria vel maxime necessaria sunt : scientia, experientia et diligentia. Scientia omnium naturalium rerum, ut cognoscat morbos causasque morborum et quodnam remedium unicuique morbo curando opus sit ; secundo experientia, ut scientia ista non sit tantum speculativa, sed practica, optimo cum iudicio coniuncta, consideratis multis circumstantiis complexionis, aetatis, loci, temporis, qualitatis ipsius temporis, vitae consuetudine et aliis ; tertio magna diligentia, ut vigilanter attendat morbos causasque morborum cognoscere ; est enim scientia haec coniecturalis et veluti divinatoria, ideo diligentia opus est ut multa cum patientia, pietate et caritate curet infirmum.

Christi autem infinita est sicut scientia, experientia et caritas,

Divini autem huius nostri medici scientia infinita est : *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* [6] Dei. Qualis autem quantaque in eo scientia, talis et tanta in eo experientia est, non enim novit res naturasque rerum in universali, in genere vel in specie cognoscens omnes differentias ultimas et specificas quarumcunque rerum, sed etiam singularia omnia omnium specierum cognoscit ac individuales differentias quarumcunque rerum cognitione certissima et exactissima. Eius autem diligentia, caritas pietasque ineffabilis est.

Ideo optimus medicus est, qui solo verbo et tactu curabat omnes infirmitates corporales, et spirituales,

Hodiernum tamen sacrosanctum Evangelium ostendit Christum medicum non quidem dogmaticum et methodicum, sed empiricum, habentem remedia immediata et efficacissima ad sanandam quamcunque infirmitatem verbo tantum et tactu sacratissimarum manuum suarum : *Singulis manus imponens curabat eos.* O mirabilem medicum ! Curabat infirmos omnes ab omni infirmitate : *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt,* paralytici curantur, *mortui resurgunt.* [7] Et medicus Christus erat non tantum corporalium infirmitatum, sed etiam et maxime spiritualium : *Totum hominem sanum feci in sabbato.* [8] Hinc Matthaeus ait Christum miracula haec operatum esse, *ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam pro-*

5) Lc 4, 40. Vulg.: *Et ille singulis*, etc. 6) Col 2, 3. 7) Mt 11, 5.
8) Io 7, 23.

phetam: Ipse infirmitates nostras accepit et aegrotationes nostras portavit.[9] Ibi autem loquitur Divus Vates de Christi passione et morte pro peccatis nostris,[10] unde Petrus ad Isaiam alludens ait: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum... cuius livore sanati estis,*[11] quoniam Christus non tantum corporales, sed etiam et spirituales morbos curabat: *Singulis manus imponens curabat eos.* Curabat omnia genera malorum, quantumvis foeda, quantumvis contagiosa, quantumvis vehementia atque potentia.

Sunt enim quaedam infirmitates adeo foedae, ut ob putorem nimium nec amicissimi sustineant adesse; quaedam adeo contagiosae, ut facillime praesentes inficiant, uti pestilentiales febres; quaedam adeo potentes, ut omnem artem omnemque superent naturae virtutem. Christus autem nec foedissimas aversatur, nec contagiossimas metuit, nec a potentissimis superatur, sed omnes superat ac sanat tanquam potentissimus, integerrimus et optimus medicus.

quamvis foedissimas et potentissimas.

III. Nostri enim huius medici ostenditur hodie non tantum omnipotens virtus, qua etiam mortuos potuit resuscitare,[12] nedum infirmos curare, qua hodie innumeros infirmos curavit absque ullo medicamento naturali et humanae artis remedio, sed solo verbo et contactu sanctissimarum manuum, curando adeo perfecte, ut nec vestigium quidem morbi relinqueret – sic enim curavit socrum Simonis, mulierem vetulam, magnis febribus laborantem, curavit, inquam, uno temporis momento adeo perfecte et integre ac si nullo laborasset morbo, nam *statim surgens ministrabat illis,* –[13] non tantum, inquam, omnipotens haec Christi virtus languorum omnium sanatrix ostenditur, sed ipsius etiam humilitas, caritas, pietas et patientia.

Ostenditur hodie non tantum virtus Christi omnipotens, sanatrix omnium languorum,

Humilitas quidem, quoniam intravit in domum Simonis ad visitandum pauperculam mulierem, vetulam, infirmam, febricitantem. O summa Christi humilitas! Considera summam Christi excellentiam ac dignitatem et videbis infinitam eius humilitatem. Medicus enim Christus est non ab alio doctus, non eguit aphorismis Hippocratis Coi[14]

sed etiam ipsius *a*) humilitas

9) Mt 8, 17. 10) Cf. 53, 1 sqq. 11) 1 Petr 2, 24. 12) Cf. Mt 9, 18-25; Lc 7, 11-15; Io 11, 41-44. 13) Lc 4, 39. Vulg.: *Continuo surgens*, etc. 14) Hippocrates celeberrimus medicus (a. C. 356) ex insula Coo, *Sententiarum* librum scripsit quas Graeci *Aphorismos* vocant, et Galenus commentatus est. Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 13, cp. 25, col. 699; Ios. Perin *Onomast.*, sub nomine: *Hippocrates.*

aut cuiusvis alterius medici, sed per seipsum sapientissimus, tanquam verus Deus et homo deificatus, medicus virtute, excellentia et dignitate aequalis Deo; et tamen ingreditur ad curandum mulierem.

b) et caritas,

Deinde caritas inspicienda nostri huius medici est; ob solam enim caritatem medebatur absque ulla mercede aut spe praemii, et sic non unum aut alterum, sed omnes medebatur: *Singulis manus imponens curabat eos.* Erat Christi virtus ad sanandum infinita; non solum enim quotquot ille tangebat, sed etiam quotquot tangebant ipsum vel fimbriam vestimenti eius, salvi fiebant a quacunque detinebantur infirmitate.[15] O virtus admirabilis!

accepit enim omnes poenas peccati fideiussor pro nobis factus,

Caritas autem virtuti aequalis erat. Quis unquam medicus ea caritate praeditus reperiretur qui, si posset ab infirmo auferre omnem infirmitatem et languorem ac si infirmitas vestis quaedam esset, nec aliter posset curare infirmum, pro salute languentis vellet ipsum ea veste exuere et seipsum induere? Solus Christus id egit, solus ipse id potuit et voluit, virtute hac et caritate praeditus fuit: *Infirmitates nostras accepit et aegrotationes nostras portavit. Accepit* ac si vestes sordidae essent; nec tantum accepit, sed etiam *portavit,* hisce ipse se vestibus induit. Omnes infirmitates poenae sunt ob peccatum originale humano generi inflictae. Non dimittitur autem debitor, debito non soluto, nisi aliquis fideiussor debitum supra se solvendum accipiat. Ideo Christus hodie *singulis manus imponens curabat eos,* quia pro singulorum peccatis passurus ipse erat. Hinc ipse, qui solo verbo cuncta creaverat, hodie non solo verbo infirmos curat, sed etiam contactu sanctissimarum manuum, quia pro salute mundi sacratissimae humanitatis eius meritum et maxime passionis et Sanguinis eius requirebatur. Hinc hodie ante solis occasum unam tantum socrum Simonis a febre vexatam curat, sed post solis occasum innumeros, solis enim occasus in Divinis Scripturis significat Christi passionem et mortem;[16] post solis occasum curantur, quia merito passionis Christi curantur; et sicut in die unus tantum sol cernitur, nocte vero, post solis occasum, innumerae stellae spectantur in coelo, sic hodie Christus in die unum operatus miraculum fuit, sed in nocte innumera.

et passione ac morte sua solvit debitum nostrum.

15) Cf. Mt 9, 18; 14, 36; Lc 6, 19.

16) Ex eo quod Christus dicitur *Sol iustitiae,* Mal 4, 2, ut dicitur infra, pag. 242.

Advertendum autem quod, referente Marco, ad ianuam domus Simonis Christus sanavit innumeram hanc turbam ab omni languore, nec tantum languores curavit, sed etiam daemones a corporibus obsessis eiecit.[17] Domus autem Simonis Ecclesiam designat, ianua autem Baptismum; in Baptismo autem homo merito passionis et Sanguinis Christi curatur ab omni languore peccati et liberatur a daemonis potestate. Velle autem pro aliis pati et mori opus est maximae caritatis: *Maiorem* enim *caritatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*[18]

et ita ab omnibus infirmitatibus et a potestate diaboli nos liberavit;

Sicut in Christo infinita sapientia est, ita et infinita caritas. Sol sapientiae Christus est et ignis caritatis. Tanquam sapientissimus docuit medicinam: *Oportet me evangelizare... quia ad hoc missus sum. Et erat praedicans in synagogis Galilaeae.*[19] Doctrina evangelica sunt aphorismorum decreta divini huius protomedici, medicamenta vero sunt Sacramenta confecta ex proprio Sanguine. Bone Deus, quis unquam medicus ex proprio suarum venarum sanguine fecit medicamentum infirmo? Nec pater inventus unquam est qui pro filio talia pati voluerit. Haec Christi caritas.

c) sapientia, qua nobis contulit documenta salutis et medicamenta efficacia in Sacramentis;

Est etiam summa pietas, summa benignitas et clementia, tanquam matris in unicum filium morbo gravissimo laborantem, cum in aetate tenerrima est; in quo quidem infirmitas morbusque vehementissimus et mortifer est, ad quem expellendum potentissima amarissimaque opus est potione; sed haec ipsa puerulum procul dubio occidet, unde remedium aliud non est nisi ut mater ipsa, quae filium lactat, sumat amaram illam potionem, puerulus vero sugat lactem affectum potenti virtute illius medicinae. Sic, inquam, nos quidem carne infirmi vehementissimo peccati morbo affecti eramus, peccati autem medicina poenitentia est. Sed medicinam potentiorem morbo necesse est esse ut vim superet morbi; peccati autem vis et malignitas infinita est, quoniam crimen est laesae maiestatis divinae. Quare maximam hanc infinitamque vim morbi huius nulla poterat poenitentiae virtus superare, unde nec poena inferni superat vim huius morbi, quamvis maxima sit et infinita.

d) infinita pietas, pessimum enim peccati morbum nulla poenitentiae virtus sanare poterat,

17) Cf. 1, 32-34. 18) Io 15, 13. Affert ex Breviario Rom. Commune Apost., 2 antiph. in 1 Vesp. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem nemo*, etc. 19) Lc 4, 43 sqq. Vulg.: *Quia ideo missus sum*, etc.

Venit igitur Christus et pro salute nostra ipse sumpsit amarissimam hanc potionem; ob id enim Christi passio *calix* dicta est[20] et calix amarus adeo ut, cum Christus bibiturus hunc calicem fuit, *coepit pavere et taedere,*[21] *contristari et moestus esse;*[22] *Tristis est anima mea usque ad mortem;*[23] *Factus in agonia prolixius orabat; et factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.*[24] Sumpsit tamen bibitque Christus amarissimam hanc potionem, ut nos virtutem eius in dulci lacte accipientes sugendo eius ubera, facillime et dulciter suaviterque omnes sanaremur. Christi autem ubera Sacramenta sunt gratiae, de quibus dicitur: *Meliora sunt ubera tua vino.*[25] O pietas, o pietas infinita!

sed sola amarissima Christi passio;

Sed quid dicam de eius patientia? Qualis quantaque pro nobis, pro salute nostra passus est medicus iste piissimus ab infirmis phreneticis, praeter labores et fatigationes in itineribus, in praedicationibus, in orationibus; tandem quot passus est persecutiones, calumnias, iniurias generaque malorum! Et haec quidem non coacte, non vi, sed sponte, voluntarie, libere: *Oblatus est quia ipse voluit.*[26] In sacrosancto hodierno Evangelio legimus quod egressus de synagoga intravit in domum Simonis, pauperem domunculam: pati voluit pro nobis paupertatem extremam; quod impositis manibus curabat, idest quod accepit infirmitates nostras et portavit aegrotationes nostras; quod *ibat in desertum locum* et orabat;[27] quod evangelizabat regnum Dei: *Et erat praedicans in synagogis Galilaeae.*

e) patientia, dum non vi sed sponte tot genera passionum pro salute nostra passus est.

IV. Et ad curandam socrum Simonis, non unum tantum fecisse Dominum legimus, sed multa. Nam egressus fuit de synagoga, in qua eiecerat daemonium ab homine obsesso,[28] intravit in domum Simonis et invenit socrum ipsius quae magnis febribus tenebatur: *Vidit socrum eius... febricitantem,* inquit M a t t h a e u s;[29] *Et accedens,* inquit M a r c u s;[30] *Stans super illam,* inquit L u c a s;[31] *Imperavit febri,* inquit idem;[32] *Tetigit manum eius,* inquit M a t t h a e u s;[33] *Elevavit eam, apprehensa manu eius,* inquit M a r c u s.[34] Multa sunt haec: exivit, intravit, vidit, accessit, stetit, imperavit, tetigit,

Socrum Petri curando multa Christus operatus est,

20) Cf. Mt 10, 22-23; 26, 39-42; Io 18, 11. 21) Mc 14, 33. 22) Mt 26, 37.
23) Ibid. vr. 38; Mc 14, 34. 24) Lc 22, 43-44. 25) Ct 1, 1. 26) Is 53, 7.
27) Lc 4, 42. 28) Cf. ibid. vrr. 33-35. 29) 8, 14. 30) 1, 31. 31) 4, 39.
32) Ibid. 33) 8, 15. 34) 1, 31.

apprehendit, levavit ac sic tandem sanavit eam. *Exivi a Patre et veni in mundum*,[35] exivit de coelo, unde Luciferum eiecit, et venit in terram, ubi humana natura peccatorum febribus aestuabat; vidit propriis oculis per assumptam humanitatem omnia mundi vitia et peccata, quoniam: *Mundus totus in maligno positus est;*[36] *Omne quod est in mundo est concupiscentia carnis*, etc.;[37] accessit conversando cum peccatoribus et publicanis;[38] stetit super illam, idest iuxta illam, sanctissime semper conversando; *imperavit*, sive *increpavit febrem*, sic enim graece est,[39] praedicando et reprehendendo vitia; tetigit manum miracula faciendo, apprehendit manum gratiam et virtutem conferendo; levavit eam a lecto peccati et vitii iustificando et sanctificando.

quae mystice significant quanta pro salute animarum egit

Sic ad iustificandam quamvis animam Christus haec operatur. Egreditur in spiritu de coelesti synagoga, intrat in cor per occultam internamque inspirationem; videt dum manifestat et cognoscere facit peccatum; accedit excitans per gratiam praevenientem salutis desiderium mentem magis magisque illuminando; stat super eam offerendo misericordiam; increpat febrem reprehendendo peccatum per conscientiae remorsum; tangit manum sive pulsum per dolorem peccati ac per veram contritionem, ac sic apprehendit manum conferendo gratiam et virtutem ad bene operandum, et tandem levat eam iustificando et sanctificando. Sic anima iustificata et sanctificata continuo surgit ad ministrandum Christo. O utinam, fratres, cognosceremus nos divinam virtutem coelestis medici Christi!

et quanta ipse operatur ad iustificandam et sanctificandam animam.

V. Sacrosanctum hodiernum Evangelium ait quod, cum Christus multa miracula operatus fuisset curando innumeros infirmos a languoribus omnibus, *egressus* abiit *in desertum locum*. Sed *turbae*, inquit, *requirebant eum* et venerunt usque ad ipsum et *detinebant eum ne discederet ab eis*.[40] Inquirunt Christum, requisitum inveniunt, inventum detinere cupiunt. Sic in *Canticis* introducitur sponsa quaerens summa cum diligentia sponsum, quem cum invenisset, ait: *Inveni quem diligit anima mea, tenui illum, nec dimittam, donec introducam*

Infinita bonitas Christi omnibus desideriis nostris satisfacere potest et vult,

35) Io 16, 28. 36) 1 Io 5, 19. 37) Ibid. 2, 16. Vulg.: *Concupiscentia carnis est.*
38) Cf. Mt 9, 11; 11, 19; Mc 2, 15-16; Lc 7, 34; 15, 1-2. 39) Ἐπετίμησεν τῷ πυρετῷ.
40) Lc 4, 42. Vulg.: *Detinebant illum*, etc.

illum in domum matris meae et in cubiculum genitricis meae. [41] Sic mercator quaerens pretiosam margaritam invenit, inventam autem datis omnibus suis comparavit, [42] ut perpetuo possideret eam.

dummodo gratiae quas petimus salutares nobis sint;

Sed cur sponsa tantopere desideravit domi apud se detinere sponsum? Quia *guttur eius suavissimum et totus* ipse *desiderabilis;* [43] Veritas Hebraica habet: *Guttur eius dulcedines et totus ipse desideria.* Quid est *guttur eius dulcedines et totus ... desideria?* Si quis a principe gratiam aliquam desideratissimam petat concedatque princeps optatam gratiam dicens: Fiat tibi sicut vis, tunc guttur principis suave est et labia eius sunt veluti favus distillans dulcissimum mel. Guttur Christi dicitur *dulcedines*, quia omnem quam cupimus et petimus gratiam concedit, modo nobis sit salutaris; quamvis aliquando differat optatam gratiam concedere, sicut chananaeae, sed tandem dixit: *O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis.* [44] Ecce *guttur ... suavissimum et totus ipse desideria*, hoc est: quicquid desiderari potest reperitur in eo, ipse est bonum omne desiderabile. [45]

liberat enim ab omnibus malis internis et externis

Duo sunt quae suapte natura cor nostrum desiderat: liberari a malis quibus affligitur et frui bonis desiderabilibus. Teste autem sacrosancto hodierno Evangelio, Christus utrunque desiderium explet. Liberat ab omnibus malis: tenebatur socrus Simonis *magnis febribus*, uno momento Christus liberat eam ab omnibus febribus; adhuc: *Omnes*, inquit, *qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos* ad Iesum, *et ipse singulis manus imponens curabat eos:* curat omnes infirmos et ab omnibus infirmitatibus. Quoniam vero mala aliquando interna sunt, animi cruciatus passionesque intollerabiles – sed Christus etiam daemones et malos spiritus ab hominibus eicit et profligat, – sic ab omnibus nos liberare potest malis quibuscunque, sive corporalibus sive spiritualibus, externis et internis.

et omnia bona desiderabilia concedit,

Quod vero spectat ad desiderabilia bona, audite quid dicat: *Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei.* [46] Quid est *evangelizare regnum Dei?* Offerre regnum Dei, hoc est infinitos, aeternos

41) 3, 4. Vulg.: *Tenui eum*, etc. 42) Cf. Mt 13, 45-46. Ms.: *Eam* adicitur. 43) Ct 5, 16. Vulg.: *Guttur illius*, etc. 44) Mt 15, 28. 45) In margine haec adiecta fuerunt: « Principis guttur amarum solet ut plurimum esse; quod si quando dulce est, erit dulcedo, non dulcedines; primam quidem gratiam forte concedet et alteram. At Christi guttur est *dulcedines*, quia omnem quam petimus concedit gratiam, modo sit nobis salutaris: petierunt hodie sanitatem febricitantis et concessit, nec tantum eis, sed omnibus infirmis. Deinde princeps potest satisfacere nonnullis desideriis, at Christus omnibus desideriis, hinc *totus. .. desideria* ». 46) Lc 4, 43.

thesauros divitiarum, dignitatum et voluptatum coelestium, infinitos thesauros omnium bonorum. Bone Deus, qualis non medicus Christus est potens eripere hominem ab omnibus malis et donare eum omnibus bonis Dei! *Regnum* enim *Dei* thesaurum significat omnium bonorum Dei. Medicus quidem potest infirmum a morbis et plagis corporis liberare, non mortuum suscitare, non ex paupere divitem facere, ex ignobili nobilem, ex misero beatum. Christus autem omnia potest; facit enim hominem ex mortuo vivum, ex infirmo sanum, ex paupere divitem, ex ignobili nobilem, ex misero beatum, cum eum regni Dei heredem ac perpetuum possessorem constituit.

ipsos quoque mortuos spirituales suscitare potest et heredes regni Dei constituere.

VI. O si nos Christum sic cognosceremus, sicut sponsa cognovit, cui tribuit aureum caput, aureos pedes, aureas manus, nec tantum aureas, sed etiam ornatas lapidibus pretiosis, sicut et universum corpus eburneum ei tribuit gemmisque ornatum,[47] – hoc est *totus ipse desideria*, in eo sunt omnia desiderabilia, – profecto quaereremus eum inventumque teneremus nec dimitteremus eum! Sic enim turbae hodie quaesierunt Christum cumque invenissent eum, *detinebant... ne discederet ab eis*. Tria faciunt: requirunt eum, veniunt ad eum et detinent eum ne discedat ab eis. Quaerunt Christum incipientes, veniunt ad eum proficientes, detinent autem ac possident Christum perfecti. Sed requirebant turbae Christum, quoniam expertae fuerant virtutem Christi et quoniam desiderabant propriam salutem. Quod si nos Christum minime quaerimus, signum est quod salutem nostram minime desideramus Christique virtutem minime experti sumus; si spirituales consolationes experti essemus in domo Simonis, quaereremus Christum auctorem omnium bonorum.

Christus ergo nobis cognoscendus est,

quaerendus et inventus detinendus cum vero desiderio nostrae salutis.

Experiuntur autem servi Dei spiritales consolationes in domo Simonis, dum in tribulationibus suis ad Deum currunt; experiuntur in confessione peccatorum suorum, qua remorsibus conscientiae animus liberatus et consolatus abit; experiuntur in sacra communione, dum sumunt sacramentum Corporis Christi et coelesti pane suavissimo reficiuntur; experiuntur in meditatione et contemplatione divinorum mysteriorum, ubi pascitur anima.

Multae sunt consolationes Christum quaerentium et invenientium.

Hodie, postquam Christus unam sanavit socrum Simonis, hoc

47) Cf. Ct 5, 10-15.

qui ideo alios etiam ad eum ducere satagunt.

viso miraculo et habita hac experientia virtutis Christi, *omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos* ad Iesum et sic Christus innumeros infirmos curavit; sic una samaritana a Christo iustificata, cum virtutem Christi fuisset experta, multos convertit ad Christum.[48] Quod si non videmus hodie peccatorum conversionem, curationem infirmorum, signum est quod vix reperitur unus qui vere expertus sit Christi virtutem. Paulus enim, unus homo expertus virtutem Christi innumeros homines convertit ad Christum.

Pauci a Christo curantur ab infirmitatibus spiritualibus,

VII. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Antequam Christus intraret in domum Simonis, *tenebatur* mulier vetula *magnis febribus;* sed postquam intravit Christus, sanata est, quoniam rogatus Christus pro ea curavit eam.[49] Nunc autem, bone Deus, quidnam est hoc? Praesente Christo: *Ecce ego vobiscum sum... usque ad consummationem saeculi;*[50] *Ubi... fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,*[51] praesentibus multis precatoribus, multis sacerdotibus, qui pro salute animarum rogant in divinis officiis et Missis, adhuc mulier ista tenetur *magnis febribus?* Tunc quidem rogatus Christus curavit, nunc autem minime? Et quidem tunc rogatus fuit, non quidem a febricitante muliere, sed ab aliis qui domi erant. Nunc autem in Ecclesia orant non tantum sacerdotes, sed etiam populus, qui ob peccata designatur per mulierem, quae *magnis febribus tenebatur;* magnae enim febres sunt carnalis libido, avaritia et ambitio. Rogatur igitur Christus et a sanis et ab infirmis, et non curat? In domo Simonis tunc curavit universos a *variis languoribus,* nunc autem vix reperitur qui curetur. At si petimus, non accipimus eo quod male petamus.[52]

quia etsi multum rogetur,

Curavit Christus febricitantem mulierem, quia *rogaverunt* eum, sed rogaverunt bene et qui digni erant, rogaverunt Apostoli qui, relictis omnibus, sequebantur Christum,[53] rogaverunt ex caritate. Nunc autem o quam pauci sunt qui ex caritate rogent! Multi rogant quidem, sed propter beneficia, propter temporalia lucra. Nunc enim qui *episcopatum desiderat,* non *bonum opus,* sed bonas opes *desiderat.*[54] Sic propter lucra quaeruntur sacerdotia. Vix igitur reperitur qui ex ca-

non tamen bene rogatur.

48) Cf. Io 4, 7-42. 49) Cf. Lc 4, 38. 50) Mt 28, 20. 51) Ibid. 18, 20. Vulg.: *Ubi... sunt duo,* etc. 52) Cf. Iac 4, 3. 53) Cf. Mt 19, 27. 54) 1 Tim 3, 1.

ritate oret. Non adsunt qui *rogaverunt illum pro ea.* Hinc divina officia, Horae Canonicae Missaeque, ut plurimum et communiter, ab omnibus fere satis superque indevote et male dicuntur, adeo ut de nobis vere dici possit : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* [55]

II. ALIA HOMILIA

Surgens Iesus de synagoga introivit in domum Simonis ; socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. [1]

I. Videmus hodie arcam foederis Domini relinquentem tabernaculum Moysi et intrantem in templum Salomonis, [2] siquidem tabernaculum illud designabat synagogam, templum illud Ecclesiam, arca vero foederis Domini ipsum Christum. *Surgens Iesus*, ecce arca, *de synagoga*, ecce tabernaculum Moysi, *introivit in domum Simonis*, ecce templum Salomonis. Arca illa cum divino propitiatorio Christum hominem Deumque designabat. Mansit arca in tabernaculo Moysi : *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat;* [3] *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes.* [4] Hos deos iudicabat in synagoga Christus arguens Iudaeos : *Usquequo iudicatis iniquitatem et faciem peccatorum sumitis ? Iudicate egeno et pupillo, humilem et pauperem iustificate;* [5] *Facite iudicium et iustitiam,* [6] declinate a malo, facite bonum. [7] Sed *nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant*, ideo *movebuntur omnia fundamenta terrae,* [8] synagoga ipsa subvertetur, nam ait : *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes; vos autem sicut homines, sicut Adam, moriemini et sicut unus de principibus*, sicut unus, sive primus principum, idest Lucifer, *cadetis.* [9] Peccatum Iudaeorum poenamque similem dicit peccato et poenae Adami et Luciferi. Peccavit enim Lucifer ex superbia nolens Christum adorare iuxta praeceptum divinum : *Adorent eum omnes Angeli Dei;* [10] Adam vero divinum trans-

Ostenditur hodie mysterium reprobationis Iudaeorum

ob eorum superbiam et avaritiam,

55) Is 29, 13. Ex Translat. Septuaginta; Mt 15, 8; Mc 7, 6.

1) Lc 4, 38. 2) Cf. 3 Rg 8, 3-6. 3) Ps 81, 1. 4) Ibid. vr. 6. 5) Ibid. vrr. 2-3. 6) Ier 22, 3. 7) Cf. Ps 33, 15; 36, 27; 1 Petr 3, 11. 8) Ps 81 (hebr. 82), 5. 9) Ibid. vr. 7. 10) Ps 96, 7. Affert ex Hebr 1, 6. Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 63, a. 2-3, 7; Suarez *De Angelis*, lib. 7, cp. 13, pag. 599-606.

et electionis Ecclesiae Gentium.

grediendo mandatum. Sic ex superbia et avaritia Iudaei in Christum credere noluerunt, propterea sicut Lucifer de coelo [11] et homo de paradiso, [12] sic Iudaei de terra promissionis eiecti sunt, in perpetuum reprobati. Hinc tandem ait: *Surge, Deus, iudica terram, quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus.* [13] O Deus, qui stetisti in synagoga, *surge*, egredere: ecce *surgens Iesus de synagoga; hereditabis in omnibus gentibus:* ecce *introivit in domum Simonis*, in Ecclesiam Gentium.

multis febribus idololatriae detentae, sed Apostolorum praedicatione et oratione sanatae,

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Romana Ecclesia sponsa Simonis est; mater autem huius sponsae ipsa gentilitas omnium vitiorum febribus detenta, *tenebatur magnis febribus* idololatriae dedita ac cultui daemonum summa cum superstitione. Vidit hanc Christus sic febricitantem in Apostolis ac discipulis suis, quos per universum mundum misit praedicare Evangelium: [14] *Et rogaverunt illum pro ea.* [15] Continuis orationibus Apostoli et discipuli Christi ipsum pro salute Gentium rogabant, unde: *Stans super eam imperavit febri, et dimisit eam; et continuo surgens ministrabat illis.* [16] Bone Deus, qualis quantaeque efficaciae est ad salvandas animas divini verbi praedicatio cum oratione coniuncta! *Nos autem orationi et verbi ministerio instantes erimus.* [17] Sic enim universa gentilitas, relicto daemonum cultu, ad Christum conversa est.

quia per fidem ab omnibus vitiis et ab ipso quoque daemonio liberata fuit.

Socrus... Simonis tenebatur magnis febribus. Omne vitium pestilentialis febris est animae; gentilitas autem omnibus vitiis tenebatur et in summo gradu, *magnis* igitur *febribus tenebatur;* nec tantum magnis febribus avaritiae, luxuriae et ambitionis aliorumque vitiorum tenebatur, sed etiam male a daemonio vexabatur. [18] Hinc Christus hodie in domo Simonis non tantum infirmos curat, sed etiam daemonia eicit: *Exibant autem daemonia a multis clamantia et dicentia: Quia tu es Filius Dei.* [19] Daemon autem mundum obsidens caecum, surdum et mutum eum effecerat. [20]

II. Ad curandam autem hanc socrum Simonis, idest Gentium multitudinem infidelem et peccatricem ad fidem et gratiam Dei reducendam, quid egit Christus? In sacrosancto hodierno Evangelio haec

11) Cf. Is 14, 12-15; 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 12) Cf. Gn 3, 6 sqq. 13) Ps 81, 8. 14) Cf. Mt 28, 19; Mc 16, 15. 15) Lc 4, 38. 16) Ibid. vr. 39. Vulg.: *Stans super illam... dimisit illam*, etc. 17) Act 6, 4. Vulg.: *Ministerio verbi*, etc. 18) Cf. Mt 15, 22. 19) Lc 4, 41. 20) Cf. Mt 12, 22; Lc 11, 14.

Quae Christus hodie egit ostendunt misericordiam Dei in vocatione Gentium et iustitiam in reprobatione synagogae,

legimus ipsum egisse : *Egressus* est *de synagoga*, intravit *in domum Simonis*, stetit supra febricitantem, *imperavit febri*, sive *increpavit febrim*, [21] increpavit daemonia non sinens ea loqui, imponebat manus super infirmos, *curabat eos*, *egressus* est *in desertum locum*, praedicabat *in synagogis Galilaeae*, evangelizans regnum Dei. [22] Decem sunt Christi opera veluti psalterium decem chordarum, quo Deus laudandus est in *psalmis, hymnis et canticis spiritualibus.* [23] *Egressus* est *de synagoga*, abstulit regnum Dei Iudaeis ; intravit *in domum Simonis*, elegit Gentes eisque dedit regnum Dei. Illud est opus iustitiae, istud misericordiae. [24] Stetit supra, idest iuxta febricitantem, voluit cum peccatoribus conversari dicens quod : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* [25] Increpavit febrim arguendo peccata ac etiam dimittendo ea : *Dimittuntur tibi peccata* tua, [26] dixit Magdalenae, quae in spiritu *magnis febribus tenebatur;* et dimissa sunt *ei peccata multa.* [27]

figurant etiam institutionem Sacramentorum ad remittenda peccata et conferendam gratiam.

Imponebat manus super infirmos operando miracula, curabat eos instituendo Sacramenta in remissionem peccatorum ad gratiam iustificantem et sanctificantem conferendam. Increpavit daemonia destruendo idololatriam, eiciendo principem huius mundi foras ; [28] non sinit ea loqui, iam defecerunt oracula, obmutuerunt daemones. *Egressus* est *in desertum locum*, passus extra Ierusalem : *Posuit* enim *in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum*, [29] et : *Vulneratus est propter iniquitates nostras, afflictus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostrae super eum.* [30] Praedicavit etiam Evangelium : *Evangelizans regnum Dei; Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* [31] Sic socrus Simonis, quae *magnis febribus tenebatur*, curata est, adeo ut *continuo surgens* ministraret illis ; universa gentilitas ad Christi fidem conversa, a vitiis omnibus per Christi gratiam expurgata, facta est Christi serva et ministra.

Per sabbatum, in quo Christus tot mirabilia operatus est,

Sabbato Christus in domo Simonis contulit innumerabilibus infirmis beneficium perfectae sanitatis, quia ubi deficit natura, ibi incipit gratia. [31a] Si quis palatium aedificaret tribus solariis distinctum, pro-

21) Ex graeco. Cf. supra, not. 39 praec. hom., pag. 235. 22) Cf. Lc 4, 38 sqq. 23) Col 3, 16.
24) Ms.: *Illud est opus misericordiae, istud iustitiae.* Evidens est transpositio vocum.
25) Mt 9, 12. 26) Lc 7, 48. Vulg.: *Remittuntur tibi*, etc. *Tua* lect. cod. 27) Ibid. vr. 47. 28) Cf. Io 12, 31. 29) Is 53, 6. Vulg.: *Posuit Dominus in eo*, etc.
30) Ibid. vr. 5. Vulg.: *Attritus est propter scelera*, etc. 31) Mt 4, 17. 31a) Axioma theologicum, significans donum gratiae excedere omnem facultatem naturae creatae. Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1a 2ae, q. 112, a. 1. 4.

figuratur regnum gratiae, in quo natura reparata fuit et Ecclesia instituta.

fecto ubi terminatur primum interstitium, ibi incipit secundum, quod est superius. Arca Noe tribus erat interstitiis distincta, [32] sic et Moysi tabernaculum [33] et templum Salomonis, [34] ab atrio enim ascendebatur ad sancta et a sancta ad sancta sanctorum, quoniam tria sunt opera Dei extra se: natura, gratia et gloria. In creaturis extra se Deus tripliciter habitat: per naturam in mundo, per gratiam in Ecclesia, per gloriam in paradiso. Natura est inferior gratia, supra enim naturam est gratia, gloria autem supra gratiam, sicut coelum supra terram et empyreum supra coelum. Opus autem naturae sabbato completum fuit, [35] ideo Christus in sabbato incepit opus gratiae eiciendo daemonia et curando infirmitates, reparando naturam humanam, creando sacrum ac mysticum mundum Ecclesiae.

Post occasum solis ea Christus operatus est ad significandam passionem suam.

Sanat autem Christus infirmos innumeros post solis occasum, [36] ut ostenderet quod merito passionis suae conferebat mundo sanitatem, Christus enim est *Sol iustitiae.* [37] Si tenebrae essent mundi infirmitas, sol esset medicus mundi optimus et excellentissimus; per seipsum enim sola praesentia universum mundum curaret. Sic Christus est medicus. Voluit Deus ut magnus sacerdos medicus esset leprae curandae; [38] sed Christus est qui *sempiternum habet sacerdotium.* [39] Moyses sanavit aquas amarissimas Mara dulcissimasque effecit; [40] Eliseus curavit pessimas aquas Iericho. [41] Sed aquae multae populi multi. [42] Christus medicus est sanans omnes aquas virtute crucis suae, quae per lignum Moysi designatur, et virtute suorum Sacramentorum, quae designantur per novum vas sale plenum ab Eliseo positum in aquis Iericho ad curandas eas. Sacramenta enim plena sunt gratia Spiritus Sancti quae iustificat impium.

Sicut arca Philisthaeos et Bethsamitas percussit, Israeli autem causa salutis fuit,

III. Mirabile dictu est quod arca foederis Domini, quae Christum praefigurabat, capta a Philisthaeis percutiebat et occidebat eos, non sanabat; nec tantum Philisthaeorum multos occidit, sed etiam Hebraeorum, multa millia Bethsamitarum, usquequo venit in Cariathiarim et introducta fuit in domum Abinadab. [43] Tunc coepit esse

32) Cf. Gn 6, 16. 33) Cf. Ex 22, 13-14; 36, 14; Hebr 9, 2-5. 34) Cf. 3 Rg 6, 8. 35) Cf. Gn 2, 1-3. 36) Cf. Lc 4, 40. 37) Mal 4, 2. 38) Cf. Lv 13, 1 sqq. 39) Hebr 7, 24. 40) Cf. Ex 15, 23-25. 41) Cf. 4 Rg 2, 19-22. 42) Proverbium, de quo cf. part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 212, not. 64. 43) Cf. 1 Rg 5, 6-7, 1.

causa salutis, nam tunc, inquit, *requievit omnis... Israel post Dominum,* [44] idest dimisso idolorum cultu Dominum Deum suum adoravit eique soli servivit: [45] ecce sanitas animarum. Sic hodie arca haec sacrosancta Dei percutit Philisthaeos, dum eicit daemonia, percutit etiam Hebraeos, dum relinquit synagogam, sicut per Ieremiam ait: *Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam.* [46] Sic arca reliquit civitatem Bethsames, quod est domus solis, et venit [in] cicitatem Cariathiarim, quod est civitas silvarum. Synagoga erat domus solis, gentilitas autem civitas silvarum; sed arca ibi percussit, hic autem sanavit, divina enim virtute praedita erat, quoniam Dei habitaculum erat thesaurusque divinae potentiae, sapientiae et bonitatis. Sic Christus; in eo enim *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,* [47] *in quo* et reconditi *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* [48] Dei, qui Dei virtus est Deique sapientia, [49] *splendor gloriae* [50] et figura bonitatis divinae, [51] idest perfecta Dei imago naturalis et connaturalis, coaeterna, coaequalis et consubstantialis ipsimet Deo. Hinc potuit, scivit et voluit curare infirmitates nostras. Transit autem sacrosancta haec arca Dei hodie a regione Philisthaeorum, ubi in terram prostraverat Dagon, [52] in terram Israel. Sic transit a synagoga, ubi daemonium eiecerat, in Ecclesiam Petri; transit a deserto, post Moysi mortem, [53] in terram promissionis.

sic Christus daemonia percussit ea eiciendo, Iudaeos quoque synagogam relinquendo,

sed salvavit gentilitatem Ecclesiam instituendo.

IV. *Surgens Iesus de synagoga introivit in domum Simonis; socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Duo praecipue miracula operatus est hodie Christus: alterum quidem in synagoga Iudaeorum, alterum vero in domo Simonis; ibi exercuit potentiam suam contra diabolum, hic bonitatem suam erga hominem; imo, quid dico? ibi unum tantum operatus miraculum fuit, hic vero innumera, sicut in tabernaculo Moysi erat unum tantum candelabrum, [54] sed in templo Salomonis decem, [55] et ibi una tantum mensa panum propositionis, [56] hic vero decem. [57] Candelabra et lucernae accensae deserviunt ad pellendas nocturnas tenebras; panis vero ad pellendam famem et

Christus in mundum venit ad eiciendum daemonem

44) Ibid. 7, 2. 45) Cf. Dt 6, 13; Mt 4, 10; Lc 4, 8. 46) 12, 7. 47) Col 2, 9.
48) Ibid. vr. 3. 49) Cf. 1 Cor 1, 24. 50) Hebr 1, 3. 51) Cf. Sap 7, 26.
52) Cf. 1 Rg 5, 2-5. 53) Cf. Dt 34, 5. 54) Cf. Ex 26, 35; 40, 4. 22.
55) Cf. 3 Rg 7, 49; 2 Par 4, 7. 56) Cf. Ex 25, 23; 40, 20. 57) Cf. 2 Par 4, 8.

et dandam hominibus vitam aeternam.

sustentandam vitam humanam. Ad haec duo facienda venit Christus : ad eiciendum de mundo principem tenebrarum et ad dandam homini vitam aeternam. Hinc de eo vaticinatum fuit: *Orietur stella ex Iacob et exurget virga ex Israel.* [58] Stella in nocte tenebras pellit, virga autem hominem sustentat. Hinc apud Isaiam panis et aqua *baculus* dicuntur ; nam ubi nos legimus: *Ecce ... dominator Dominus ... auferet a Ierusalem et a Iuda validum et fortem, omne robur panis et omne robur aquae,* [59] Hebraica Veritas habet: *Auferet baculum, baculum panis et baculum aquae.*

Socrus Simonis gentilitatem designat multis spiritualibus et diuturnis morbis detentam,

Operatus est igitur Christus miracula tum in synagoga tum in Ecclesia contra diabolum et pro homine, sed in synagoga quidem pauca, quia pauci valde ex Iudaeis salvati sunt, in Ecclesia autem multa, quia multi ex Gentibus salvati sunt. Designat autem socrus Simonis febricitantem Gentium nationem peccatricem : *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus; tenebatur,* inquit, quod verbum designat mali diuturnitatem. Nam in Eva infirmata est haec mulier; ex tunc ab initio mundi coepit febribus laborare ex quo peccavit Adam. Peccati enim prolixus morbus designatur etiam in muliere illa, quae sanguinis fluxum patiebatur annis duodecim, quam Christus in die sabbati curavit declarans quod eam satanas occuparat. [60] Sic satanas causa est magnarum febrium vitiorum ; sic Ninive *magnis febribus* tenebatur, ad quam curandam Dominus Ionam prophetam misit. [61] Hodie autem Christus missum se dicit a Deo. [62] Misit Deus Moysen et Prophetas ad curandam infirmam naturam ; sed tandem opus fuit ut Filium suum mitteret. Ad hoc venit Christus : *Peccatores salvos facere;* [63] non enim potuit lex mundum iustificare. Sicut autem multo maius aedificium fuit templum Salomonis quam tabernaculum Moysi, [64] ita multo maior est gratia Ecclesiae quam unquam fuerit gratia synagogae.

ad quam curandam opus fuit ut Deus Filium suum mitteret.

Sanat Christus ad ianuam et ad lectum,

V. Et in domo quidem Simonis Christus duplici loco sanat : ad lectum et ad ianuam, [65] quia specialiter ad remittendum peccata in Ecclesia duo instituta sunt Sacramenta, quorum alterum designatur

58) Nm 24, 17. Vulg.: *Consurget virga de Israel.* 59) 3, 1. 60) Cf. Mc 5, 25-29; Lc 8, 43-44. 61) Cf. Ion 1, 1-2. 62) Cf. Lc 4, 43. 63) 1 Tim 1, 15. 64) Cf. Ex 26, 1-14; 36, 1-19; 3 Rg 6, 2-3. 65) Cf. Mc 1, 33-34.

per ianuam, quod est sacramentum Baptismi, per quod ingredimur in Ecclesiam, alterum designatur per lectum, quod est sacramentum Poenitentiae. Hic Christus stat supra infirmam, quoniam omnis fidelis, qui ad Sacramentum istud accedit, subiectus est Christo, et hic Christus peccatricem animam accipit per manum eamque a peccato levat conferendo auxilium gratiae suae. Hinc arguit peccatum, quod est febrim increpare. Necesse est enim ut sacerdos, qui in sacramento Poenitentiae gerit vices Christi Deique locum tenet, arguat peccatum ut poenitens agnoscendo peccati gravitatem a peccatis desistat. Sic Paulus *Timotheo* ait: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.* [66] Sed necesse est ut sacerdos stet: *Stans super illam increpavit febrim;* ut vitae sanctitate sit praeditus, si vere vult peccatum increpare, ne dicatur ei: *Medice, cura teipsum.* [67] Christus sanus et stans infirmam sanavit: sacerdotem oportet sanum esse, vitae irreprehensibilis omnibusque virtutibus praeditum.

significans duo Sacramenta ad curandos morbos spirituales: Baptismum

et Poenitentiam.

VI. *Surgens Iesus de synagoga introivit in domum Simonis,* etc. Domus Simonis procul dubio Sanctam Ecclesiam designat. Dicitur autem *domus Simonis,* quoniam Simon constitutus a Christo est princeps Ecclesiae et Summus Pontifex, [68] sicut Aaron synagogae institutus fuit caput et sacerdos summus. [69] Hodie autem, cum Christus a synagoga transit in domum Simonis, omnem gloriam synagogae transfert in Ecclesiam et summum pontificatum aufert ab Aarone et dat Petro.

Domus Simonis Ecclesiam designat, cuius princeps Simon constitutus fuit.

Hoc est quod apud Isaiam legimus de Sobna principatu spoliato et Eliacim filio Helciae qui eo indutus fuit. [70] Erat Sobna, ut multis placet, summus sacerdos, vel, ut aliorum sententia est, princeps in aula regis Ezechiae summam potestatem gerens, qui universum regnum regia auctoritate gubernabat. [71] Quoniam vero potestate sua abutebatur, hinc Dominus ad Isaiam ait: *Ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo,* sive *ad thesaurarium, ad Sobnam praepositum templi,* sive *domus, et dices ad eum: Quid tibi hic aut quis tibi hic? Quia excidisti hic tibi sepulcrum quasi qui excidit sibi in*

Hoc est quod in Isaia legimus de Sobna principatu spoliato et Eliacim suffecto,

66) 2 Tim 4, 2. 67) Lc 4, 23. 68) Cf. Mt 16, 18-19; Io 21, 15-17. 69) Cf. Ex 28, 1 sqq.; Eccli 45, 7-27. 70) Cf. 22, 15 sqq. 71) Cf. Alph. Tostatus *Comment. in Lib. 4 Regum,* q. 33, t. 10, pag. 158.

excelso sepulcrum et statuit in petra tabernaculum suum. Ecce Dominus asportavit te, faciet sicut asportatur gallus gallinaceus et quasi amictum amiciet te; coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam; ibi morieris et ibi erit currus gloriae tuae et ignominia domus domini tui. [72] Privatur Sobna principatu divina sententia quae non potest non esse iustissima, et tamen videtur nulla assignari causa facti huius. Innuitur tantum avaritia et ambitio vanitatis, quia sepulcrum regale sibi exciderat. Similiter hodie Christus relinquit synagogam et domum Simonis ingreditur, privat Aaronem pontificatu illumque dat Petro, et facti huius nulla causa hodie assignatur.

sic enim hodie synagoga reicitur et Aaron pontificatu privatur, qui Petro datur.

Et apud Isaiam quidem videtur assignari causa deiectionis Sobnae in causa electionis Eliacim. Nam sequitur : *Expellam te de statione tua et de ministerio tuo deponam te. Et erit in die illa: Vocabo servum meum Eliacim filium Helciae et induam illum tunica tua et circulo tuo confortabo eum et potestatem tuam dabo in manu eius et erit quasi pater habitantibus Ierusalem et domui Iuda.* [73] Duplex assignatur causa huius electionis : altera est religio in Deum, quia dicitur *servus Dei*, et altera pietas in proximum, quia dicitur *pater populi Dei*. Depositus ergo ille fuit, quia his virtutibus destitutus erat. Haec autem eadem causa est cur Dominus synagogam relinquit hodie, nam ubique Dominus avaritiam scribarum et Pharisaeorum arguit. [74] Ex Evangelio autem una tantum causa elicitur cur Dominus synagogam relinquat: quia, cum ibi Dominus divina virtute et imperio daemonium eiecisset, qui aderant in synagoga mirati sunt factum, [75] non tamen in Christum crediderunt. Sic ob incredulitatem Christus synagogam reliquit, omnem gratiam synagogae transtulit in domum Simonis.

Duplex fuit causa electionis Eliacim et reiectionis Sobnae;

duplex etiam causa reiectionis synagogae, idest avaritia et incredulitas;

Hinc sequitur Isaias dicens : *Et dabo clavem domus David super humerum; et aperiet, et non erit qui claudat . . . claudet, et non erit qui aperiat. Et figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriae domui patris sui. Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris sui, vasorum diversa genera, omne vas parvulum, a vasis craterarum usque ad omne vas musicorum. In illa die, dicit Dominus*

et sicut Deus fideli servo Eliacim claves domus David tradidit,

72) Is 22, 15-18. Ex hebraico. 73) Ibid. vrr. 19-21. Vulg.: *Et cingulo tuo confortabo*, etc. 74) Cf. Mt 23, 6-7; Mc 7, 9-13; 11, 17-18; Lc 11, 39-43; 14, 7-11; 16, 14-15; 18, 9-14; 20, 45 sqq. 75) Cf. Lc 4, 36.

exercituum, auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli, et frangetur et cadet et peribit quod pependerat in eo, quia Dominus locutus est. [76] Hoc autem vaticinium mirum in modum concordat cum eo quod Dominus motus fideli confessione Petri : *Tu es Christus Filius Dei vivi,* dixit ei : *Beatus es, Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni coelorum . . . et quodcunque solveris,* etc. [77] Idem enim est Petrum esse fundamentum Ecclesiae et esse paxillum, in quo suspensa est omnis gloria omniaque vasa domus Dei. Gloria domus Dei est dignitas potestasque et honor sacerdotalis et episcopalis ; universa haec gloria a Petro dependet Christi vicario.

sic Christus fidelem Petrum fundamentum Ecclesiae constituit eique claves regni coelorum tradidit,

Nec tantum omnis gloria in hoc paxillo suspensa est, sed etiam omnia vasa domus Domini, omnes fideles pendent tanquam membra a capite a Summo Pontifice Petro quoad ea quae spectant ad salutem animarum, quoniam ipse habet *claves regni coelorum.* Paxillus autem Aaron ablatus est et confracta sunt omnia quae ex eo pendebant, omnis Antiquae Legis religio et ritus. Transtulit autem Christus omnem gloriam synagogae in domum Simonis, nam in synagoga Christus unum daemonium eiecit, per quod significatur hominis iustificatio, in synagoga paucissimi iustificabantur ; at in domo Simonis multa exeunt daemonia, et praeterea socrum ipsius sanat et innumeram multitudinem infirmorum sanitate donat, iustificat, sanctificat, perficit, aufert omnem imperfectionem vitiorum omnemque virtutum perfectionem confert : *Singulis manus imponens curabat eos.* [78]

et ita omnem gloriam synagogae in Ecclesiam transtulit

cum omnibus donis ad sanctificandas fidelium animas.

VII. Videtur hodie Christus medicus quidam divinus, qui in sua aromataria officina habeat efficacissima remedia contra omnes morbos incurabiles. Aperta autem officina, dat omnibus indigentibus gratis : *Singulis manus imponens curabat eos.* Videtur Summus Pontifex qui, cum primo post creationem, accepta possessione Ecclesiae, descendit in Datariam, ut ostendat munificentiam suam dat gratis omnes bullas quorumlibet beneficiorum sive magna sint sive parva.

Medicus vere divinus videtur hodie Christus, qui contra omnes infirmitates remedia habet,

76) 22, 22 sqq. Vulg.: *Domui patris eius . . . domus patris eius . . . In die illa,* etc.
77) Mt 16, 16-19. 78) Lc 4, 40.

omnes enim gratias largitur et omnium debita solvit,

Videtur princeps clementissimus, qui die ingressus sui in metropolim et regni sedem convocat omnes pauperes, apertaque cella penaria et promptuario, dat omnibus et singulis manu propria panem, vinum et cibos alios ad manducandum; aperto vestium promptuario et custodia rerum familiarium, omnes bonis valde vestibus induit; apertis thesauris in suo aerario, dat omnibus quicquid opus illis est ad solvenda debita et pro conditione honeste vivendum, et omnes pro delictis in carceribus detentos sive pro debitis, libertate et rebus necessariis munificentissime donat. Sic enim ipse ingressus hodie in domum Petri sanat primo socrum illius a febribus, deinde *omnes qui habebant infirmos variis languoribus*, etc.,[79] *ut adimpleretur*, inquit Matthaeus, *quod dictum est per ... Prophetam ...: Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit*, [80] veluti si princeps ad liberandum a carcere hominem ibi detentum ob debita, ipse se ad solvendum obligaret et ingrederetur in carcerem ibique detineri vellet quousque universum debitum solveret, et ad vestiendum pauperem propriis se vestibus exueret vilissimisque pauperis vestimentis se indueret, aut si ad esurientem satiandum proprium cibum potumque pauperi daret ipseque famem et sitim pateretur illius causa. Sic inquit: *Vere languores nostros ipse tulit.*

quia pro omnibus passione sua satisfecit.

VIII. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Quattuor nobis consideranda proponuntur in sacrosancto hodierno Evangelio: virtus coelestis medici, infirmitas gravis, sanitas mirabilis et perfecta et modus quo sanitas collata est. Virtus Christi omnipotens et divina ad sanandum omne genus morbi: *Qui sanat omnes infirmitates* [81] nostras. Nec tantum potest infirmos sanare, ut fecit Isaias, [82] sed etiam mortuos suscitare, ut fecit Elias [83] et, post eum, Eliseus. [84] Infirmitas gravis est: Detinebatur *magnis febribus.* Persona infirma est mulier, quae fuit origo peccati, post satanam, nam febres hae vitia et peccata significant. In febrim incidit prima mulier Eva, cum vetitum fructum desideravit suaque febri veluti contagioso et pestifero morbo Adam, qui secum erat, infecit. [85] Tunc natura universa *magnis febribus* teneri coepit. Hinc ait: *Tenebatur*, ad significandam prolixam et diuturnam in-

Infirmitas huius mulieris designat naturam humanam peccato originali infectam.

79) Ibid. 80) 8, 17. Affert ex Is 53, 4. 81) Ps 102, 3. 82) Cf. 4 Rg 20, 1-11; Is 38, 1 sqq. 83) Cf. 3 Rg 17, 17-22. 84) Cf. 4 Rg 4, 32-37. 85) Cf. Gn 3, 6.

firmitatem, coepit enim a mundi primordiis; *Tenebatur magnis febribus,* multis, non una febri, nec tantum multis, sed etiam *magnis.* Sic humana natura originali peccato infecta multis magnisque vitiis exterius interiusque laborat: exterius in sensibus corporis et interius in potentiis animae. Oculus tenetur magna febri desiderii videndi vana, curiosa, lasciva, unde mille accenduntur ignes carnalium concupiscentiarum; auris laborat febri magna desiderii audiendi vana et mundana colloquia, proprias laudes adulationesque, aliorum detrectationes et vituperia, audiendi fabulas et novitates mundi; olfactus magna febri laborat lascivorum odorum; gustus magna febri gulae in delicatis et pretiosis cibis exquisitisque saporibus; tactus magna febri luxuriae, quae *ignis* est *nunquam dicens: sufficit;* [86] hinc ad fovendam carnem mollities et pompa vestium et lectorum. Caput laborat magna febri sollicitudinum vanarumque cogitationum et imaginationum: fabricat mille turres, castra, civitates venti et fumi in aera ut faciat et dicat. Cor magna febri desideriorum et cupiditatum divitiarum, dignitatum, voluptatum, mille vanitatum, unde insurgunt ambitiones, avaritiae, luxuriae, irae, invidiae aliaeque id genus animi pestes. Intellectus tenetur magna febri vanarum scientiarum cupiens omnem habere scientiam bonorum et malorum; hinc ortum habuit damnata magia, hinc mendax astrologia, chiromantia et necromantia cum omnibus malis artibus. Voluntas magna febri laborat proprii amoris propriarumque affectionum et passionum; hinc vanae spes vanique timores quibus animus vehementer cruciatur. Hoc est: *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus;* et: *Omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos* ad Iesum.

laborat enim multis magnisque febribus vitiorum

exterius in sensibus corporis, interius in potentiis animae,

Modus autem curationis est: *Imperavit febri; At ipse singulis manus imponens curabat eos.* Per impositionem manuum Apostolorum dabatur Spiritus Sanctus credentibus. [87] Utitur Christus lingua et manibus, verbis et operibus ad sanitatem conferendam.

a quibus Christus gratia sua liberat.

86) Prv 30, 16. Vulg.: *Dicit: Sufficit.* 87) Cf. Act 6, 6; 8, 17-18.

III. ALIA HOMILIA

Surgens Iesus de synagoga introivit in domum Simonis ; socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. [1]

Multa mysteria continentur in hodierno Evangelio,

I. Multa sunt mysteria hodierni Evangelii. Hic proponitur synagoga Moysi et Ecclesia Christi in domo Simonis ; hic Petri matrimonium : *Socrus autem Simonis,* mater uxoris Petri, quam tamen reliquerat ut Christum sequeretur : *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te,* [2] unde coepit sacerdotum caelibatus ; hic carnis nostrae multiplex infirmitas : *Tenebatur magnis febribus;* hic Sanctorum intercessio : *Rogaverunt illum pro ea;* [3] hic divina Christi virtus : *Stans super eam imperavit febri;* [4] hic magnum divinumque miraculum : *Et continuo surgens ministrabat,* [5] aliaque id genus innumera miracula : *Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos . . . ducebant illos* ad Iesum ; *at ille singulis manus imponens curabat eos;* [6] hic divina Christi auctoritas super daemones : *Exibant autem daemonia a multis clamantia et dicentia: Quia tu es Filius Dei; et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum,* [7] unde mirabantur omnes dicentes : *Quod est hoc verbum quia in potestate et virtute imperat immundis spiritibus, et exeunt ?* [8] Hic fidelium turbarum amor et devotio erga Christum : *Facta autem die, secessit in desertum locum,* veluti fugiens mundum ut liberius Deo vacaret et orationi operam daret, sed turbae sequebantur eum et *venerunt usque ad ipsum, et detinebant eum ne discederet ab eis;* [9] hic tandem necessitas praedicandi Evangelium finisque aut scopus divinae incarnationis : *Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum. Et erat praedicans in synagogis Galilaeae.* [10]

sed super omnia quod Christus medicus et medicina est,

II. Inter omnia haec mysteria hoc singulariter splendere videtur, quod Christus coelestis sit ac divinus medicus simul et medicina. Ob peccatum infirmata fuit humana natura ; haec socrus est Petri quae *magnis* tenetur *febribus,* immodicis aestuat praeter naturam caloribus

1) Lc 4, 38. 2) Mt 19, 27. 3) Lc 4, 38. 4) Ibid. vr. 39. Vulg.: *Super illam,* etc. 5) Ibid. 6) Ibid. vr. 40. Vulg.: *Cum autem sol,* etc. 7) Ibid. vr. 41. 8) Ibid. vr. 36. 9) Ibid. vr. 42. Vulg.: *Egressus ibat in desertum... et detinebant illum,* etc. 10) Ibid. vrr. 43 sq.

carnalis concupiscentiae. Si quis autem videre magnas humanae naturae febres languoresque desiderat, consideret socrum Simonis, matrem Ecclesiae Christi, gentilitatem ipsam quibus ante Christum vitiorum febribus aestuabat. Statuunt medici septem genera febrium: ephimeram, quotidianam, tertianam, quartanam, erraticam, continuam et ethicam.[11] Sic septem sunt capitalia vitia, quae ortum habent ab immoderato calore proprii amoris: *Tenebatur magnis febribus* luxuriae, avaritiae, superbiae, gulae, invidiae, irae, acediae.

socrus vero Simonis figura gentilitatis vitiorum febribus aestuantis.

Misit Deus medicos ad curandam hanc languidam mulierem: Patriarchas, Prophetas, sacerdotes; instituit sacramenta Veteris Legis, sacerdotem magnum veluti protomedicum ordinavit ad curandam maxime lepram;[12] templum esse voluit officinam aromatariam ac pharmacopolium; sed fere nihil profecit.

Ad haec vitia curanda misit Deus Prophetas, dedit legem,

Aliquando Deus seipsum medicum professus est, nam in *Exodo* legimus: *Si audieris vocem Domini Dei tui... cunctum laborem, quem posui in Aegypto, non inducam super te; ego enim* sum *Dominus* Deus *sanator tuus:*[13] רֹפְאֶךָ,[14] *medicus tuus.* Sic medicum se exhibuit curans Mariam Moysi sororem a lepra,[15] sanans populum a morsibus serpentum ignitorum aspectu aenei serpentis,[16] sanans Ezechiam regem a morbo mortali,[17] sanans Abimelech regem Geraris cum universa familia sua.[18]

imo ipsemet voluit aliquando medicus esse

Sed cum humani generis morbus ad mortem usque excrevisset, disposuit mittere unigenitum Filium suum, unde ait: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me evangelizare pauperibus, misit me sanare,* sive *mederi contritos corde.*[19] Tanquam medicus venturus erat Christus in mundum, hinc interrogatus a Ioanne Baptista per internuncios: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* respondit: *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.*[20] Ego sum, inquit, quia eius opera facio. Cum promittitur adventus Christi in mundum, per M a l a c h i a m sic dicitur: *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiae et sanitas in pennis eius,*[21] sive

tandem, ingravescentibus malis, misit Filium suum.

11) Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 22, cp. 8, col. 1234. 12) Cf. Lv 14, 1 sqq. 13) 15, 26. Vulg.: *Cunctum languorem*, etc. 14) Ms.: *Rophcca.* 15) Cf. Nm 12, 10 sqq. 16) Cf. ibid. 21, 6-9. 17) Cf. 4 Rg 20, 1-11; Is 38, 1 sqq. 18) Cf. Gn 20, 1 sqq. 19) Is 61, 1. Ex Translat. Septuaginta; Lc 4, 18. Vulg.: *Propter quod unxit*, etc. Hanc interpunctionem exhibet S. Auctor et ea est quae legitur in veteribus editionibus Vulg. Cf. *Biblia Lovaniensis.* 20) Mt 11, 3-5. 21) 4, 2. Vulg.: *Orietur vobis*, etc.

medicina erit in ore vestimenti eius, sicut ostensum fuit in curatione mulieris a fluxu sanguinis. [22]

Quattuor consideranda sunt: a) medicus Christus est, et quidem optimus, quia Filius Dei;

III. Quattuor autem videnda sunt nobis : quis et qualis sit iste medicus, quis infirmus, quae infirmitates et quae sint huius medici medelae, quae remedia. Medicus est Filius Dei, verus Messias, sic etiam daemones hodie fatentur. Si Filius Dei verus est, ergo medicus omnipotens, sapientissimus, optimus est, nam Deus Optimus Maximus est. Antiquitus qui medicinam profitebantur erant simul physici, chirurgi et pharmacopolae sive pigmentarii et aromatarii. Sic Christus hodie in domo Simonis omnia haec exercet officia. Facta est domus Simonis officina aromataria plena optimis ac saluberrimis remediis contra omnem morbum atque languorem.

b) infirmus mundus positus in maligno;

Infirmus mundus est totus positus in maligno : [23] *Omne quod est in mundo*, etc.; [24] *Omne caput languidum et omne cor moerens. A planta pedis usque ad verticem* capitis *non est in eo sanitas; livor et vulnus et plaga tumens non est circumligata nec curata medicamine neque fota oleo.* [25] O miserabilem infirmum !

c) infirmitates vitia et peccata, quae solus Deus curare potest;

Infirmitates autem iniquitates sunt, quas solus Deus potest curare : *Ego* Deus *qui deleo iniquitates tuas per meipsum;* [26] *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* [27] *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* [28] Medicinae autem Christi verba sunt et sacrarum manuum tactus ; ipse Christus medicus est et medicina ; non aliis huiusmodi infirmitates incurabiles hodie

d) medicina ipse Christus, qui solo verbo et tactu sanat omnes infirmitates.

medicinis curavit; lignum vitae est, de quo legimus : *Folia ligni ad sanitatem gentium.* [29] Aer obscurus est homo infirmus, sol medicus est aeris obscuri, sanat eum cum illuminat; medicinam autem secum affert, radius ipsius medicina est. Sic utique Christus est *Sol iustitiae*, medicus salutis, verus Messias, unicus Filius Dei consubstantialis et coaequalis, Dei eiusdem essentiae, substantiae atque naturae. Ergo ut Deus omnipotens, omniscius summeque benevolus, qui magis sanitatem suorum infirmorum voluit quam salutem propriam, qui proprio sanguine eos curavit.

22) Cf. Mt 9, 20-22. 23) Cf. 1 Io 5, 19. 24) Ibid. 2, 16. 25) Is 1, 5-6. Vulg.: *Vulnus et livor*, etc. 26) Ibid. 43, 25. Vulg.: *Propter me.* 27) Mc 2, 7; Lc 5, 21. 28) Ps 102, 3. 29) Apc 22, 2.

Natura humana multis vitiis et peccatis laborat, quae febres ipsius sunt,

IV. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Natura humana fragili infirmaque carne circumdata multis laborat peccatis. Ab igneo cordis calore exuberanti per venas arteriasque diffuso oritur febris in corpore, ab inordinato amore et affectu animi oritur febris in spiritu. Quid enim ambitio, quid superbia, quid avaritia, quid libido nisi inordinatus affectus? Hae sunt animae febres: *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Quod in mundo regnent hae febres pestilentiales, nil mirum in hominibus infidelibus; sed quod in domo Simonis, in Ecclesia Christi, in fideli et christiano populo, mirum valde est. Deus ipse miratur per Isaiam dicens: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis? Iustitia habitavit in ea, plena iudicii... Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua.* [30] Per Ieremiam etiam ait: *Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filiae populi mei?* [31] sive, ut hebraice: *Non ascendit sanitas filiae populi mei?* Naturale, inquit, est infirmo sanitatis salutisque desiderium, hinc in infirmitate pro viribus quaeruntur medici et medicinae, excellentissimi medici et optimae medicinae, modo adsit facultas. Quid igitur, inquit, est quod in fideli populo regnant tot infirmitates? *Nunquid resina non est in Galaad?* Non sunt medicinae Sacramentorum in Ecclesia optimae, efficacissimae, saluberrimae et suavissimae? Utique. Nunquid medicus non est ei qui possit, sciat et velit curare? Utique: en Christus medicus optimus in domo Simonis, potens, sciens, volens curare *omnem languorem et omnem infirmitatem.* [32] Quare ergo *non ascendit sanitas filiae populi mei?* Quid est quod in infirmitate perseverat?

sed mirum est quod hae febres regnent in populo fideli et in Ecclesia,

ubi tot inveniuntur medicinae saluberrimae, medicus optimus,

et qui eum rogent pro infirmis;

Eo autem mirandum hoc amplius est, quod in hac domo sunt qui pro infirma intercedunt: *Rogaverunt illum pro ea;* quare statim *imperavit febri, et dimisit eam.* [33] Intercedunt pro peccatoribus sancti religiosi, sacerdotes, ministri Domini in Ecclesia, intercedunt etiam Sancti et Beati in coelo, nam si Sancti in terra intercedunt, multo magis in coelo, ubi nullum adest impedimentum, nullum demeritum et perfectissima praediti sunt caritate. Sicut autem epulo in inferno

30) 1, 21-22. Vulg.: *Civitas fidelis plena iudicii?* etc. 31) 8, 22. Vulg.: *Quare igitur,* etc.
32) Mt 9, 35. 33) Lc 4, 38-39. Vulg.: *Et dimisit illam.*

Sancti enim in terra et Beati in coelo pro salute nostra intercedunt divinam misericordiam petentes;

intercessit pro suis,[34] sic Sancti pro nobis intercedunt in coelo, cum divina sint praediti caritate, non tantum naturali, sed supernaturali, cum teneantur nos tanquam fratres diligere salutemque nostram desiderare. Hinc legimus in *Apocalypsi* quod Angelus habebat thuribulum aureum plenum odoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum,[35] sic etiam quod *vigintiquattuor seniores* habebant in manibus *citharas et phialas ... plenas odoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum.*[36] In eodem etiam libro legimus quod animae interfectorum propter verbum Dei clamant sub altare Dei, vindictam petentes contra persecutores Ecclesiae.[37] Ergo etiam misericordiam petunt et gratiam pro fidelibus amicis. Legimus etiam Zacharia 1 quod Angelus intercessit apud Deum pro salute populi exauditusque fuit.[38]

et tamen adhuc multi sunt in Ecclesia infirmi, quia nolunt curari,

Igitur pro salute nostra intercedunt sancti ministri Dei in terra, Beati etiam in coelo et Angeli in paradiso, et non sequitur effectus sanitatis et salutis ? Cur, quaeso ? Mutatus est animo Christus ? *Ego ... Deus et non mutor.*[39] *Sol iustitiae* est, semper idem ; sed non confertur haec sanitas, nisi volenti: *Vis sanus fieri ?*[40] dixit Christus languido in piscina. Non datur salus animae, nisi volenti. Qui autem diligit peccatum diligit infirmitatem ; non vult ergo sanitatem, non diligit salutem animae suae : *Qui ... diligit iniquitatem, odit animam suam.*[41] Haec causa est, fratres, talis tantaeque infirmitatis, quia sanari ipsi minime volumus. In deserto non sanabantur a morsibus ignitorum serpentum, nisi qui aspiciebant serpentem aeneum.

nam sanitas non confertur nisi volenti.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Duplex status mulieris huius ostenditur nobis.[42]

34) Cf. ibid. 16, 27-28. 35) Cf. 8, 3-4. 36) Ibid. 5, 8. 37) Cf. 6, 9-10.
38) Cf. vrr. 12-17. 39) Mal 3, 6. Vulg.: *Dominus et non mutor.* 40) Io 5, 6.
41) Ps 10, 6. 42) Et sic incompletum remansit.

FERIA SEXTA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

I. Cum multa sint in mundo hoc nostro mala quae hominem perdere possunt, Deus, qui propter hominem mundum creavit, contra quaecunque vis mala providit salutaria remedia : contra tenebras lucem, solem, stellas, contra frigus calorem ignemque, contra famem cibos, contra sitim aquas vinaque, contra innumeras infirmitates innumera remedia. Sic in spiritu contra vitium posuit virtutes, contra peccatum gratiam, contra diabolum mundi perditorem Christum salvatorem ab omnibus malis corporalibus et spiritualibus, praesentibus et futuris, temporalibus et aeternis. Talem eum hodie Samaritani agnoscunt et confitentur dicentes : Nos *audivimus et scimus quia hic est vere Salvator mundi.* [1] O felices qui sic Christum agnoscunt! Inveniunt enim infinitum thesaurum.

Deus in mundo Christum posuit salvatorem contra omnia mala spiritualia.

Venit Iesus in civitatem Samariae, quae dicitur Sichar, iuxta praedium quod dedit Iacob Ioseph filio suo, etc. [2]

II. Sicut Pharao potentissimus maximusque rex Aegypti, cum sanctum Ioseph virtutis suae merito totius regni sui supremum principem constituisset mundique salvatorem appellasset, [3] dixit ei : *Ego sum Pharao: absque tuo imperio nemo movebit manum aut pedem in universa terra Aegypti,* [4] idest in universo regno meo ; ita plane Deus, cum declaravit Christum mundi Salvatorem, omnia dedit in manu ipsius : *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra,* [5] ita ut dicat: *Sine me nihil potestis facere.* [6] Finis huius Evangelii declarat principium : *Quoniam hic est vere Salvator mundi.* Nam *Salvator* declarat

Christus constitutus fuit a Deo Salvator mundi.

1) Io 4, 42. 2) Pericope huius diei Io 4, 5-42. Cf. Missale Rom. 3) Cf. Gn 41, 45. 4) Ibid. vr. 44. Vulg.: *Non movebit quisquam manum, etc.* 5) Mt 28, 18. 6) Io 15, 5.

quid sit Iesus, et *mundus* quid sit civitas Samariae, *quae dicitur Sichar*, vel Sichem, quae civitas est celeberrima in Divinis Scripturis, quoniam in ea primo habitavit Abraham [7] et postea Iacob ; [8] celebris propter stuprum Dinae, unde magna subsecuta fuit occisio ; [9] propter seditionem contra Abimelech, a quo funditus eversa fuit [10] in poenam ingratitudinis contra Gedeonem ; [11] propter rebellionem decem tribuum, cum defecerunt a domo David. [12] Erat civitas refugii, asylum fugitivis ; [13] sita erat inter duos montes, Hebal et Garizim, super quos promulgatae fuerunt populo benedictiones et maledictiones legis ; [14] significat mundum hunc, qui tum bonorum tum malorum habitatio est. Samaria significat custodiam et spinam: custodia erat ante peccatum, spina post peccatum; Sichar significat humerum ad portandum onus divinae legis vel satanicae tyrannidis. Sed qualis erat haec civitas cum ad eam Christus venit ? Tota carnalis qualis mulier samaritis : *Mundus totus in maligno positus est;* [15] *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* [16]

per Samariam hodie figurati, quia bonorum et malorum habitatio est.

III. Videndum nobis est quidnam sit salus ista, quibus confertur, a quo et quomodo. Salus est vita aeterna, quae dicitur vera salus : *Quoniam hic est vere Salvator mundi;* sicut enim vita haec potius umbra et imago vitae est quam vera vita, sic omnis salus temporalis ; vera autem salus aeterna in coelis est. Confertur indignis peccatoribus qualis erat samaritis : *Peccatores salvos facere*, sed peccatoribus poenitentibus : *Poenitentiam agite*, etc.; [16a] hinc Christus ducit mulierem hanc in cognitionem et detestationem peccatorum suorum. Salvator autem Christus est, qui praefiguratus est in Ioseph, Moyse, Iosue, Gedeone et Samsone. Confertur autem haec salus per gratiam Sacramentorum et per cultum verae pietatis et religionis : *Qui adorant ... in spiritu et veritate.* [17]

Salus vera vita aeterna est, quae confertur per gratiam Sacramentorum,

Salvator autem verus Christus.

Salvator autem absolute dicitur Christus, quia bonorum omnium auctor et fons aeternus et quia veram salutem potest, scit et vult conferre omnibus qui salvari desiderant. Potest salvare omnes, scit invenire modum salvandi omnes, vult salvare omnes qui propriam

7) Cf. Gn 12, 6. 8) Cf. ibid. 33, 17 sqq. 9) Cf. ibid. 34, 1 sqq. 10) Cf. Idc 9, 23-49. 11) Cf. ibid. 8, 4-9. 12) Cf. 3 Rg 11, 31-36; 12, 1-19. 13) Cf. Ios 20, 7. 14) Cf. ibid. 8, 30 sqq. 15) 1 Io 5, 19. 16) 1 Tim 1, 15. 16a) Mt 3, 2; 4, 17. 17) Io 4, 24.

salutem non spernunt; voluntas autem ostenditur, quia cibum et potum hodie relinquit pro salute Samaritanorum.

Hic est vere Salvator mundi. Adam fuit perditor, hic est reparator. Magna antithesis inter Christum et Adam: *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de coelo, coelestis;* [18] ille peccator nos sibi similes effecit; Christus sanctus nos sanctificavit: *Qualis terrenus, tales et terreni, et qualis coelestis, tales et coelestes;* [19] *Praedestinavit* nos *conformes fieri imagini Filii sui.* [20] Christum autem Salvatorem esse mundi est ipsum auctorem esse nostrae praedestinationis, iustificationis et glorificationis. Praedestinationis, nam Paulus ait quod: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati... Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.* [21] Vocationis etiam, quia Paulus ait: In Christo *nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum eius;* [22] per ipsum iustificati et praeservati a peccato: *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae eius.* [23] Et Petrus ait: *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* [24] Per Christum omnis virtus, omnis bonitas, sicut a sole omnis lux. Hinc dicitur *Sol iustitiae,* [25] et quam vim habet sol in omnia quae corporaliter fiunt in universali natura, eandem Christus in omnia quae fiunt spiritualiter in utraque Ecclesia.

Hinc elucet antithesis inter Adam perditorem et Christum Salvatorem,

qui auctor est nostrae praedestinationis, iustificationis et glorificationis.

IV. Diligens sanctus patriarcha Iacob filium suum Ioseph ipsumque prae ceteris filiis magis diligens, maiori etiam hereditate donavit. Sic enim legimus: *Israel... diligebat Ioseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum; fecitque ei tunicam polymitam.* [26] In morte vero ait ei: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio et arcu meo.* [27] Felix utique fuit, quia singulariter a patre fuit dilectus, sed multo felicior, quia a Deo plus cunctis fratribus fuit amatus, unde adeo exaltavit eum, ut constituerit eum principem Aegypti et mundi quodammodo salvatorem effecerit; Pharao enim vocavit eum *salvatorem mundi,* nam si non

Patriarcha Ioseph singularis figura Christi;

18) 1 Cor 15, 47. 19) Ibid. vr. 48. 20) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis Filii sui.*
21) Eph 1, 4-5. 22) Ibid. vr. 11. 23) Ibid. vr. 7. 24) Act 10, 43.
25) Mal 4, 2. 26) Gn 37, 3. 27) Ibid. 48, 22.

Ioseph enim dilectus fuit a patre prae cunctis fratribus,

fuisset ipse, periisset mundus fame septem annorum.[28] Unde ab omnibus etiam fratribus suis adoratus fuit super terram, sicut in somniis praeviderat manipulos fratrum adorare manipulum ipsius ac solem, lunam stellasque undecim adorare ipsum.[29]

Christus prae omnibus creaturis diligitur a Deo;

Sed sicut Ioseph plus cunctis fratribus diligebatur a patre, ita Christus a Deo prae omnibus creaturis terrenis et coelestibus, hominibus et Angelis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*[30] Hinc constituit eum Salvatorem mundi et *dedit illi nomen quod est super omne nomen.*[31] Hoc est praedium quod Iacob dedit filio Ioseph,[32] quod prius emerat *a filiis Hemor patris Sichem centum agnis*, aedificavitque ibi altare Domino, quod vocavit *fortem Deum Israel*,[33] ubi etiam ipse Ioseph sepultus fuit, ut legimus *Iosue* 24.[34] Christus est verus Ioseph; et quia quae gesta sunt circa Ioseph mysteria Christi praefigurabant, propterea E v a n g e l i s t a horum hodie meminit. Praedium istud mundum ipsum significat: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.*[35] Hoc praedium datur Ioseph iam exaltato in Aegypto: hereditas Gentium, Sancta Ecclesia, Christo iam exaltato in coelo post passionem suam, quae in afflictione ipsius Ioseph praefigurata fuit. Sicut enim ille iniustam passus fuit a fratribus persecutionem, iniustum odium, iniuste venditus fuit,[36] iniuste ab iniqua domina calumniatus ac missus in carcerem,[37] ita Christus. Sed sicut Ioseph, post omnes tribulationes exaltatus, hanc hereditatem accepit, ita et Christus; unde hodie, post defatigationem itineris, agnoscitur a Samaritanis, creditur et adoratur tanquam mundi verus Salvator: *Ipsi enim audivimus et scimus quia hic est vere Salvator mundi.*

Ioseph post persecutionem exaltatus fuit, Christus post passionem suam.

Deus verus dominus mundi est,

Praedium istud duplici ratione erat ipsius Iacob: primo quidem, quia illud emerat centum agnis, deinde vero, quia iure belli illud acquisierat: *Quam tuli de manu Amorrhaei in gladio et arcu meo;* pugnavit enim contra Amorrhaeos pro pacifica possessione illius agri.[37a] Sic Deus duplici ratione dominus est mundi huius: ratione innume-

28) Cf. ibid. 41, 40 sqq. 29) Cf. ibid. 37, 7-10; 42, 1-7. 30) Mt 3, 17; 17, 5. 31) Phil 2, 9. Vulg.: *Et donavit illi*, etc. 32) Cf. Io 4, 5. 33) Gn 33, 19 sq. Vulg.: *Fortissimum Deum Israel.* 34) Cf. vr. 32. 35) Ps 2, 7-8. 36) Cf. Gn 37, 4 sqq. 37) Cf. ibid. 39, 7-20. 37a) Nihil ex historia reperitur quando agrum hunc Iacob *in gladio et arcu* Amorrhaeis tulerit; propterea in multa et varia abeunt Expositores.

rorum beneficiorum naturalium rerum, quae homini confert, et ratione protectionis ac defensionis suae, qua nos iugiter protegit ac defendit ab hostibus infernalibus, pugnans contra eos armis suae potentiae. Hodie dat coelestis Pater dilectissimo Filio suo praedium istud : *Dabo tibi gentes hereditatem tuam*, in conversione Samaritanorum: *Ipsi audivimus et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi.*

hunc autem hodie Christo dat in conversione Samaritanorum.

Felix samaritis quae hodie Salvatorem, quem non quaerebat, thesaurum infinitum invenit, auctorem naturae, fontem gratiae, patrem gloriae, rectorem mundi, creatorem universi. Rebecca pergens ad hauriendam aquam invenit ibi Eliezer procuratorem Abrahami, a quo multa dona accepit factaque fuit sponsa Isaac unigeniti filii domini sui.[38] Christus, quatenus homo, est Eliezer procurator Dei : *Dicit dominus vineae procuratori suo;*[39] sed quatenus Deus, ipse est Isaac unigenitus filius Abraham, Patris excelsi.[39*] Samaritis hodie inveniens hunc Eliezer orantem ad fontem et petentem aquam ad bibendum : Mulier, *da mihi bibere,*[40] pretiosa dona gratiae ab eo accepit ac per veram fidem ipsius Filii Dei sponsa facta est : *Desponsabo te mihi in fide;*[41] *Mulier, crede mihi.*[42] Rachel pergens ad adaquandum ovium gregem invenit ibi Iacob sponsum suum amantissimum, quem duxit in domum patris sui coniugioque ei copulata est ;[43] Sephora quoque, filia Iethro sacerdotis Madian, pergens ad adaquandas oves invenit ibi Moysen, cuius et sponsa dilectissima facta fuit.[44] Samaritis autem ista hodie ad fontem istum sacratissimum tanto nobiliorem illis sponsum invenit quanto Deus homine quovis nobilior est : *Quoniam hic est vere Salvator mundi.*

Felix ergo samaritis, quae Christum inveniens, thesaurum infinitum omnium bonorum invenit.

V. Septem nominibus hodie Christus, non sine magno mysterio, appellatur. Primo *Iudaeus: Quomodo tu, iudaeus cum sis;*[45] secundo *Dominus: Domine, da mihi hanc aquam;*[46] tertio *donum Dei: Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere!*[47] quarto *Propheta: Domine, ut video, propheta es tu;*[48] quinto *Messias: Scio quia Messias venit;*[49] sexto *Magister: Rabbi, manduca;*[50] et septimo *Sal-*

Septem nominibus hodie Christus appellatur, non sine magno mysterio,

38) Cf. Gn 15, 2; 24, 15 sqq. 39) Mt 20, 8. 39*) Sic latine *Abram* interpretatur. 40) Io 4, 7. 41) Os 2, 20. Vulg.: *Sponsabo*, etc. 42) Io 4, 21. 43) Cf. Gn 29, 9-30. 44) Cf. Ex 2, 16-21. 45) Io 4, 9. 46) Ibid. vr. 15. 47) Ibid. vr. 10. 48) Ibid. vr. 19. Vulg.: *Domine, video quia*, etc. 49) Ibid. vr. 25. 50) Ibid. vr. 31.

et septem sunt hodiernae actiones Christi septemque interlocutiones.

vator mundi. Et septem sunt quae agit hodie Christus : fatigatur labore itineris, sedet lassus, [51] petit aquam, offert multo meliorem, [52] revelat occulta, [53] docet sacra, [54] manet in Samaria duobus diebus. [55] Et adhuc septem interlocutiones fiunt inter Christum et mulierem samaritidem. Tres sunt circa aquam : *Da mihi bibere; Si scires donum Dei; Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum.* [56] Duae circa vitam mulieris : *Vade, voca virum tuum;* [57] *Bene dixisti quia non habeo virum.* [58] Duae aliae sunt de religione et pietate : *Mulier, crede mihi; Ego sum, qui loquor tecum* Messias. [59]

Fons Iacob figura gratiae Christi et gloriae aeternae.

Quare fons iste, sive puteus, ille utique Bersabee in Divinis Scripturis celeberrimus mihi esse videtur, quod est interpretatum puteus septem, nam septem agnis illum Abraham emit ab Abimelech, et *puteus iuramenti,* [60] puteus inviolatae religionis et fidei. Ad salutem necessaria est gratia septem Sacramentorum, gratia Christi, quae in septem Sacramentis continetur, quae constat septem virtutibus ac donis Spiritus Sancti ; et gloria etiam paradisi in septem consistit dotibus gloriosis, haec est enim vera salus : gloria paradisi, vita aeterna : *Qui . . . biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum ; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* [61] Si nulla in aeternum erit in coelo sitis, ergo nullum ibi deerit bonum, nam quod deest bonum, utique desiderari potest. Sed si aeterna est vita, igitur ibi nulla corruptio, nulla passio, nam quod corrumpitur et patitur a contrario, non potest esse aeternum suapte natura, nisi ex divina operatione, ut ignis inferni et corpora damnatorum.

Salus ergo quam Christus dat, est vita aeterna animae et corporis.

Fons aquae salientis in vitam aeternam. In vita aeterna salus ista consistit : vita aeterna animae : *Reportantes finem fidei vestrae salutem animarum* vestrarum, [62] et vita aeterna corporis : *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae;* [63] *Resplenduit facies eius sicut sol.* [64] Sed ut Christus vere possit mortalibus vitam aeternam conferre, necesse est ut sit *puteus iuramenti,* puteus se-

51) Cf. ibid. vr. 6. 52) Cf. ibid. vrr. 10-14. 53) Cf. ibid. vr. 18. 54) Cf. ibid. vrr. 21-24. 55) Cf. ibid. vr. 40. 56) Ibid. vr. 13. Vulg.: *Omnis qui bibit,* etc. 57) Ibid. vr. 16. 58) Ibid. vr. 17. 59) Ibid. vr. 26. 60) Cf. Gn 21, 19-33. 61) Io 4, 14. 62) 1 Petr 1, 9. *Vestrarum* lect. cod. 63) Phil 3, 20 sq. 64) Mt 17, 2.

p t e m , ut sit non cisterna dissipata, sed fons, puteus aquae vivae; [65] ut sit Deus, in quo praecipue septem considerantur: potentia, sapientia, bonitas, iustitia, misericordia, caritas infinita ac perpetua sempiternitas; aeternus enim et infinitus effectus non potest esse nisi ab aeterna et infinita causa, radius a sole. Deus est per quem iuratur; *puteus* igitur *iuramenti* est, puteus deitatis, p u t e u s s e p t e m , puteus omnis plenitudinis divinitatis.

quia ipse est vere fons divinitatis,

Sic puteum fontemque se Dominus esse ostendit dicens: *Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo et dedisset tibi aquam vivam.* [66] *Qui biberit ex aqua*, etc.; imo duplicis aquae fontem se Christus dicit, nam ait: *Dedisset tibi aquam vivam,* et deinde: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Nec immerito, nam Spiritus Sanctus aqua viva est et fons est aquae vivae. Sic Christus ait: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat... flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* [67] Christus fons est Spiritus Sancti, quoniam Spiritus Sanctus ab ipso procedit, et Spiritus Sanctus fons est gratiae et donorum. Gratia est aqua saliens *in vitam aeternam,* quoniam gratia meretur gloriam. Spiritus autem Sanctus aqua viva est: *Fons aquae salientis;* sed Christus est fons ipsius Spiritus Sancti et per consequens *fons* etiam *aquae salientis in vitam aeternam.*

et fons Spiritus Sancti, qui ab ipso procedit quique fons est gratiae et donorum.

Ut igitur Christus salutem hanc vitamque aeternam conferre posset, necesse fuit ut esset fons *iuramenti,* fons divinitatis, fons Spiritus Sancti et fons septem donorum Spiritus Sancti. Necesse fuit praeditum ipsum esse omni plenitudine divinitatis, ut deitatis aqua esset in vase humanitatis; necesse fuit praeditum esse infinita aeternitate, potentia, sapientia, bonitate, iustitia, misericordia et caritate Dei. Necesse fuit ut esset homo *iudaeus,* homo divinus; יְהוּדָה [68] enim nomen est constans ex nomine tetragrammaton יְהוָֹה et littera ד in medio posita, quae duabus lineis constans et quaternarium valens, humanam designat naturam anima et corpore coniunctis et essentia, vita, sensu ac intellectu constantem.

Iure ergo Christus fons est salutis, quia Deus homo;

65) Cf. Ier 2, 13. 66) Io 4, 10. 67) Ibid. 7, 37-39. 68) Ms.: יהודה, et infra: יהוה.

hinc vere ipse *donum Dei* est, quia de coelo descendit, *Dominus*, quia Deus,

Sed homo divinus in terra reperiri non poterat; necesse fuit ut de coelo descenderet, hinc *donum Dei* est: *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* [69] *Parvulus... natus est nobis et filius datus est nobis;* [70] *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo.* [71] Quia vero de coelo descendit verus Deus, hinc Dominus est universi: *Domine, da mihi hanc aquam. Dominus* dicitur absolute, quia universorum Dominus est; sed quia non venit in maiestate et gloria, sed in humilitate, dicitur *Propheta: Domine, ut video, propheta es tu,* homo divina praeditus tum sapientia tum sanctitate, homo omni gratia Spiritus Sancti plenus. Et adhuc, quia non tantum gratia plenus erat, sed etiam gloria, vere beatus in anima, etsi non corpore, dicitur *Messias*, unctus Rex gloriae. Verum non ad regnandum venit Christus in mundum, sed ad docendum et praedicandum scientiam salutis, hinc dicitur *Magister: Rabbi, manduca.* Quia vero doctrinam hanc verae vivaeque fidei sequitur gloria et salus aeterna, ideo tandem dicitur *Salvator mundi:* Nos *audivimus et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi; hic,* non alius: *Non enim est aliud sub coelo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri,* [72] nisi in nomine Iesu.

Propheta, quia divina praeditus sapientia et sanctitate, *Messias*, quia rex, *Salvator*, quia vere salus et vita nostra.

Christus Salvator mundi dignoscitur ex iis quae fecit et docuit;

VI. Ad salvandum autem nos primo quidem Christus venit in civitatem Samariae a Iudaea, a regno Dei in terram Gentium idololatrarum: *Exivi a Patre et veni in mundum;* [73] descendit de coelo in terram. Nec tantum venit, sed etiam *fatigatus ex itinere: Oportuit Christum pati,* [74] oportuit Christum fatigari ex itinere: multa pati; sedere sic fatigatum: mori in cruce; [75] petere parum aquae: *Cum dives esset, propter nos egenus factus est;* [76] promittere aeternam felicitatem praedicando, revelare occulta peccata instituendo sacramentum Poenitentiae post Baptismum, docere quae spectant ad cultum Dei: *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare;* [77] *in spiritu,* non carnaliter ut Iudaei, *in veritate* fidei, non in falsa religione ut Gentiles; *adorare* autem ubique, non in uno tantum determinato loco, quoniam ubique est Deus; tandem manere

69) Io 3, 16. 70) Is 9, 6. 71) Io 3, 13. 72) Act 4, 12. Vulg.: *Nec enim aliud nomen est sub coelo,* etc. 73) Io 16, 28. 74) Lc 24, 26. Vulg.: *Oportuit pati Christum.* 75) Cf. Io 19, 1-30. 76) 2 Cor 8, 9. Vulg.: *Propter vos egenus factus est, cum esset dives.* 77) Io 4, 24.

in mundo hoc multis diebus ad operandam salutem nostram, ad plantandam firmandamque fidem.

ostenditur autem hodie eius ardens desiderium salutis nostrae;

Sic Christus vere *Salvator* est *mundi*. Hoc ipsius est munus, hoc officium, haec ipsius ars et professio. Bone Deus, quale desiderium videmus hodie in Christo salutis nostrae! Erat Christus *fatigatus ex itinere*, sitiebat, esuriebat, sed desiderium salutis vicit famem sitimque. Multo igitur maius fuit salutis nostrae desiderium quam sitis famesque. Sic Christus vere iustitiam esuriebat ac sitiebat. [78]

sed ut Salvator sit requirit a nobis fidem, poenitentiam et pietatem in Deum.

Sed sciendum nobis est, fratres, quod Christus requisivit a samaritide aquam. Erat mulier, erat paupercula; modicum tamen aquae dare utique poterat, cum esset in puteo. Requirit ab ea fidem: *Mulier, crede mihi;* requirit cognitionem divinorum beneficiorum: *Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere;* requirit petitionem aquae vivae et aeternae: *Petisses ab eo et dedisset tibi aquam vivam;* requirit agnitionem et confessionem peccati: *Vade, voca virum tuum;* [79] requirit verum cultum Dei in spiritu et veritate: *Pater tales quaerit qui adorent eum in spiritu et veritate.* [80]

Ostendit hodiernum Evangelium Christum perfectum Salvatorem,

VII. In sacrosancto itaque hodierno Evangelio Ioannes totus mihi esse videtur ut ostendat Christum mundi Salvatorem esse, sicut Samaritani hodie, agnito Christo, fatentur: Nos *audivimus et scimus quia hic est vere Salvator mundi.* Salvator autem dicitur qui salutem affert. Quidnam autem sit salus haec, ostendit hodiernum Evangelium esse vitam aeternam. Salus quidem haec duo importat: liberationem ab omnibus malis et collationem omnium bonorum. Haec duo Christus hodie expressit dicens: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum,* hoc est: in sempiternum nullam penitus indigentiam aut vitae necessitatem patietur: *Et aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Ob haec duo praefiguratus Christus est in Iosue, qui populum Dei ab arido et horrido deserto introduxit, transito Iordane, in terram promissionis [81] fluentem lac et mel, [81a] idest omnium bonorum copia et abundantia affluentissimam. Sed non fuit Iosue perfectus salvator, non enim ipse populum eduxit a durissima servitute maximaque afflictione quam in Aegypto

quia liberat nos a malis omnibus et confert omnia bona;

78) Cf. Mt 5, 6. 79) Io 4, 16. 80) Ibid. vr. 23. Ordine inverso affert pericopen hanc.
81) Cf. Ios 4, 1 sqq.; 12, 1 sqq. 81a) Cf. Ex 3, 8. 17; Nm 13, 28; Dt 6, 3; Ios 5, 6.

patiebatur; hoc enim Moyses egit.[82] Perfecta igitur salus importat liberationem et securitatem ab omnibus malis et perpetuam copiam ac affluentiam omnium bonorum.

liberat enim ab inferno et nobis meruit gloriam paradisi.

Si quis, o fratres, intelligeret cruciatum epulonis in inferno et Lazari consolationem in sinu Abrahami,[83] si quis infernum videret apertum coelumque apertum et universam cum Stephano gloriam paradisi cerneret,[84] hic sciret quidnam sit Christum mundi Salvatorem esse. Ad salutem enim hanc intelligendam opus est intelligere aeterna mala quae patiuntur damnati in inferno, et sempiterna bona quibus perfruuntur electi in paradiso. Qui enim a Christo salvatus non fuerit, hic sitiet in aeternum famemque patietur aeternam et omnia mala, privationem omnium penitus bonorum cum epulone et sempiternos cruciatus. Haec igitur est salus: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* O felices et ter quaterque beatos qui salutem hanc consequuntur!

Speciale Christi munus est animas salvare,

VIII. Nos *audivimus et scimus quia hic est vere Salvator mundi.* Dicitur autem Christus *Salvator mundi,* quia hoc ipsius munus est et officium, sicut quis dicitur pastor, quia eius ars est gregem pascere. Christus autem ad hoc venit in mundum, ad salvandum mundum.[85] Sed quis nesciat quod omnis artifex cupit in sua arte et professione excellentissimus esse suaque opera taliter efficere, ut ab omnibus laudem summam mereantur? Sic videmus in pictoribus, in architectis et in omnibus artificibus. Cum autem Christi opus sit animas salvare, hoc ipse summopere desiderat. Haec enim est Christi sitis, hinc aquam petit a samaritana: Mulier, *da mihi bibere.*

ideo hoc super omnia quaerit sicut ostendit hodie

Et hoc Christus multo magis desiderat quam esuriens panem ad manducandum; sic enim hodie habemus quod, cum iam esset meridies, hora utique comedendi, et Christus fatigatus ex itinere esuriret et sitiret, invitatus a discipulis, qui cibos emptos ad manducandum a civitate attulerant, ut manducaret: *Rabbi, manduca,* respondit: *Ego* alium *cibum habeo manducare, quem vos nescitis... Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius.*[86] Du-

82) Cf. Ps 104, 28-37. 83) Cf. Lc 16, 19-24. 84) Cf. Act 7, 55. 85) Cf. Lc 19, 10; Io 3, 17; 1 Tim 1, 15. 86) Io 4, 32-34.

plicem patiebatur famem et sitim: corporalem et spiritualem: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam.* [87] Vult prius satisfacere fami spirituali, deinde corporali, imo contemnit corporalem famem ut spirituali satisfaciat, quod erat desiderium salutis mundi: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius.* Hoc, inquit, cibo delector, hunc panem desidero, *ut faciam voluntatem* Dei *et perficiam opus eius.* Sed *haec... est voluntas Dei, sanctificatio vestra;* [88] Deus *vult omnes homines salvos fieri.* [89] Salus igitur hominum Dei voluntas et desiderium est.

contemnens famem corporalem ut satisfaciat spirituali, quae erat salutis mundi desiderium.

Et hoc item opus Dei est; solus enim Deus potest hominem a peccato iustificare, gratia sua sanctificare vitaque et gloria sempiterna donare. Non id homo potuit, non Angelus, sed solus Deus, Christus Deus et homo. Hinc ait apud Isaiam: *Torcular calcavi solus et de gentibus non est vir mecum.* [90] Hinc dictus est *Sol iustitiae,* quia sicut unus tantum sol est qui potest nocturnas tenebras pellere et diem efficere, ita unus solus Christus verus Deus potest mundum salvare. Hoc autem est opus Dei perficere, nam mundus Dei opus est, omnia autem vitia animi et corporis imperfectiones sunt; hinc Christus ut factis ostenderet se mundi Salvatorem esse, omnia fere miracula sua operatus fuit tollendo ab hominibus imperfectiones, sanando infirmos, [91] illuminando caecos, [92] mundando leprosos, [93] suscitando mortuos non tantum corpore, [94] verum etiam spiritu. [95] Sic inquit: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius; Misit Deus Filium suum... ut salvetur mundus per ipsum.* [96] Christus igitur, cum sit opifex humanae salutis, opus quidem hoc non tantum vult facere, sed etiam perfectum facere. Hinc ait: Facere voluntatem et perficere opus eius.

Solius Dei est hominem iustificare et gloria aeterna donare; hoc egit Christus et dictis et factis.

IX. Quoniam vero salvare homines opus est et ars Christi, profecto videmus Christum multa usum arte ad samaritidem convertendam. Sedens enim expectavit eam, coepit loqui cum ea petendo aquam: Mulier, *da mihi bibere.* Asperam eius responsionem et obiur-

Desiderium hoc Christi elucet etiam in iis quae egit ad convertendam samaritidem;

87) Mt 5, 6. 88) 1 Thess 4, 3. 89) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult,* etc.
90) 63, 3. 91) Cf. Mt 8, 1-17; 9, 1-8. 20-22. 35; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 92) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35-43; Io 9, 1-7.
93) Cf. Mt 8, 1-3; Lc 17, 12-14. 94) Cf. Mt 9, 18-25; Lc 7, 11-15; Io 11, 41-44.
95) Cf. Lc 7, 47 sqq.; 19, 9-10; Io 8, 11. 96) Io 3, 17.

gationem patienter tulit: *Quomodo tu, iudaeus cum sis, bibere a me poscis, quae sum mulier samaritana?* [97] Negat Christo potum aquae et dure etiam respondet. Christus autem dulci quodam modo incipit eam instruere ac veluti catechizare: *Si scires donum Dei et quis est,* etc.; sic tandem sacro colloquio eam convertit. Ubi ostendit Christus quanti faciat salutem unius animae. Pro salute quidem mundi Christus passus est, cuius passio in hodierna fatigatione designatur; instituit Sacramenta gratiae, quae designatur per fontem Iacob, hic enim tertius patriarcha tertiam figurat in Divina Trinitate Personam; operatus est miracula, sicut divino miraculo Christus hodie samaritidi revelavit secreta cordis; praedicavit Evangelium, sicut hodie samaritidem instruxit docens quaenam facienda sunt ad consequendam vitam aeternam: quod Dei cognitione opus est: *Si scires donum Dei*, etc., Christi fide: *Mulier, crede mihi;* opus oratione ad impetrandam gratiam Dei: *Tu petisses... et dedisset tibi aquam vivam* salientem *in vitam aeternam;* opus est poenitentia peccatorum, ad quam Christus hodie peccatricem mulierem induxit manifestando ei peccata superioris vitae, [98] non enim gratia Dei simul cum peccato stare potest; opus est divino cultu: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate; nam... spiritus est Deus, et eos qui,* etc. Sed hodie pro salute unius animae videmus Christum fatigatum et humiliatum; humiliat enim se petendo potum aquae et patienter ac humiliter instruit et catechizat samaritidem, ut eam ad Deum convertat et salvet.

sicut enim pro salute mundi tanta fecit et passus est,

sic multa etiam fecit pro salute huius tantum animae.

II. ALIA HOMILIA

Qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum. [1]

I. Sicut Moyses duo statuit genera aquarum: has quidem terrenas sub firmamento, alias vero coelestes supra firmamentum, [2] ita Christus duplicem statuit hodie aquam vivam: unam quidem terrenam, hominibus animalibusque communem: *Ipse ex eo bibit et filii eius*

Loquitur Christus in hodierno Evangelio

97) Ibid. 4, 9. 98) Cf. ibid. vrr. 17-18.

1) Io 4, 13-14. Vulg.: *Qui bibit ex aqua hac,* etc. 2) Cf. Gn 1, 7.

et pecora eius; [3] alteram vero quam dicit aquam vivam, extinguentem sitim in aeternum et salientem in vitam aeternam. Nec tantum Christus hodie duplicem aquam, sed duplicem etiam panem cibumque statuit. Nam, cum emissent discipuli panem, dixerunt Christo : *Rabbi, manduca;* at ipse ait : *Ego* alium *cibum habeo manducare, quem vos nescitis . . . Meus cibus est ut faciam voluntatem* Patris mei *qui misit me, ut perficiam opus eius.* [4] Statuit Dominus panem hunc et hanc aquam faciens nobis convivium, veluti Deus Hebraeis in deserto ex manna coelesti [5] et aqua ex lapide magno miraculo educta. [6]

de duobus generibus cibi et potus,

Sunt autem haec duo bonorum genera : spiritualium et carnalium, terrenorum et coelestium, temporalium et aeternorum. Sicut enim duplici substantia et natura constat homo : altera quidem coelesti, spiritali et angelica, altera vero terrena, animali et corporea; sic Deus voluit ut in terris positus duplicem vitam duceret : alteram quidem angelicam, alteram vero animalem. [7] Hinc duplicem ei formam providit : animam ad informandum corpus, et Spiritus Sancti gratiam ad informandam animam, quo vitam duceret angelicam atque divinam, ad hoc enim coelitus datus fuit Spiritus Sanctus, qui hodie per fontem *aquae* vivae *salientis in vitam aeternam* [8] designatur. Sic et duorum generum bona providit : corporalia pro vita animali, et spiritualia pro vita divina. Haec est manna verorum Hebraeorum in deserto, illa vero carnes sunt, cepae et allia Aegypti.

quia duo sunt genera bonorum: terrenorum et coelestium, pro duplici vita hominis: animali et divina.

II. Carnales autem Hebraei coelestem cibum et Angelorum panem nauseantes, Aegypti carnes appetiere. [9] Sic hodie samaritis, priusquam a Christo conversa esset adhuc carnalis, nonnisi terrenas aquas exquirebat. A Christo autem conversa, terrenis relictis et oblivioni datis : *Reliquit . . . mulier hydriam suam,* [10] coelestes tantum appetiit, facta similis ei qui thesaurum invenit in agro absconditum et pretiosam margaritam. [11] Erat prius samaritana similis ei qui, magnis cum febribus laboret sitique maxima exaestuet, nonnisi aquam sitit cupitque, hanc petit, de hac semper cogitat ; omnes fontes, puteos aquasque currentes, quas unquam viderit, mente versatur proponitque,

Sicut terreni homines sola terrena bona quaerunt, sic samaritana ante conversionem;

3) Io 4, 12. 4) Ibid. vrr. 31-34. 5) Cf. Ex 16, 13 sqq. 6) Cf. Ibid. 17, 2-6; Nm 20, 8-11. 7) Ms.: *Altera quidem angelica, altera vero animalis.* 8) Io 4, 14. 9) Cf. Nm 11, 4-18. 10) Io 4, 28. Vulg.: *Hydriam suam mulier.* 11) Cf. Mt 13, 45-46.

incolumitate et viribus resumptis, se ad eas abiturum et ad satietatem ingurgitaturum. At vero, relictus a febribus, sitis illo ardore extincto, valetudine recuperata, etiam si ad fontes accesserit, aquas illas vix labiis extremis attinget.

post conversionem autem sola coelestia desiderat,

Sic, inquam, samaritanae hodie accidit. Et hoc est quod Christus ait : *Qui... biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons.* Venerat samaritana sitibunda ad hauriendam aquam, nec alius animus erat ; et, invento et cognito Christo, gustato spiritu Christi, cum bibisset aquam Christi, non solum aquam putei terreni reliquit, verum etiam hydriam. Sic Apostoli, cognito Christo, *relictis omnibus, secuti sunt eum.*[12]

qui enim Christum cognoscit, contemnit temporalia et spiritualibus tantum delectatur.

Qui Christum cognoscit eiusque virtutem experitur, spernit ex alto temporalia terrenaque bona et spiritualibus tantum delectatur, dicens cum Christo : *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius.* Qui thesaurum invenit in agro, vendidit omnia ut agrum illum emeret. Mercator, qui pretiosam margaritam invenit, dedit omnia sua et comparavit eam.[13] Sic samaritis, cognito Christo, *reliquit... hydriam suam,* non curavit amplius aquas ad quas hauriendas advenerat.

Fortunatissima haec mulier, quae Christum invenit

Accidit samaritidi hodie sicut Rebeccae, quae iuxta fontem invenit Eliezer, qui ad hoc venerat ut eam desponsaret Isaac filio domini sui Abraham, cum tamen ipsa non veniret nisi ad hauriendam aquam ; sed divina dispositione divinoque spiritu ducta venit ad fontem, ubi Eliezer orabat ad Deum.[14] Accidit sicut Racheli, quae pergens ad puteum ad hauriendam aquam, invenit ibi Iacob, cuius postea sponsa dilectissima facta fuit ;[15] accidit sicut Sephorae filiae Iethro sacerdoti Madian, quae iuxta fontem invenit sanctum Moysen, cuius postmodum uxor facta fuit ;[16] sic hodie per fidem Christo desponsata haec fuit. Accidit sicut Sauli, qui pergens ad Samuelem ut peteret ab eo de perditis animalibus, invenit regnum Israel, quod minime quaerebat ;[17] haec autem regnum coeleste vitamque aeternam invenit et fontem *aquae salientis in vitam aeternam.* Accidit sicut homini fodienti terram et invenienti thesaurum, salutem enim consecuta

12) Lc 5, 11. 13) Breviarium Rom. Commune Virginum, antiph. ad *Benedictus.*
14) Cf. Gn 24, 10 sqq. 15) Cf. ibid. 29, 1-30. 16) Cf. Ex 2, 10-21. 17) Cf. 1 Rg 9, 3-10, 1.

est : *Salus ex Iudaeis est;* [18] hic homo iudaeus salvator est mundi. Haec salus donum Dei est ineffabile et incomprehensibile : *Si scires donum Dei!* [19] Dicitur autem absolute *salus,* sicut Deus absolute dicitur *Ens: Ego sum qui sum,* [20] quia salus est omnino perfecta, cui nihil penitus deest, sed homini affert omne desiderabile bonum.

et vitam aeternam regnumque coeleste.

III. Egit hodie Christus cum samaritide sicut in *Deuteronomio* praeceptum legimus, ut si iudaeus mulierem bello captam ducere vellet in uxorem, tonderet capillos eius, amputaret ungues et mutaret vestimenta illius, [21] sic nudam omnino acciperet, omnibus superfluis abiectis. Ita Christus volens hodie alienigenam mulierem sibi desponsare per fidem, mutavit vestimenta ipsius, exuit vitiis, induit virtutibus, resecavit omnia superflua, nam: *Reliquit... mulier hydriam suam;* sic enim nudam animam quaerit Christus. Expoliavit eam malis habitibus; erat enim samaritana, ex civitate Sichem. Erant autem Samaritani tunc veluti quos nos modo dicimus m a r r a n o s, qui sunt religione partim christiani et partim Iudaei. [22] Sic Samaritani erant partim Gentiles et partim Iudaei, Deum enim verum cum Iudaeis colebant et idola cum Gentilibus, habebantque libros Legis Moysi, non autem alios sacros libros. Cum enim a Salmanasar populus decem tribuum ductus esset in captivitatem, misit rex gentes aliarum nationum ad habitandam regionem Samariae. Sed quoniam a leonibus et aliis feris bestiis infestabantur, arbitrati quod hoc acciderit eis quoniam nesciebant cultum Dei regionis illius, misit ad eos rex sacerdotem levitam, qui eos docuit legem Moysi. [23] Sic acceperunt legem divinam formidine poenae, non virtutis amore. [24]

In huius mulieris conversione ostenditur admirabilis ars Christi,

18) Lc 4, 22. 19) Ibid. vr. 10. 20) Ex 3, 14. 21) Cf. 21, 11-13.

22) *Marrano,* vox italica significans infidelem et speciatim mahumetanum. Communiter autem adhibetur ad significandum hominem qui promissis non stat, nec fidem promissam exolvit, quin potius violat; vel etiam contumacem, rebellem, superbum, insolentem. Deducta fuit a voce iberica: *marano;* sic enim in Hispania appellabantur contemptus causa Mauri, qui ficte tantum vel coacte ad religionem christianam convertebantur, tempore praesertim Ferdinandi Catholici Hispaniarum regis. Cf. Riguttini e Fanfani *Vocabolario Italiano della Lingua parlata,* sub hac voce. 23) Cf. 4 Rg 17, 1 sqq. 24) Ex Horat.:

« Oderunt peccare boni virtutis amore,
Tu nihil admittes in te formidine poenae ».

Epistolarum, lib. 1, epist. 16, vrr. 52-53; quod postea sic mutatum fuit:

« Oderunt peccare boni virtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine poenae ».

Hervieux *Les fabulistes Latins,* t. 5, pag. 704.

qua ex infideli et adultera omnibusque vitiis detenta fidelem et sanctam facit.

Erat igitur mulier samaritana et ex civitate Sichem, ubi filia Iacob constuprata fuit ; [25] erat infidelis et adultera, omnibus vitiis detenta carnis et spiritus. Sed sordidis his habitibus spoliat eam Christus, insuper et amorem terrenarum rerum aufert ab eius animo: *Reliquit . . . hydriam suam mulier.*

Ostenditur etiam admirabilis processus gratiae in conversione animae.


Venit mulier de Samaria haurire aquam. Mulieri huic paupertas et egestas fuit salutis occasio. Paupertas corporalis occasio spiritualium divitiarum, egestas temporalium bonorum occasio abundantiae aeternorum. Hoc autem quia Christus *fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem,* [26] peccatricem animam expectando, sicut aucupes avem. Erat prius samaritana veluti abyssus tenebrosa : *Tenebrae erant super faciem abyssi;* sed *dixit . . . Deus: Fiat lux. Et facta est lux;* [27] *Eratis . . . aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate;* [28] facta est in anima eius ex obscurissima nocte clarissimus dies. Sicut autem non statim uno momento fit ex nocte dies, sed prius surgit aurora incipitque dies illucescere ac tunc, orto sole, fit clarissimus dies, sic dies cognitionis Christi in mente samaritanae non uno momento factus est. Prius enim Christum omnino ignorabat, postea cognovit eum hominem iudaeum, sed contemptibilem, post modicum vero hominem quidem, sed honorabilem, hinc dominum illum appellavit honoris causa ; deinde eum prophetam esse cognovit : *Domine, ut video, propheta es tu;* [29] tandem cognovit eum esse verum Messiam: *Messias venit, qui dicitur Christus . . . Ego sum qui loquor tecum.* [30] Sic paulatim homo proficit in cognitione Dei. Nemo repente fit summus. [31]

et quid homini agendum ut salvetur.

Quoniam vero *Salvator mundi* hodie Christus dictus est, [32] considerandum est nobis quisnam sit iste Salvator, quid salus ista, quisnam est qui salvatur et quomodo salvatur ; hoc est quid agit Christus ad salvandum hominem et quid homini agendum sit ad salutem consequendam.

IV. *Venit mulier de Samaria haurire aquam.* Agitur in sacrosancto hodierno Evangelio de conversione Samaritanorum ad fidem

25) Cf. Gn 34, 1-3. 26) Io 4, 6. 27) Gn 1, 2-3. 28) Eph 5, 8. 29) Io 4, 19. Vulg.: *Domine, video quia propheta es tu.* 30) Ibid. vrr. 25-26. 31) Proverbium de quo S. Bernardus: « Sicut nemo repente fit summus, sed gradatim quisque ascendit, sic nemo repente fit pessimus, sed paulatim descendit ». *De Gradibus Humilitatis et Superbiae*, cp. 9, (P. L. 182, 956). 32) Cf. Io 4, 42.


Hodie igitur a Christo gentiles vocantur ad salutem, ut sit vere salvator mundi qui totus in
maligno positus est. salus autem importat liberationem ab omnibus malis culpe in hac vita et pene in
futura vita. collationemque omnium bonorum gratie in hoc seculo et glorie in futuro. hinc Christus
hodie samaritanam eruit vitiis induitque virtutibus sicut sol nubem tenebrarum radio
lucis suo luminis vestit. hec duo spectant ad presens tempus. ad futurum vero non sitiet
in eternum et fiet fons aque salientis in vitam eternam. sufficientia autem ad salutem hanc conse-
quendam fide in Christum opus est. sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret ut
omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam eternam. hinc de samaritanis hodie
nihil aliud legimus nisi quod crediderint in Christum corde. et hoc confessi sunt. nos audivimus et sci-
mus quoniam hic est vere salvator mundi. corde enim creditur ad iustitiam ore autem confessio fit ad sa-
lutem. ait enim scriptura omnis qui credit in illum non confundetur. et Christus a samaritana hodie non
nisi fidem expetit. mulier crede mihi. sed fide viva opus est. hec enim facit ut Christum cogno-
scamus. si scires donum dei. nos audivimus et scimus. facit ut speremus in eum speremusque gratiam
ab eo petamus. tu forsitan petisses et dedisset tibi aquam vivam. sic mulier mox ut credidit petiit
Domine da mihi hanc aquam. hec facit ut deum in spiritu et veritate adoremus quoniam deus spiritus est deus
charitas est. dicens. si non aliud quam fides ad salutem hanc consequendam requiritur omnes
salvi erimus. beati qui non viderunt et crediderunt. sed dicite mihi unde fit [illegible] quod
nos omnes in Christum credimus? adsint hic duo fontes aquarum. et alter quidem aquas habeat optimas alter
vero pessimas et lethiferas adsit autem vir qui omnibus bibere volentibus ad extinguendam sitim. bibite
ex aquis huius fontis quoniam he aque optime sunt et saluberrime. ne bibatis ex aquis fontis illius quia etsi
bone videntur et clare dulcesque sunt tamen pessime et morbis veneroque [venenoque] inficiunt. dicas mihi tu frater
si viro huic crederes ex quibusnam aquis biberes ex illis quas dixit optimas esse an ex illis quas di-
xit pessimas? hodie Christus proponit nobis duos fontes aquarum alter quidem bonorum spiritualium. alter bonorum
temporalium. ille fons est aque salientis in vitam eternam. iste fons aque descendentis in pro-
fundum abissi. quia impossibile est divitem intrare in regnum celorum. mortuus est dives et sepultus est in infer-
no. si vero credimus aquas illas optimas et saluberrimas esse. istas autem pessimas et veneratas [venenatas]. quid est quod
aquas illas contemnimus et istas avidis viribus expetimus? est fons Christi et fons mundi. Christus ait si quis
sitit veniat ad me et bibat. qui biberit ex aqua quam ego dabo ei non sitiet in eternum. sed fiet in eo
fons aque salientis in vitam eternam. omnes tamen currunt ad fontem aquarum mundanarum que quanto
quo plus sunt pote plus sitiuntur. sitimque potius accendunt quam extinguunt. si Christo crederemus ut
cum samaritana non diceremus Domine da mihi hanc aquam. samaritana statim ut credidit reliquit
hidriam quam utebatur ad hauriendam aquam ex alto puteo. ex quo non nisi cum magno la-
bore hauriri poterat aqua. non tamen inquam aquas contempsit sed et hidriam reliquit. solum cupiens
aquas Christi. que potata omnem extinguit sitim. omnes cupimus et pro viribus querimus quietam et tranquillam feliceque
vitam ducere absque animi perturbatione. docet Christus felicitatem nostram in bonis spiritualibus non corporalibus consistere in per-
aquas non terrenas. sed celestium. ideo ad has aquas invitat dicens omnes sitientes venite ad aquas et qui non habetis argentum
venite emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac. quare appenditis argentum non in panibus et laborem ve-
strum non in saturitate? [illegible] est quod aqua non solum sitim satisfacit sed et famem habemus, propterea sitias sicut manna quod famem
sitimque tollebat habemus, propterea [illegible] et tamen nos potius carnes egypti desideramus. quoniam igitur Christo vere credimus quoniam hec
fides est non viva [illegible] quod dicat Domine da mihi hanc aquam. qui petat aquam vivam tu forsitan petisses et dedisset ei

FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

(Pag. 272, n. VI)

Christi; et primo quidem de conversione unius tantum mulieris, deinde vero de conversione multorum hominum ac totius pene civitatis. Sicut autem Deus dedit Moysi exemplar tabernaculi ante constructionem, [33] sic samaritana hodie proponitur in exemplar conversionis totius gentilitatis et Ecclesiae ex Gentibus ad Christum conversae. Universa gentilitas prius erat sicut mulier ista samaritana, vitiis omnibus obruta mentis et corporis, quia infidelis erat et adultera, temporalium tantum bonorum sitibunda.

Ad convertendos Samaritanos Christus unius mulieris ministerio usus est,

Accidit hodie sicut Dominus in parabola dixit grani sinapis, *quod minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creverit, maius est omnibus oleribus et fit arbor.* [34] Ecce regnum Dei minimum : una tantum mulier credens in Christum ; sed ecce postea maximum : multi Samaritanorum crediderunt in Christum ac fere omnes. Ecce Christus minimus : *Quomodo tu, iudaeus cum sis, bibere a me poscis, quae sum mulier samaritana?* [35] Sed ecce maximus : Nos *audivimus et scimus quia hic est vere Salvator mundi.* [36] Sic Deus Abrahamo ex sterili et vetula muliere unum dedit filium, ex quo innumerabilis populus originem duxit. [37] Hoc proprium Dei est, ex minimis maxima facere, ex tenebris lucem producere, ex nihilo mundum universum verbo virtutis suae creare.

quia hoc est proprium Dei, ex minimis maxima facere.

Conversa est samaritana, sed iuxta fontem Iacob, quod Baptismi hieroglyphicum est ; in hoc enim sacro fonte divinitus infunditur fides. Ioannes autem capite praecedenti de Baptismi sacramento locutus est : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum.* [38] Sic etiam capite sequenti loquitur de sacramento Baptismi, quod in piscina figuratum fuit ubi sanabatur unus *a quacunque detinebatur infirmitate* lotus in eius aquis post Angeli descensum. [39] Sic Baptismi sacramentum animam iustificat atque sanctificat dignamque reddit vita aeterna, *fons* enim est *aquae salientis in vitam aeternam.*

Fons ubi Christus samaritidem convertit, Baptismi figura est.

V. Conversionem Samaritanorum comparat Christus messi : *Levate oculos vestros et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem. Et qui metit mercedem accipit et congregat fructum in vitam aeternam,*

Ad praedicandam fidem missi fuerunt Patriarchae et Prophetae;

33) Cf. Ex 26, 1 sqq. 34) Mt 13, 32. 35) Io 4, 9. 36) Ibid. v. 42.
37) Cf. Gn 17, 15-21. 38) Vr. 5. 39) Vr. 4.

ut et qui seminat simul gaudeat et qui metit. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, et alius est qui metit... Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis. [40] Seminaverunt Patriarchae et Prophetae fidem Christi. Samaritani autem credebant venturum Christum, sic enim ait mulier : *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus; cum* autem *venerit ille, nunciabit nobis omnia.* [41] Hanc autem fidem vel credulitatem non Apostoli, sed Patriarchae et Prophetae seminaverunt, sed Apostoli messuerunt. Post Christi enim ascensionem in coelum, praedicante Philippo, recepit Samaria verbum Dei, unde Apostoli *miserunt ad eos Petrum et Ioannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum,* et per impositionem manuum Apostolorum acceperunt Spiritum Sanctum. [42] Sic messis haec congregatur in vitam aeternam ; haec salus est de qua ait : *Quia salus ex Iudaeis est; Quia hic est vere Salvator mundi.*

sed quamvis fructum eorum praedicationis Apostoli messuerint,

Quamvis autem Patriarchae et Prophetae, qui Christi fidem praedicaverunt, non converterint Gentes ad Deum sicut Apostoli, non tamen privati sunt fructu laborum suorum, sed ait : *Ut qui seminat, simul gaudeat et qui metit.* Si enim gaudium magnum est in coelo *super uno peccatore poenitentiam agente coram Angelis Dei,* [43] qui ad peccatores convertendos nequaquam laboraverunt, quanto magis Patriarchae, Prophetae et Apostoli gaudio replentur in conversione Gentium, ob quam labores maximos sunt perpessi ? Hinc ait : *Qui metit, mercedem accipit et congregat fructum in vitam aeternam, ut... qui seminat simul gaudeat,* etc. O felices ac ter quaterque beatos verbi Dei praedicatores, qui ad hoc student et pro viribus laborant, ut peccatores ad Deum convertant ! Nam accipiunt mercedem, congregant fructum in vitam aeternam et gaudio inenarrabili perfruentur in coelo, quamvis non sint messores, sed seminatores ; quamvis, inquam, non multos ad Deum convertant, sufficit fecisse quod suum erat.

non tamen ipsi fructu laborum suorum privati sunt.

VI. Hodie igitur a Christo Gentiles vocantur ad salutem, ut sit *vere Salvator mundi,* qui *totus in maligno positus est.* [44] Salus autem importat liberationem ab omnibus malis culpae in hac vita et poenae in futura vita, collationemque omnium bonorum gratiae in hoc sae-

Perfecta salus importat liberationem a malis culpae in hac vita

40) Ibid. 4, 35-38. 41) Ibid. vr. 25. Vulg.: *Nobis annunciabit omnia.* 42) Act 8, 14-17. 43) Lc 15, 10. Vulg.: *Coram Angelis Dei super uno,* etc. 44) 1 Io 5, 19.

culo et gloriae in futuro. Hinc Christus hodie samaritanam exuit vitiis induitque virtutibus, sicut sol nubem tenebrosam radio lucis suae lumine vestit. Haec duo spectant ad praesens tempus, ad futurum vero : *Non sitiet in aeternum* et *fiet... fons aquae salientis in vitam aeternam.*

et poenae in futura;

Super omnia autem ad salutem hanc consequendam fide in Christum opus est : *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [45] Hinc de Samaritanis hodie nihil aliud legimus, nisi quod crediderunt in Christum, corde et ore confessi sunt : Nos *audivimus et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi; Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem; ait enim Scriptura: Omnis qui credit in illum non confundetur.* [46] Et Christus a samaritana hodie nonnisi fidem exposcit : *Mulier, crede mihi.* [47] Sed fide viva opus est, haec enim facit ut Christum cognoscamus : *Si scires donum Dei!* Nos *audivimus et scimus;* facit ut speremus in eum sperantesque gratiam ab eo petamus : *Tu forsitan petisses... et dedisset tibi aquam vivam.* [48] Sic mulier mox ut credidit, petiit : *Domine, da mihi hanc aquam.* [49] Haec facit ut Deum *in spiritu et veritate* [50] adoremus, quoniam Deus spiritus est, *Deus caritas est.* [51]

requiritur autem ad hoc fides viva in Christum.

Dicetis : Si non aliud quam fides ad salutem hanc consequendam requiritur, omnes salvi erimus : *Beati qui non viderunt et crediderunt.* [52] Sed dicite mihi : Unde scire possum quod vos omnes in Christum credatis ? Adsint hic duo fontes aquarum, et alter quidem aquas habeat optimas, alter vero pessimas et letiferas ; adsit etiam vir qui omnibus bibere volentibus ad extinguendam sitim [dicat] : Bibite ex aquis huius fontis, quoniam hae aquae optimae sunt et saluberrimae, ne bibatis ex aquis fontis illius, quia etsi bonae videntur et clarae dulcesque, sunt tamen pessimae et morbis venenoque inficiunt ; dicas mihi tu, frater, si viro huic crederes, ex quibusnam aquis biberes ? Ex illis quas dicit optimas esse, an ex illis quas dicit pessimas ?

Non ergo credendum est mundo, qui offert bona quae animas perdunt,

Hodie Christus proponit nobis duos fontes aquarum : alterum quidem bonorum spiritualium, alterum [53] bonorum temporalium. Ille

sed Christo,

45) Io 3, 16. Vulg.: *Qui credit in eum,* etc. 46) Rom 10, 10-11. Vulg.: *Dicit enim Scriptura,* etc. 47) Io 4, 21. 48) Ibid. vr. 10. 49) Ibid. vr. 15. 50) Ibid. vrr. 23-24. 51) 1 Io 4, 8. 16. 52) Io 20, 29. 53) Ms.: *Alter... alter.*

qui fons est bonorum quae vitam aeternam conferunt;

fons est *aquae salientis in vitam aeternam*, iste fons aquae descendentis in profundum abyssi, quia impossibile est divites intrare in regnum coelorum: [54] *Mortuus est... dives et sepultus est in inferno.* [55] Si nos credimus aquas illas optimas et saluberrimas esse, istas autem pessimas et venenosas, quid est quod aquas illas contemnimus et istas summis viribus expetimus? Est fons Christi et fons mundi. Christus ait: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat;* [56] *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed... fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Omnes tamen currunt ad fontem aquarum humanarum, quae quidem

« Quo plus sunt potae plus sitiuntur » [57]

sitimque potius accendunt quam extinguant. [58] Si Christo credimus, cur cum samaritana non dicimus: *Domine, da mihi hanc aquam?*

nam vera felicitas non in bonis corporalibus, sed in spiritualibus consistit.

Samaritana statim ut credidit, reliquit hydriam qua utebatur ad hauriendam aquam ex alto puteo, ex quo nonnisi cum magno labore hauriri possunt aquae. Non tantum, inquam, aquas contempsit, sed etiam hydriam reliquit, solum cupiens aquam [59] Christi, quae potata omnem extinguit sitim. Omnes cupimus et pro viribus quaerimus quietam et tranquillam felicemque vitam ducere, absque animi perturbatione. Docet Christus felicitatem mentis in bonis spiritualibus, non corporalibus consistere, in potu aquarum non terrenarum sed coelestium. Ideo ad has aquas invitat dicens: *Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum... venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus et laborem vestrum non in saturitate?* [60] Mirum est quod aqua non solum siti satisfacit, sed etiam fami hominemque perfecte satiat, sicut manna quod famem sitimque tollebat hominemque perfecte sustentabat; et tamen nos potius carnes Aegypti desideramus. Quomodo igitur Christo vere credimus? Quaenam haec fides est nostra? Vix reperitur qui dicat: *Domine, da mihi hanc aquam*, qui petat aquam vivam: *Tu forsitan petisses... et dedisset,* [61] etc.

54) Cf. Mt 19, 23-26; Mc 10, 23-27; Lc 18, 24-27. 55) Lc 16, 22. 56) Io 7, 37. 57) Ovid. *Fast.*, lib. 1, vr. 216. 58) Ms.: *Extinguat.* 59) Ms.: *Aquas.* 60) Is 55, 1-2. 61) Hic desinit codex nr. 5 et in sequenti incipit alia homilia huius Feriae. Cf. quae diximus in *Praefatione* part. 1 huius *Quadragesimalis.*

III. ALIA HOMILIA[1]

Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem. Hora autem *erat quasi*, etc. [2]

I. Mirabile dictu est quod Iesus, qui dicit se habere aquam vivam fontemque se esse *aquae salientis in vitam aeternam*, [3] sitit et petit aquam; ait enim ad mulierem samaritanam: *Da mihi bibere.* [4] Si fons est aquae vivae, quomodo sitit? Sed Christus petra est deserti, quae arida quidem et sicca videbatur, sed in sinu suo continebat aquas ad extinguendam sitim universo populo; [5] tabernaculum Domini est extrinsecus opertum pellibus mortuorum animalium, [6] sed intus thesaurum continebat omnium bonorum Dei. [7] Voluit Christus pauperrimus et ditissimus esse, carere bonis corporalibus, et aeternis abundare ac spiritualibus. Horum fuit vivus et perennis fons.

Mirum videri potest quod Christus se dicat fontem aquae et tamen sitiat.

Ostendit autem sacrosanctum hodiernum Evangelium Christi paupertatem et divitias, humilitatem et gloriam, labores et quietem, sicut in mundo hoc contraria videmus: lucem et tenebras, diem et noctem, etc. *Fatigatus ex itinere*, ecce labor; *Sedebat... supra fontem*, ecce quies; *Da mihi bibere*, ecce paupertas; *Dedisset tibi aquam vivam*, [8] ecce divitiae; *Quomodo tu, iudaeus cum sis*, [9] ecce humilitas; *Hic est... Salvator mundi*, [10] ecce gloria. *Fatigatus... sedebat: Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam.* [11] Fatigari voluit ut acquireret aeternam nobis quietem, ut ostenderet quod plus diligebat nos quam propriam vitam. Hinc hodie reliquit potum et cibum sitiens et esuriens, ut salutem nostram operaretur. Hodie Christus pro uno aquae potu obtulit samaritanae regnum coelorum, regnum Dei, gloriam paradisi, non quidem ex sensualitate, sicut Esau dedit primogenituram suam pro uno lentium ferculo, [12] sed ex caritate: Si quis dederit unum *calicem aquae frigidae* in nomine meo, *non perdet mercedem suam.* [13] Bone Deus, quidnam est hoc? Pro uno potu aquae frigidae Christus dat vitam aeternam? *Si scires donum Dei et quis*

Ostendit autem hodiernum Evangelium Christi humilitatem et gloriam, labores et quietem.

1) Incipit alius codex et repetitur inscriptio huius Feriae. 2) Io 4, 6. Vulg.: *Supra fontem*, etc. *Autem* lect. cod. 3) Ibid. vr. 14. 4) Ibid. vr. 7. 5) Cf. Ex 17, 6; Nm 20, 11. 6) Cf. Ex 36, 19. 7) Cf. ibid. 40, 18. 8) Io 4, 10. 9) Ibid. vr. 9. 10) Ibid. vr. 42. 11) Lc 24, 26. 12) Cf. Gn 25, 29 sqq. 13) Mt 10, 42.

est qui dicit tibi : Da mihi bibere, tu... petisses ab eo et dedisset tibi aquam vivam[14] salientem in vitam aeternam.

Huius civitatis una mulier olim causa fuit ruinae, nunc alia mulier causa est salutis.

II. *Venit Iesus in civitatem*, etc. Civitatis huius quondam mulier causa ruinae fuit, hodie vero causa salutis est. In hac civitate accidit stuprum Dinae filiae Iacob. Egressa enim ad videndas mulieres regionis illius, a Sichem principis filio regionis illius adamata et constuprata fuit, unde orta fuit totius civitatis ruina.[15] Samaritidi autem huic contrarium accidit. Illa intrando in civitatem adamata fuit a filio terreni principis et ex virgine facta est corrupta ; haec autem exeundo a civitate inventa est a Filio Principis coelestis et sanctificata ab eo est factaque per fidem in spiritu ex corrupta virgo. Illius causa occisi fuerunt a filiis Iacob omnes homines illius civitatis ; huius autem causa a Christo Filio Dei salvati sunt : *Hic est vere Salvator mundi.* Illa civitatem ingressa fuit ex vana curiositate, haec autem egressa est ex vera necessitate. Hinc illa diabolum, haec autem Christum invenit ; illa perditionem, ista salutem ; illa ex sancta peccatrix, haec autem ex peccatrice facta est sancta. Sic mundus damnat animam perditque omnem animi virtutem ; Christus vero salvat animam reparatque omnem animi virtutem et integritatem.

Principium conversionis est gratia quae *a*) disponit et praevenit animam,

III. Ostenditur in hodierno Evangelio modus perfectae conversionis animae peccatricis ad Deum. Principium conversionis est gratia praeveniens: *Inventus sum a non quaerentibus me, palam apparui iis qui me non interrogabant.*[16] Sic Christus praevenit samaritanam, expectavit sedens super fontem, quasi occasionem quaerens. Ab aliqua veluti casuali occasione, ut plurimum, incipit conversio ; sed non a casu est, sed a dispositione divinae providentiae : sedebat Christus expectans samaritanam.

b) movet et excitat,

Secundo, immittit aliquam bonam inspirationem, ut faciat homo aliquod bonum opus propter Deum : *Da mihi bibere.* Carnalis autem et mundanus animus reicit primo divinam inspirationem ob respectus humanos : *Non... coutuntur Iudaei Samaritanis.*[17] Si incipiam hoc

14) Io 4, 10. 15) Cf. Gn 34, 1 sqq. 16) Is 65, 1. Affert ex Rom 10, 20.
17) Io 4, 9.

facere, quid dicet mundus? Si viderit me Sacramenta et orationem frequentare, contemnet, irridebit, subsannabit me. Sed pergit Christus.

Tertio loco incipit Christus loqui ad cor satagitque accendere desiderium bonorum spiritualium: *Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi*, etc.; praedicat cordi humano bonitatem Dei. c) accendit desiderium bonorum spiritualium,

Quarto loco declarat animae vanitatem temporalium bonorum: *Qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum.* [18] Aqua fontis Iacob non extinguit sitim; fontis, inquam, non Israel, quod nomen est gratiae, sed Iacob, quod est nomen naturae, [19] fons aquarum quae communes sunt hominibus et animalibus: *Ipse ex eo bibit et filii eius et pecora eius.* [20] Has tamen aquas quaerit mundus carnalium voluptatum, quoniam has gustavit; has quaerit animalis homo motus exemplis multorum et praesentium et antiquorum: *Ipse ex eo bibit et filii eius.* d) ostendit vanitatem corporalium,

Quinto loco Christus declarat naturam et conditionem bonorum spiritualium: *Qui biberit ex aqua, quam ego*, etc.; [21] sic accendit desiderium gratiae et gloriae in anima. e) accendit desiderium gratiae,

Sexto loco deducit animam in cognitionem suiipsius, ut cognoscat peccata sua eaque vere confiteatur, eamque divinum cultum et religionem docet. Et tandem, septimo, dat animae claram perfectamque cognitionem maiestatis suae, ac tunc anima, invento tali tantoque thesauro, vadit et vendit omnia quae habet ut emat eum: [22] *Reliquit ... hydriam suam;* [23] *Reliquimus omnia et secuti sumus te.* [24] f) deducit in cognitionem suorum peccatorum g) et maiestatis divinae.

IV. In sacrosancto hodierno Evangelio proponitur nobis duplex conversio: altera quidem particularis unius mulieris samaritidis, altera vero universalis unius civitatis. Et Dominus hodie totus intentus videtur conversioni et saluti animarum, adeo ut nec comedere libeat, quamvis esuriens et sitiens necessitatem habeat comedendi. Proponitur hodie conversio particularis mulieris et universalis civitatis.

Accidit hodie veluti si a rege dentur pictori excellentissimo duae imagines, pulcrae quidem, sed vetustate corrosae et deformatae, ad eas renovandas ac restituendas pristinae pulcritudini. Sint autem imagines altera quidem parva filiae regis, cum parva esset, altera magna reginae, cum esset iuvenis et sponsa. Accipit pictor imagines vetustate confectas, incipit renovare minorem summa arte et diligentia Veluti pictor unice intentus ad reformandam reginae alicuius imaginem,

18) Ibid. vr. 13. Vulg.: *Qui bibit*, etc. 19) *Israel* enim vocatus fuit a Deo, cf. Gn 31, 10, *Iacob* autem a matre, cf. ibid. 25, 25. 20) Io 4, 12. 21) Ibid. vr. 14.
22) Cf. Mt 13, 46. 23) Io 4, 28. 24) Mt 19, 27.

utens omneque studium adhibens ut opera grata sit regi. Laboravit toto mane usque ad horam prandii prioremque imaginem adamussim absolvit. Sed adeo desiderat morem gerere regi et, quantocius finita opera, ei praesentare, ut statim, absoluta priori imagine, alteram in manus accipiat, et quamvis sit hora prandendi, paratum sit prandium, posita mensa, invitetur a ministris : Domine, veni ad prandendum, quia mensa posita est et omnia parata, fingit non audire. Quod si iterum atque iterum invitetur, dicit : Aliud mihi agendum est quam comedere, absolvendum mihi est opus regis.

sic Christus unice intentus hodie ostenditur ad reformandam in anima imaginem Dei;

Sic facit hodie Christus, ipse enim pictor est excellentissimus, quem pictores omnes imitantur. Ars enim imitatur naturam ;[25] Christus autem auctor naturae est, ipse rebus omnibus dedit formas, figuras, colores, lumina divina arte et sapientia sua. Hodie autem dantur ei a summo rege Deo duae imagines : una minor, altera maior, utraque opus manus Christi, sed utraque vetustate peccati confecta. Minor est mulier samaritana, maior est civitas Samariae. Absolvit Christus minorem hora prandii. Dicunt ei discipuli : *Rabbi, manduca.* Sed Christus, quamvis esuriat et sitiat, respondet : *Ego* alium *cibum habeo manducare.*[26] Mirantur discipuli : *Nunquid aliquis attulit ei manducare?* At Christus ait : *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius.*[27]

homo enim est opus Dei singulare, sed peccato deformatum.

Singulare opus Dei est homo, nam propter hominem facta sunt omnia alia opera in coelo et in terra. Et homo quidem a Deo perfectus creatus fuit, nam : *Vidit... Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona ;*[28] perfectus, quoniam *ad imaginem et similitudinem* ipsius Dei creatus fuit,[29] similis ipsi Deo, qui bonitas et pulcritudo est infinita. Sed opus hoc per peccatum factum est imperfectum, imago haec Dei peccato a satana fuit deformata, vitiata, devastata. Sed hodie iterum Christo datur reformanda et ad pristinam pulcritudinem reducenda : *Ut perficiam opus eius.*

Samaritis prima imago est quam Christus hodie reformat,

V. At, quaeso, videamus quomodo Christus minorem hanc imaginem reformat, quia minor ista erit postmodum veluti exemplar vel exemplum ad reformandam maiorem. Ostenditur prius imago haec vitiata

25) Effatum ex Aristot. *Physicorum*, lib. 2, cp. 2, t. 1, pag. 205. 26) Io 4, 31-32. 27) Ibid. vrr. 33-34. 28) Gn 1, 31. 29) Ibid. vrr. 26-27; 5, 1; 9, 6.

ac deformata. Consistit imago Dei in anima nostra in voluntate, in intellectu et memoria. Haec sunt lineamenta, designatio et architectura, ut ita dicam, huius imaginis. Colores autem sunt virtutes, praecipue theologicae: fides, spes, caritas; nam caritas perficit voluntatem, quae est veluti frons, pars altior huius imaginis; fides intellectum, qui est oculus animae; spes memoriam, quae per reliquas faciei partes designatur. Lumen autem huius picturae est gratia Spiritus Sancti. Ecce frons deformata: *Venit mulier... haurire aquam.* [30] Cupiditas temporalium rerum deformat voluntatem et opponitur caritati, nam: *Radix ... omnium malorum est cupiditas.* [31] Perfectio voluntatis est caritas. Haec autem mulier sine caritate ostenditur. Petit Christus ab ea: Mulier, *da mihi bibere;* petit eleemosynam, modicum aquae frigidae. At ipsa negat et etiam arguit Christum: *Quomodo tu*, etc.; sic sine caritate ostenditur. Perfectio intellectus consistit in scientia, in fide. At Christus dicit ei: *Si scires donum Dei!* Ecce ignorantia. Perfectio etiam huius imaginis in spe consistit promissionum Dei. Promittit Christus: *Tu forsitan petisses ... et dedisset tibi aquam vivam.* At ipsa non sperat et impossibilis ei videtur promissio Christi: *Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est; unde ergo habes aquam vivam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum* istum, *et ipse ex eo bibit et filii eius et pecora eius?* [32] Tu, inquit, promittis mihi aquam vivam, sed promittis quod non potes dare, nam aqua, quam dare promittis, vel erit ex puteo hoc, vel ex alio meliori. Non ex isto, quia hic altus est, profundus valde, tu autem non habes vas in quo haurias neque funes; non ex alio meliori, quia si hic alius esset puteus melior, novisset illum Iacob patriarcha sanctissimus, qui divino spiritu plenus fuit, et ex illo bibisset ipse et domus eius. Quod si tu nosses puteum quem ille ignoravit, tu maior illo esses, quod esse non potest.

prius in voluntate rerum temporalium cupiditate deformata, ideo sine caritate,

deinde in intellectu ignorantia rerum spiritualium deformato, ideo sine fide et spe,

Sic mulier ista deformis est imago, sine caritate, sine fide, sine spe in Christum, et deformata turpitudine adulterii et luxuriae: *Quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes, non est tuus vir.* [33]

multis etiam peccatis deturpata.

Sed ecce imago reformata et renovata quoad intellectum: *Mulier, crede mihi.* Et ipsa ait: *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus;*

30) Io 4, 7. 31) 1 Tim 6, 10. 32) Io 4, 11-12. 33) Ibid. vr. 18.

Christus autem eam reformat et renovat in intellectu fide et scientia,

cum autem venerit ille, docebit nos omnia : [34] ecce intellectus perfectus fide et scientia, nam Christus seipsum ei manifestat : *Ego sum* Messias *qui loquor tecum.* [35] Perficit autem Christus intellectum huius mulieris cognitione divinae voluntatis et naturae: *Venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate... Spiritus est Deus,* etc. [36] Perficit voluntatem desiderio aquarum salientium in vitam aeternam : *Domine, da mihi hanc aquam.* [37] Hinc, agnito quod Christus propheta esset: *Domine, ut video, propheta es tu,* [38] non quaerit nisi de vera religione et cultu divino : *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis quia,* etc.; [39] hoc est: Nihil aliud nunc cupio nisi verum Dei cultum veramque religionem. Ubi igitur, quo in templo Deus mihi adorandus est? Sic tandem *reliquit... hydriam suam,* unde forte ipsius victus pendebat, sicut Apostolorum a retibus, et perrexit in civitatem ad praedicandam gloriam Christi. Ecce imago perfecta fide, spe, caritate et gratia Spiritus Sancti, imago reducta ad pristinam pulcritudinem.

in voluntate desiderio bonorum coelestium et pietate in Deum.

VI. Nos *audivimus et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi.* [40] Quidnam mundus iste? Civitas Samariae, *quae dicitur Sichar,* [41] vel Sichem. Regnum Samariae, regnum rebelle, quod defecit a domo David, [42] regnum infidele et deditum idololatriae, in quo Ieroboam erexit aureos vitulos, [43] quod idolum Baal adorabat et una cum vero Deo etiam idola Gentium colebat ; [44] regnum inimicum regno domus David ; civitas Sichem infamis propter stuprum Dinae, [45] infamis propter ingratitudinem, qua domui Gedeonis mala pro bonis reddidit ; [46] infamis propter seditiones et bella civilia contra Abimelech, quem constituerat sibi regem. [47] Sic *mundus* iste *totus in maligno positus est,* [48] omnibus vitiis et peccatis plenus. Et tamen ad hunc salvandum venit Christus : *Quoniam hic est vere Salvator mundi.* Samaria interpretatur c u s t o d i a vel o b s e r v a n t i a et etiam s e n t i s, s e n t i c e t u m. Mundus ante peccatum custodia erat,

Sichar civitas Samariae infamis et infidelis,

figura mundi huius vitiis et peccatis pleni ad quem salvandum Dominus venit.

34) Ibid. vr. 25. Vulg.: *Cum ergo venerit ille, nobis annunciabit,* etc. 35) Ibid. vr. 26. 36) Ibid. vrr. 23-24. 37) Ibid. vr. 15. 38) Ibid. vr. 19. Vulg.: *Domine, video quia propheta es tu.* 39) Ibid. vr. 20. 40) Ibid. vr. 42. Vulg.: *Quia hic est vere,* etc. 41) Ibid. vr. 5. 42) Cf. 3 Rg 12, 1-19. 43) Cf. ibid. vrr. 25 sqq. 44) Cf. 4 Rg 17, 1 sqq. 45) Cf. Gn 34, 1-3. 46) Cf. Idc 8, 33 sqq. 47) Cf. ibid. 9, 1 sqq. 48) 1 Io 5, 19.

et post peccatum senticetum: *Spinas et tribulos germinabit tibi;* [49] *Aliud cecidit inter spinas.* [50] Sichem interpretatur h u m e r u s, quoniam conditus est homo ad portandum iugum divinae legis, sed per peccatum accepit supra se iugum diaboli, quae est captivitas Aegypti et servitus Pharaonis. *Hic est . . . Salvator mundi;* venit ut restituat mundum in statum pristinum.

Venit mulier de Samaria haurire aquam. Duplex status mulieris huius ostenditur nobis hodie: status peccati et status gratiae. Omnis anima vel in statu peccati vel gratiae reperitur. Quandiu fuit in statu peccati, nonnisi aquas fontis Iacob communes hominibus et animalibus quaerebat, hinc venit cum fune et hydria; in statu autem gratiae reliquit hydriam, et nonnisi aquas fontis Christi desiderabat. Quandiu anima in peccato est, nonnisi naturalia et mundana bona desiderat; spiritualia autem, si desiderat ex auditu verbi Dei, desiderat lento quodam desiderio et vellet ea absque ullo labore: *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.* [51] At posita in statu gratiae, super omnia desiderat spiritualia bona, hinc templum quaerit ubi vere adorandus sit Deus et obtinenda peccatorum remissio.

Ostenditur duplex status huius mulieris: peccati et gratiae;

in statu peccati sola terrena quaerit;

Venit mulier. Si quis vidisset mulierem hanc recto tramite venientem ad fontem, super quem Christus sedebat, facile arbitratus fuisset quod ad Christum properabat ad gratiam aliquam petendam, sicut chananaea, [52] sicut Magdalena, [53] sicut mater filiorum Zebedaei. [54] Sed mulier ista nil minus cogitabat, nec somniaverat quidem, sed animus erat haurire aquas. Ita multae mulieres veniunt ad ecclesiam, ubi Christus est, non ad consequendam vel petendam aliquam a Christo gratiam, sed ad hauriendam aquam vanitatis mundanae et vanam laudem pulcritudinis et ornatus. Ad ecclesiam veniunt ubi fons est omnium bonorum Christus, qui ideo hodie super fontem sedet, ut ostendat se fontem esse omnium gratiarum: *Si scires donum Dei . . . tu forsitan petisses . . . et dedisset tibi aquam vivam!* Sed non petunt, quia Christum vere non agnoscunt, nam samaritis, cum Christum agnovit, petiit utique gratiam quam cupiebat.

Christum ignorans eum non quaerit;

sed postquam agnovit, gratiam eius petiit.

VII. *Hic est vere Salvator mundi*, fons salutis, fons gratiae, fons Iacob. Tres patriarchae: Abraham, Isaac, Iacob, Trinitatem Divinam

49) Gn 3, 18. 50) Lc 8, 7. 51) Io 4, 15. 52) Cf. Mt 15, 22-28. 53) Cf. Lc 7, 37 sqq. 54) Cf. Mt 20, 20-23.

Christus fons est gratiae Spiritus Sancti, ad quam omnes invitat;

significabant: Patrem, Filium et Spiritum Sanctum. Fons ergo Iacob gratiam Spiritus Sancti significat. Christus fons est huius gratiae, sicut hodie dicit : *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est . . . De plenitudine eius nos omnes accepimus.* [55] Fons ostenditur, quia nulli aquas perennis fons prohibet, ita nemini gratiam denegat Christus, imo offert, invitat, desiderat conferre ardentissimo desiderio, ita ut desiderium istud naturalem sitim famemque magnam superarit, ut hodierno Evangelio ostenditur. [56]

ad hoc enim Christus venit in mundum et hoc semper quaerebat ac perficere satagebat;

Hic est vere Salvator mundi. Ad hoc venit in mundum: *Peccatores salvos facere,* [57] nullis parcendo laboribus ad hoc perficiendum opus. Hinc hodie fatigatus est. Quod si *fatigatus ex itinere* sedet, corpore tantum sedet et quiescit, non spiritu, non mente, sed cogitabat Christus quomodo civitatem hanc Samariae salvare poterat a peccatis. Spiritu nunquam quiescebat Christus ab hac cogitatione, hoc magis cogitabat quam victum sibi necessarium : *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius.* Quodnam opus ? *Quoniam hic . . . est Salvator mundi.* Et quid putatis cogitare nunc Christum cum post fatigationem passionis sedet super fontem, supra coelum, quod videtur esse fons omnium bonorum mundi huius, maxime per virtutem solis ? Quid nunc cogitat Christus ? Non salutem suam, quia salute non eget, mori et pati non potest ; non salutem Angelorum, qui sunt in paradiso ; non salutem Sanctorum et Beatorum, qui sunt in patria ; non cogitat nisi salutem nostram. Hoc cogitat, hoc super omnia desiderat, sitit, esurit tam vehementer, ut obliviscatur hodie cibi et potus : Cogitationes meae *cogitationes pacis et non afflictionis.* [58]

et quoque nunc hoc super omnia desiderat.

55) Io 1, 16-17. Ordine inverso affert hos vrr. 56) In margine haec adiecta fuerunt: « Si hodiernum Evangelium, fratres, non movet nos ut cum samaritana muliere vitam in melius mutemus a carne ad spiritum, actum de nobis est. Siquidem Christus parum a nobis requirit, imo minimum, et magna, imo maxima promittit: aquam vivam salientem in vitam aeternam, perpetuam salutem et felicitatem, hereditatem suam, quam Iacob dedit Ioseph dilectissimo filio suo, ut simus *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: Do tibi sichimam unam, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio et arcu meo. Sichimam unam,* partem primam, *dies unus,* dies primus; maiorem ac pretiosiorem quam potuit hereditatem ei legavit ac dono dedit. Hoc Dei proprium est: parva a nobis requirere et magna promittere multoque maiora dare. Parum requirit: *Da mihi bibere,* modicum eleemosynae; *Vade, voca virum tuum,* peccatorum cognitionem ac confessionem ad consequendam indulgentiam; *Mulier, crede mihi,* fidem quod ipse sit verus Messias: *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Hoc est *donum Dei* ». 57) 1 Tim 1, 15. 58) Ier 29, 11.

VIII. *Hic est vere Salvator mundi.* Magnum veluti quoddam flumen est hodiernum Evangelium, haec autem periodus veluti fonticulus quidam ad fluminis ripam scaturiens, ubi iter agentes lassati in via sedere solent ac recreari viresque resumere, sicut Christus hodie ad fontem Iacob. Nos igitur hic immoremur: *Hic est vere Salvator mundi.* Hic fons est salutis. Sed quidnam, quaeso, haec salus? Respondet Dominus quod est *donum Dei: Si scires donum Dei!* Cuius quidem doni figura et typus habetur in hodierno Evangelio: *Iuxta praedium quod dedit Iacob Ioseph filio suo;* [59] in signum singularis amoris dedit Iacob pater amantissimus dilectissimo filio suo Ioseph possessionem iure belli acquisitam, sicut *Genesi* legimus: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio et arcu meo.* [60] Salus igitur *donum Dei* est, donum divinae caritatis, signum singularis dilectionis; sicut enim Iacob supra omnes filios suos dilexit Ioseph, [61] ita Deus hominem supra Angelos: *Si scires donum Dei!* Nescit Deus parum donare. Salomoni sapientiam dedit, sed magnam; [62] David regnum, sed magnum; [63] populo suo terram promissionis, sed optimam; [64] Abrahamo posteritatem, sed innumerabilem et nobilissimam et illustrissimam; [65] Adamo paradisum totumque mundum. [66] *Si scires donum Dei!* Dignum utique divina maiestate et munificentia: *Si scires donum Dei!* Magnum fuit donum quod Iacob largitus fuit Ioseph, quia magna eum caritate diligebat, magnum pro viribus. Dei autem cum infinita sit potentia, maxima est et immensa eius erga nos caritas: *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* [67]

Salus aeterna magnum Dei donum est,

imo maximum donum divinae caritatis,

Nec tantum *donum Dei* salutem Christus appellat, sed etiam *aquam vivam*, imo *fontem aquae vivae*, cuius aquae duae sunt proprietates: una quod sitim in perpetuum extinguit: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum;* [68] altera quod bibenti confert vitam aeternam: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* [69] O magnum donum! Ezechiae regi quindecim annorum vitam dono dedit; [70] nunc autem vitam promittit

est enim vita aeterna mundo collata

59) Io 4, 5. 60) 48, 22. Cf. supra, hom. 1 huius Feriae, pag. 258, not. 37ª.
61) Cf. ibid. 37, 3. 62) Cf. 3 Rg 3, 12-13; 4, 29-31. 63) Cf. 1 Rg 16, 12-13; 2 Rg 5, 4-5. 64) Cf. Ex 3, 8; Dt 3, 25; 6, 18; 8, 10; 9, 6. 65) Cf. Gn 12, 2; 17, 4-7; 22, 17-18; Eccli 44, 20-23. 66) Cf. Gn 1, 26-30; 2, 15-17. 67) Io 3, 16.
68) Ibid. 4, 14. 69) Ibid. 70) Cf. 4 Rg 20, 1-6; Is 38, 5.

aeternam. Magnum Dei donum, sed cui factum? Mundo: *Hic est... Salvator mundi; Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, utique ad hoc consequendum donum: *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [71] Paulus autem ait: *Qui... proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* [72] Hoc *donum Dei* est: *Omnia nobis donavit, omnia*, etiam seipsum, *donum Dei*, quo Deus ipse dono dat semetipsum et omnia bona sua una cum Filio suo et Spiritu Sancto, quem in die Pentecostes donavit mundo, [73] et ipse fons est aquae vivae *salientis in vitam aeternam.*

ipsiusque Dei aeterna possessio.

O igitur *si scires donum Dei!* Veluti si rex incognitus sub ignoto habitu intraret in domum pauperis alicuius petens aquae potum ad sitim extinguendam, ille autem contemneret ignotum regem, dicere utique posset: Si scires sortem tuam hodie et quis est qui potum a te petit, tu magnum quid petisses ab eo.

Duplex est salus quam Christus dat: gloriae in paradiso et gratiae in hoc mundo;

IX. Sed cuinam promittitur, imo offertur donum istud? Mulieri peccatrici, meretrici, immundae. Quis ergo sperare non possit a divina misericordia salutis aeternae donum? *Fidelis sermo et omni acceptione dignus... Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* [74] *Hic est... Salvator mundi.* Duplex est salus: gloriae, quam Sancti nunc in paradiso possident, et gratiae, quae participatio est gloriae; haec salus iustorum est qui per Christum a peccato salvati sunt. Illa est lac et mel in terra promissionis, [75] haec autem manna in deserto. [76] Cum salutem hanc percepisset samaritana, *reliquit... hydriam suam*, ex qua forte omnis victus eius tunc pendebat, sicut Petrus retia reliquit et ait: *Ecce nos reliquimus omnia.* [77] *Reliquit... hydriam suam mulier*, sicut qui invenit thesaurum in agro et negotiator inventa pretiosa margarita. [78] Nunc dico: si tali consolatione spiritus fruuntur servi Dei in hoc saeculo, ut omnia mundi ex alto contemnant tanquam stercora arbitrati, [79] qualisnam censenda est Beatorum consolatio in coelo?

Duplex etiam fons proponitur nobis in hodierno Evangelio: unus

71) Io 3, 16. Vulg.: *Qui credit in eum*, etc. 72) Rom 8, 32. 73) Cf. Act 2, 1-4. 74) 1 Tim 1, 15. 75) Cf. Ex 3, 8; 13, 5; 33, 3; Eccli 46, 10. 76) Cf. Ex 16, 14 sqq.; Ps 77, 24-25; 104, 40; Sap 16, 20. 77) Mt 19, 27. 78) Cf. ibid. 13, 44-46. 79) Cf. Phil 3, 8.

est fons terrenus, alter coelestis ; unus fons corporalium bonorum ac temporalium, alter spiritualium et aeternorum. Omnia mundi bona, in quibus vana felicitas videtur consistere, nascuntur ex terra, ex terrae proventibus ; hinc divitiae, ex quibus voluptates grandesque dignitates. Sed hic fons aliquando siccatur, sicut in Aegypto in septem annis penuriae, caritatis et famis. [80] Quod si non siccatur, altus tamen est, non facile hauritur aqua, sed magno cum labore.

duplex etiam genus bonorum proponitur: corporalium et spiritualium.

Ad hauriendam aquam hanc requiruntur, praeter labores, instrumenta : hydria et funis valde longa. Hydria autem vas est fragile, cum magno periculo demittitur in altum puteum, nec minori extrahitur. Multa sunt mercaturae pericula, multae pereunt in mari naves, in itineribus multae pereunt merces. Aquae etiam fontis huius communes sunt hominibus et animalibus brutis : *Ipse ex eo bibit et filii eius et pecora eius.* Omnes carnales voluptates etiam brutis animalibus sunt communes. Et tandem : *Qui biberit ex aqua hac sitiet iterum.* Vix facta est messis et vindemia, nondum collecta est annona ac proventus huius anni, et desideratur annona sequentis anni. Unum tantum bonum reperitur in hac fonte Iacob : quod aliquando sedet super eum Christus *fatigatus ex itinere,* eget petitque aquas fontis huius, vivas offerens aquas fontis sui. Divitiae terrenae per eleemosynas divina inspiratione factas occasiones sunt divitiarum coelestium, sicut aqua fontis huius samaritanae fuit aeternae salutis occasio. Bona huius mundi aquae sunt, quas Abraham in utre dedit Agar ancillae, cum eam domo expulit cum filio ; sed spiritualia bona aquae sunt vivae, quas Angelus in deserto ipsi Agar ostendit. Cito defecerunt aquae utris, ita ut Ismael siti moreretur ; [81] cito deficiunt bona mundi huius, sed spiritualia bona aeterna sunt, indeficientia sunt. Dic mihi, homo, si Deus, priusquam te creasset, optionem dedisset ut eligeres quod magis liberet: vel fieri coelestis Angelus, vel terrenum animal, brutum irrationale, quid elegisses ? Naturam utique angelicam magis quam brutalem. Sed cum hoc nunc in tua situm sit potestate, cur non hoc eligis ? Si bibas ex aqua fontis Christi, in coelestem Angelum transmutaberis.

Sed bona terrena magnum periculum perditionis sunt,

nunquam satisfaciunt et cito deficiunt;

bona autem coelestia indeficientia sunt et similem Angelis hominem reddunt.

80) Cf. Gn 41, 53 sqq. 81) Cf. ibid. 21, 14-19.

SABBATO DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

Ostenditur hodie gloria illibatae et purissimae Virginis Reginae nostrae.

I. Sicut opposita iuxta se posita magis elucescunt et ex uno oppositorum cognoscitur alterum,[1] ex privatione habitus, ex tenebris obscurae noctis lux clari diei, ex infirmitate sanitas, ex paupertate extrema divitiarum utilitas, ex servitute libertas; sic utique ex vitio cognoscitur virtus, ex peccato gratia, ex superbia humilitas, ex avaritia liberalitas, ex luxuria castitas. Hinc proponitur nobis hodie in sacrosancto Evangelio mulier adultera, reperta in flagranti crimine, secundum legem Moysi digna morte, digna lapidibus,[2] ut ex poena huius peccati cognoscentes quantopere displiceat Deo luxuriae vitium, cognoscamus etiam quantopere placeat ei virtus castitatis et virginitatis. Hinc enim Sanctissima Virgo, Domina et Regina nostra, summopere placuit altissimo Deo, quoniam virgo fuit purissima et mente et corpore.

Perrexit Iesus in montem Oliveti; et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus veniebat ad eum, etc.[3]

Alias virgines legimus in Sacra Scriptura,

II. De sancta Rebecca legimus quod, antequam matrimonio coniungeretur cum sancto Isaac, virgo erat *pulcherrima et incognita viro.*[4] Etiam omnium nostrum mater, quandiu in paradiso in statu innocentiae permansit, utique virgo fuit. Mariam etiam prophetissam, sororem Moysi et Aaron, virginem legimus: *Perrexit puella* הָעַלְמָה, *virgo, et vocavit matrem suam,*[5] nusquam tamen in Divinis Litteris legimus eam coniugio copulatam. Sed si virgo illibata corpore fuit,

1) Axiomata philosophica, de quibus cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1, q. 14, a. 10. 22; *Contra Gentiles*, lib. 2, cp. 50, ad 6; Georgius Reeb *Thesaurus Philosophorum*, part. 2, *Axiomata*, pag. 218. 2) Cf. Lv 20, 10; Dt 22, 22. 3) Pericope huius diei Io 8, 1-11. Cf. Missale Rom. 4) Gn 24, 16. 5) Ex 2, 8. Ms.: *Hahalmah.*

non tamen mente et spiritu absque omni peccato, nam peccatum eius legimus: murmuravit contra fratrem suum Moysen, unde lepra percussa fuit a Deo, per hebdomadam dierum manens extra castra. [6] Sed Maria Sanctissima, Domina et Regina nostra, virgo fuit perpetua et illibata tum corpore tum mente, absque ullo penitus peccato. Quicquid perfectionis et virtutis reperitur in omnibus sanctis mulieribus in Divinis Litteris, tribuendum est Sanctissimae Virgini absque omni vitio et defectu; sicut sacra theologia symbolica tribuit Deo quicquid boni reperit in creaturis totius universi, absque tamen omni imperfectione; unde mystica theologia negat omnem in Deo imperfectionem, sicut symbolica omnem perfectionem affirmat. [7]

sed nulla adeo illibata fuit sicut Maria Sanctissima, Virgo perpetua mente et corpore,

In Divinis Scripturis multos legimus viros optimos, multos etiam pessimos. Theologia mystica negat de Christo omne malum, omne vitium atque peccatum istorum; symbolica vero omnem virtutem ac perfectionem illorum affirmat, absque ulla vel minima macula vel naevo imperfectionis. Ita etiam in Sanctis Scripturis multas legimus mulieres virtute praeditas, multas etiam vitiis deditas. De Sanctissima Virgine affirmanda est omnis virtus atque perfectio sanctarum mulierum, neganda autem omnis malarum imperfectio. Ob id enim Beata Virgo dicitur *gratia plena*.[8] Si enim *gratia*, ergo omni virtute plena; si plena omni virtute, absque igitur omni vitio, hinc sole amicta; [9] in sole enim omnis claritas lucis [invenitur], absque macula tenebrarum.

cui tribuenda est omnis perfectio, absque ullo penitus defectu et vitio.

In Eva legimus immaculatam innocentiam, absque macula peccati originalis formata cum fuerit; [10] legimus etiam diabolicam deceptionem atque peccatum. [11] De Beata Virgine affirmandum est illud, istud autem penitus negandum. Sic omne vitium, quod in mulieribus quibusvis reperiatur vel reperiri possit, negandum de Sanctissima Virgine est; omnis autem virtus laude digna, quae in eis vel reperitur vel reperiri potest, affirmanda de ea est.

Ipsa enim sicut Eva innocens fuit, nunquam tamen sicut illa a diabolo decepta,

Maria soror Moysi virgo fuit, prophetissa fuit, sancta fuit; [12] peccavit tamen corde et ore murmurando contra fratrem. Vitium linguae mulieribus familiarissimum est. Sara etiam verbo peccavit

nec sicut Maria soror Moysi mussitans,

6) Cf. Nm 12, 1 sqq. 7) De hac theologiae divisione in mysticam et symbolicam cf. etiam part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 140. 8) Lc 1, 28. 9) Cf. Apc 12, 1. 10) Cf. Gn 2, 25. 11) Cf. ibid. 3, 1-6. 12) Cf. Ex 15, 20.

aut sicut Sara et Rebecca mendaces.

mendacium dicens ;[13] Rebecca etiam mentita fuit dicendo se sororem esse Isaac.[14] Sic mulieres saepissime lingua delinquunt : *Si quis in verbo non erraverit, hic perfectus est vir.*[15] Sanctissima autem Virgo nunquam vel ore vel corde nec levissime quidem peccavit, sed semper mente et corpore virgo purissima fuit : *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.*[16]

Virgo vere admirabilis, quia simul et mater,

III. Res profecto mirabilis ! Ecce *Dominus dabit ipse vobis signum,*[17] miraculum nunquam alias visum : *Antequam parturiret, peperit ; antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audivit unquam tale? Et quis vidit huic simile?*[18] Miraculum maius quovis alio miraculo, quod vel in terra vel in coelo fieri potuisset : *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni sive in excelsum supra.*[19]

iam in signum domui David ab Isaia vaticinata,

Timebat Achaz rex Iudaeorum regem Syriae, qui, congregato exercitu, veniebat contra Ierusalem ad destruendam eam. Dominus autem misit ad eum Isaiam dicens ne timeret, quoniam non potuisset rex Syriae destruere civitatem regnumque Iudaeorum, offerens in signum certitudinis divinae huius promissionis ut petat quodlibet miraculum, sive in coelo sive in terra ; in coelo, sicut fuit illud Iosue,[20] in terra per suscitationem alicuius mortui, aut quodvis aliud. Quoniam vero impius Achaz petere minime voluit, hinc Isaias ait : *Audite ... domus David ... Dabit Dominus ipse vobis signum : ecce virgo concipiet et pariet filium*, etc.[21] Nisi, inquit, prius virgo conceperit ac peperit filium, qui sit *Emmanuel, nobiscum Deus,*[22] homo simul et Deus, domus David totaliter funditusque destrui et everti, ut rex Syriae praetendit, minime potest : *Ecce virgo,* הִנֵּה הָעַלְמָה,[23] *ecce virgo illa concepit et pariet filium, et vocabit nomen eius Emmanuel : butyrum et mel comedet*, beatus erit, lac enim et mel terrae promissionis felicitatem beatitudinemque paradisi designat, sciendo ipse *reprobare malum et eligere bonum*[24] ex scientia divinae visionis, qua in instanti conceptionis suae praeditus fuit. Quamvis haec etiam Christi suapte natura dulcissimam benignitatem, clementiam et bonitatem signifi-

quae paritura erat Emmanuelem, idest Deum hominem Christum,

13) Cf. Gn 18, 12-15. 14) Cf. ibid. 26, 7-9. 15) Iac 3, 2. Vulg.: *In verbo non offendit, hic*, etc. 16) Is 7, 14. 17) Ibid. Vulg.: *Dabit Dominus*, etc. 18) Ibid. 66, 7-8. 19) Ibid. 7, 11. 20) Ios 10, 12-13. 21) 7, 12-14. 22) Mt 1, 23. 23) Ms.: *Hineh hahalmah.* 24) Is 7, 14-15.

cent ; in ape enim est mel et aculeus, in lacte butyrum et caseus: in Deo misericordia et iustitia : Christus venturus erat summa plenus misericordia ad salvandum, non ad damnandum, hinc hodie adulteram mulierem damnare minime voluit. *Ecce virgo illa*, non נַעֲרָה, [25] non בְּתוּלָה, sed הָעַלְמָה, nam נַעֲרָה adolescentulam significat, sive virgo sit sive corrupta ; בְּתוּלָה vero virginem, sive iuvenem sive anilis aetatis ; sed עַלְמָה virginem iuvenem significat et perpetuam, nam עוֹלָם, unde עַלְמָה, perpetuum saeculum significat : *Ecce virgo illa iuvenis, virgo purissima et perpetua, concipiet et pariet filium.*

virgo semper manens, quod est quovis miraculo maius.

IV. Hoc est mirabile, ut sit virgo perpetua et ut manens virgo concipiat et pariat filium. Hinc Salomon ait : *Quartum penitus ignoro. Tria mihi difficilia sunt et quartum penitus ignoro : viam aquilae in coelo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari et viam viri in virgine,* [26] in abscondita, in non revelata; nam cognoscere mulierem in Divinis Scripturis revelare nuditatem dicitur. [27] Mirabile est natum [esse] virum de muliere non revelata, abscondita, semper velata. Quod autem sequitur : *Sic est ... via mulieris meretricis quae comedit et tergit os suum et dicit : Non sum operata malum,* [28] mirabile mysterium [est]. An mulier virgo sit vel deflorata cognosci potest ex fractione hymenis virginalium claustrorum, hinc in lege dantur signa virginitatis. [29] Sed an corrupta mulier commiserit adulterium vel fornicationem, cognosci nullo modo potest, nullum enim remanet naturale signum unde cognosci possit, sicut avis volans non relinquit signum aut vestigium, similiter serpens in lapide et navis in mari. Hinc in lege per divinum miraculum agnoscendum erat. Si mulier adulterium commisisset, dabantur ei aquae maledictae, quibus potatis moriebatur si in dolo erat, alioquin nihil ei aquae illae nocebant. [30]

Sic utique Beata Virgo Christum taliter concepit et peperit, ut partus

25) Ms.: *Naharah*, et infra: *Bethulah, hahalmah, holam, halmah.* 26) Prv 30, 18-19. Vulg.: *Tria sunt difficilia mihi ...: viam viri in adolescentia. Viam viri in virgine* ex hebraico.
27) Cf. Gn 4, 1. 17. 25; Nm 31, 35; 1 Rg 1, 19; Mt 1, 25. 28) Prv 30, 20. Vulg.: *Talis est... via mulieris adulterae... et tergens os suum dicit*, etc. 29) Cf. Dt 22, 13-17.
30) Cf. Nm 5, 12-28.

taliter enim concepit et peperit Christum, ut incorrupta absolute permanserit.

nullum penitus remanserit in ea signum, adeo ut, si negare voluisset se Christi matrem esse, probari nullo modo ei potuisset, sicut mulieri naturali via probari adulterium non potest sicut virgini stuprum et sicut naturali via probari non potest avem per haec aera volasse, serpentem super hunc lapidem reptasse, navim per hanc aquam navigasse, sicut probari potest gressus animalis in terra vel arena, quoniam relinquit vestigium. Christi autem nativitas nullum reliquit vestigium : *Quartum penitus ignoro: . . . viam viri in virgine;* maximum fuit miraculum ; sicut enim magno miraculo Deus ex nihilo cuncta creavit, ex terra hominem, [31] ex costa viri mulierem, [32] ex purissimis sanguinibus Sanctissimae Virginis Christi corpus divina sua manu formavit. Sic Christus ex purissima et Sanctissima Virgine nasci voluit, quoniam summe abominabatur luxuriam omnemque immunditiam carnis nostrae. [33]

Fragmentum.

Perrexit Iesus in montem Oliveti; et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos. [1] Ambae Divinae Legis tabulae positae fuerunt intra arcam foederis Domini simul, [2] quoniam utrunque geminae caritatis praeceptum necessarium est ad salutem : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, et : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* [3] Sic omnes Sancti gemina hac caritate praediti fuerunt. Moyses nunc ascendebat in montem ut contemplationi divinae vacaret, nunc descendebat ut populi curam gereret. [4] In divino tabernaculo erant duo altaria : unum quidem aeneum sacrificiorum pro peccatis populi, alterum vero aureum ad offerendum incensum, [5] utique in signum geminae caritatis, qua necesse est ut sit praeditus quicunque vult esse templum vivum Dei.

Duplex est caritas: erga Deum et proximum, qua omnes Sancti praediti fuerunt.

Christus autem perfectissime praeditus fuit gemina hac caritate. Hinc praefiguratus fuit in columna ignis et nubis, ignis in nocte, nubis in die. [6] Ignis natura est ut ascendat sursum, nubis vero ut plu-

sed super omnes Christus, sicut ostendit hodie.

31) Cf. Gn 2, 7. 32) Cf. ibid. vrr. 21-22. 33) Desinit post medium f. 6ᵇ, et alba relicta reliqua parte et f. 7, transitur ad f. 8.

1) Io 8, 1-2. 2) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 3) Dt 6, 5; Mt 22, 37-39. 4) Cf. Ex 19, 1 sqq.; 24, 12 sqq.; 34, 2 sqq.; Dt 9, 9-10; 10, 1-10. 5) Cf. Ex 39, 37. 39; 40, 24. 27. 6) Cf. Ex 13, 21 sqq.

viam mittat deorsum. Ecce ignis ascendens sursum : *Perrexit Iesus in montem Oliveti*, perrexit ad adorandum, nam : *Pernoctabat in oratione Dei;* [7] et ecce nubes descendens deorsum : *Et diluculo iterum venit in templum*, ad praedicandum, ad operandam quaerendamque salutem animarum : *Et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos.*

Gemina haec Christi caritas praefigurata fuit in lamina aurea super caput Aaron et in *Rationali* iudicii super pectus et cor ipsius, ubi in lapidibus pretiosis sculpta erant omnia nomina filiorum Israel. [8] Diligebat Christus super omnia Deum Patrem suum, post Patrem vero nos tanquam dilectissimos fratres. Hinc tanquam alter Ioseph abiit errabundus in campo huius mundi quaerens fratres suos, a quibus tamen odio habebatur quique eum occidere voluerunt. [9] Ecce hodie fratres odio habentes sanctissimum hunc Iosephum : *Adducunt autem scribae et Pharisaei mulierem in adulterio deprehensam et statuunt eam in medio et dicunt ei:* [10] tendunt Christo insidias ut possent accusare eum tanquam mosaicae legis subversorem.

diligebat enim Deum tanquam Patrem suum, et homines tanquam fratres dilectissimos.

7) Lc 6, 12. Vulg.: *Erat pernoctans*, etc. 8) Cf. Ex 39, 8-30. 9) Cf. Gn 37, 4-24.
10) Io 8, 3-4. Vulg.: *Statuerunt... dixerunt ei.*

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMAE

Christus, summa providentia, prudentia et benignitate Ecclesiam pascit ac gubernat.

I. Exigit ratio ipsumque ius naturae ut pastor pascendi gregis curam habeat, rex gubernandi regnum, imperator exercitum, paterfamilias domum. Sic Christus, cum sit pastor, rex, dux et familias pater totius Ecclesiae – pastor, de quo dicitur : *Servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum;* [1] *Ego sum pastor bonus;* [2] rex, de quo scriptum est: *Regnabit rex et sapiens erit,* [3] ac : *Rex unus erit omnibus imperans;* [4] *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra;* [5] dux, de quo vaticinatum fuit : *Ex te . . . exiet mihi dux qui regat populum meum Israel,* [6] et : *Dominus solus dux eius fuit;* [7] paterfamilias clementissimus, de quo legimus : *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis,* [8] – curam gerit summa cum providentia et prudentia et benignitate simul pascendi hunc gregem suum, gubernandi hoc suum regnum, hunc suum exercitum, hanc familiam suam, sicut coelestis suus Pater curam ac providentiam habet totius universi. Hinc hodie Christus magno miraculo ex quinque panibus pascit innumeram maximamque hominum multitudinem.

Abiit Iesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis, et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quae, etc. [9]

II. Sicut [10] Elias divino miraculo multiplicavit farinam oleumque

1) Ez 37, 24. 2) Io 10, 11. 3) Ier 23, 5. 4) Ez 37, 22. 5) Mt 28, 18. 6) Mich 5, 2. Affert ex Mt 2, 6. 7) Dt 32, 12. 8) Is 9, 6. 9) Pericope huius diei Io 6, 1-15. Cf. Missale Rom. 10) In margine haec adiecta fuerunt: « In hodierno Evangelio aperitur mysterium illud Antiquae Legis, nam ante propitiatorium, quod erat divinae maiestatis thronus, ubi Deus perpetuo sedebat, posita fuit mensa panum propositionis iuxta candelabrum aureum et altare incensi. Ad quid, quaeso, posita erat paratque mensa

viduae sareptanae [11] et Eliseus similiter divina virtute, ut puta duplici spiritu Eliae plenus, [12] multiplicavit parum olei viduae, [13] et viginti hordeaceis panibus satiavit famelicam turbam centum hominum multumque superfluit, [14] quoniam divino miraculo multiplicati fuerunt, sic Christus hodie, verus Elias, potens Deus, verusque Eliseus, divinus salvator, [15] eadem divina virtute multiplicat substantiam quinque panum ac duorum piscium, adeo ut ex eis comedant et saturentur plus quinque millia hominum, *exceptis parvulis et mulieribus,* [16] et ex fragmentis superfluis implentur duodecim cophini; unde merito Christus ex tam magno miraculo magnus propheta agnoscitur: *Illi ergo homines, ut viderunt quod fecerat Iesus signum, dicebant: Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum,* [17] ille propheta in Lege promissus: *Prophetam... de medio fratrum tuorum similem mei suscitabit tibi Dominus... ipsum audies.* [18]

Magnum miraculum Christus hodie operatur,

Et utique similis Moysi ostenditur hodie Christus. Sicut enim cum ille multa fuisset miracula in Aegypto virtute divina operatus, [19] Hebraei illi credentes ob visa signa secuti sunt trans mare Rubrum, [20] ubi eos Moyses pavit coelesti pane, [21] sic ait sacrosanctum hodiernum Evangelium quod: *Abiit Iesus trans mare Galilaeae... et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quae faciebat super his qui in-*

quo vere ostenditur similis Moysi.

apud Deum? Num pane nostro eget? Minime: *Bonorum meorum non indiges*; sed ad ostendendum quod Deus semper ante oculos habet necessitates servorum suorum fidelium. Candelabrum illud Ecclesiam designabat; hinc in *Apocalypsi* per septem aurea candelabra septem Ecclesiae significari dicuntur. Altare autem incensi cultum orationis et piae religionis in Deum adumbrabat. Hoc est quod Christus ait: *Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis; scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quaerite... regnum Dei*, hoc est altare incensi; *et iustitiam eius*, hoc est candelabrum aureum: Sint *lucernae ardentes in manibus vestris; et haec omnia adicientur*, haec est mensa; *scit enim Pater vester*, hoc est quod mensa posita est ante propitiatorium. Item quod semper candelabrum illud iuxta mensam diu noctuque ardebat, ita ut nunquam mensa illa in obscuro esset, ut videri clarissima luce non posset, designat quod nunquam Deus non cogitat et videt necessitates fidelium suorum. Hoc idem significat vas mannae intra arcam Dei, quod Deo cordi est providentia victus nostri et quod potest, scit et vult providere nobis omnia necessaria victui nostro; nunquam obliviscitur necessitatum nostrarum. Hinc ait: *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non recordetur filii uteri sui? Et si ipsa oblita fuerit, ego non obliviscar tui. Ecce in manibus descripsi te.* Erant supra mensam duodecim panes pro duodecim tribubus, quia Deus omnium fidelium suorum curam gerit, sicut omnes Hebraeos manna pavit in deserto et Christus hodie omnes turbas indiscriminatim pascit ».

11) Cf. 3 Rg 17, 10 sqq. 12) Cf. 4 Rg 2, 9-15. 13) Cf. ibid. 4, 1-7. 14) Cf. ibid. vrr. 42 sqq. 15) Sic enim latine haec nomina interpretantur. 16) Mt 14, 21. Vulg.: *Exceptis mulieribus et parvulis.* 17) Io 6, 14. Vulg.: *Cum vidissent quod Iesus fecerat*, etc. 18) Dt 18, 15. Vulg.: *De fratribus tuis sicut me*, etc. 19) Cf. Dt 34, 1 sqq.; Ios 24, 5-7; Ps 104, 26-36. 20) Cf. Ex 14, 1 sqq. 21) Cf. ibid. 16, 1 sqq.

firmabantur, et in deserto loco pascit divino miraculo innumeram populi multitudinem.

Pascit turbas prius cibo spirituali et deinde corporeo.

Pascit autem prius cibo spirituali et deinde corporeo. Sic enim M a r c u s ait quod *Iesus vidit turbam multam, et misertus est eis, quia erant sicut oves non habentes pastorem, et coepit illos docere multa;*[22] L u c a s vero : *Loquebatur illis de regno Dei et eos, qui cura indigebant, sanabat;*[23] et M a t t h a e u s : *Vidit turbam multam, et misertus est eis et curavit languidos eorum.*[24] Deinde spiritu cibatos ac recreatos cibavit et corpore.

utriusque enim substantiae rationem habet, quia utriusque est conditor.

Utriusque enim substantiae Deus rationem habet, quoniam utriusque est auctor : *Formavit... Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem.*[25] Sicut autem in templo Dei post mare aeneum et altare sacrificiorum erat candelabrum aureum cum septem lucernis semper ardentibus, altare aureum incensi et mensa panum propositionis duodecim,[26] pariter in sacrosancto hodierno Evangelio post transitum maris Galilaeae videmus Christum multa loquentem et docentem de regno Dei, videmus eundem orantem et Patri gratias agentem, et videmus paratam a Christo mensam divino pane instructam, ex quo duodecim cophini implentur.

Circa hoc miraculum duodecim mysteria proponuntur consideranda.

III. Et circa hoc miraculum duodecim utique mysteria in sacro Evangelio proponuntur contemplanda. Primo, auctor miraculi : Christus ; secundo, locus : *Trans mare Galilaeae;* tertio, tempus : prope erat pascha ; quarto, materia : multiplicatio quinque panum ac duorum piscium ; quinto, modus : accepit enim panes et gratias agens benedixit eis et fregit ; sexto, finis : ut cognosceretur Christus verus Messias: *Hic est vere propheta, qui venturus est in mundum*, unde voluerunt eum facere sibi regem ; septimo, Christi potentia, quia solo verbo multiplicavit, solo verbo miraculum operatus fuit ; octavo, sapientia : *Ipse enim sciebat quid esset facturus;*[27] nono, bonitas : *Misertus est eis;* decimo, liberalitas, quia distribuit discumbentibus abundanter et supereffluenter ; undecimo, multitudo magna quam pavit : *Seque-*

22) 6, 34. Vulg.: *Vidit turbam multam Iesus, et misertus est super eos*, etc. 23) 9, 11. 24) 14, 14. 25) Gn 2, 7. 26) Cf. 3 Rg 7, 23-49. 27) Io 6, 6.

batur eum multitudo magna; Multitudo maxima venit ad eum; [28] duodecimo, superabundantia: *Impleverunt duodecim cophinos fragmentorum* [29] quae superaverant. Et ex omnibus quidem his magnum redditur hodiernum miraculum.

quibus vero magnum ostenditur.

Sed si magnum et mirabile existit hodiernum Christi facinus, multo utique maius est opus universalis providentiae divinae, quo semper, omni tempore et loco, omnibus creaturis mundi necessaria providet, non tantum sufficienter, sed etiam abundanter et supereffluenter; cuius quidem divini operis duodecim mysteria possumus considerare.

Sed et circa opus universalis providentiae duodecim mysteria consideranda sunt:

Primo quidem, auctor divini huius operis ipse est mundi Creator, Deus; eius est enim horti vineaeque rationem habere qui plantator extitit, et patris est filios enutrire qui eos genuit; Deus infinitae potentiae, qui solo verbo mundum universum creavit; infinitae sapientiae, qui mundum summo cum ordine et ratione disposuit; infinitae bonitatis, qui omnia bona utilia ac delectabilia condidit.

a) auctor, ipse mundi Creator;

Secundo, ostenditur locus, et duplex quidem locus: unus supra montem, ubi sedebat Christus cum discipulis suis: *Subiit ergo in montem Iesus et ibi sedebat cum discipulis suis;* [30] alter infra, ad radicem montis, ubi panes multiplicavit turbasque pavit. Hi autem duo loci coelum terramque designant: coelum ubi habitat Deus cum Angelis; terram, ubi habitant homines cum iumentis. Coelum empyreum, locus gloriae Dei et Beatorum, mons est *trans mare Galilaeae,* trans naturam mobilem et instabilem, supra primum mobile coelum altissimum ac stabile semper. Providet autem in terra; providet autem absque ullo labore, hinc ait quod *sedebat: Ego... Dominus et non mutor.* [31] Sic visus fuit Iacob innixus scalae, [32] Isaiae sedens super solium excelsum et elevatum, [33] sic Ezechieli sedens supra firmamentum, sub quo animalia et rotae movebantur quocunque spiritus ea impellebat. [34] Cum Deus infinitae virtutis sit, infatigabilis est nihilque laboris patitur operando, quoniam movet manens immobilis, sicut sol nihil laborat illuminando, ignis calefaciendo, fons uberrimus aquas emittendo.

b) locus, duplex: coelum locus gloriae Dei, terra habitatio hominum;

Tertio, tempus: Prope erat pascha, *dies festus Iudaeorum.* [35] Ante

28) Ibid. vr. 5. Vulg.: *Multitudo magna*, etc. 29) Ibid. vr. 13. 30) Ibid. vr. 3.
31) Mal 3, 6. 32) Cf. Gn 28, 13. 33) Cf. Is 6, 1. 34) Cf. Ez 10, 1 sqq.
35) Io 6, 4.

c) tempus, divina providentia curam gerit usque ad finem huius mundi;

pascha, ante transitum factum fuit miraculum istud.[36] Deus providit Hebraeis manna usque ad transitum Iordanis, quousque in terram promissionis ingressi fuerunt;[37] gerit mundi curam et providentiam Deus usque ad diem iudicii, quando celebrabitur pascha Iudaeorum, transitus omnium electorum Dei ex hoc mundo in paradisum, a terra in coeleste regnum, ubi perpetuo victuri sunt cum Deo et Angelis eius.

d) extensio, circa omnes necessitates versatur,

Quarto, quod Deus videt omnes necessitates nostras: *Cum sublevasset... oculos Iesus et vidisset;*[38] *Dominus de coelo prospexit super filios hominum.*[39] Non dicat impius Philosophus quod vilesceret divinus intellectus si humana terrenaque consideraret,[40] quia Deus est immutabilis et vilescere nullatenus potest; neque enim vilescit sol quia non tantum coelum, sed etiam terram illuminat, neque oculus noster videns non tantum coelestia, sed etiam terrena; et sicut non viluit divina potentia creans una cum coelo terram, sic nec divina sapientia vilescit quia una cum coelestibus terrena curat.

sicut Scriptura testatur,

Scit igitur Deus quibusnam indigemus, videt omnes et singulas necessitates nostras. Hoc ubique docent Divinae Scripturae. In opere creationis: *Vidit Deus lucem quod esset bona;*[41] videns *cuncta quae fecerat*, non tantum coelestia sed etiam et maxime terrestria, *et erant valde bona.*[42] Hoc in opere diluvii,[43] hoc in opere combustionis Pentapolis,[44] hoc in flagellis Aegypti,[45] hoc in protectione Hebraeorum quadraginta annis in deserto[46] et in terra promissionis, hoc dum lex datur e coelo,[47] hoc in divino tabernaculo et templo, sacris locis orationis, hoc in tot Prophetarum miraculis.

quae est historia divinae providentiae;

Nec aliud sunt omnes Divinae Litterae nisi historia ac narratio providentiae divinae. Cum Iacob egressus esset de Bersabee, apparuit illi Deus scalae coelesti innixus eique victum, vestitum et quaecunque ad vitam necessaria sunt repromisit;[48] hoc autem divi-

36) Ms.: *Istum.* 37) Cf. Ex 16, 35. 38) Io 6, 5. 39) Ps 13, 2. In margine haec adiecta fuerunt: « Dicat Philosophus, qui divinam providentiam negat, quomodo mundus hic manet super nihilo innixus? Mundus enim finitus est et extra mundum nihil est; hinc Aegyptii in suis hieroglyphicis posuerunt manum zona tenentem colligatum coelum et terram. Dicat quidnam sit natura illa, quae omnia operatur tanta cum ratione; si accidens sit vel substantia, corpus an spiritus, coelum an terra; quidnam sit principium motus et quietis, cuius motus, cuius mobilis ». 40) Aristoteles *Metaphysic.*, lib. 11, cp. 9, t. 2, pag. 564. 41) Gn 1, 4. 42) Ibid. vr. 31. 43) Cf. ibid. 6, 1 sqq. 44) Cf. ibid. 18, 20. 45) Cf. Ps 77, 43-51; 104, 26-36. 46) Cf. Dt 29, 1-8. 47) Cf. Ex 24, 1 sqq.; 34, 1 sqq. 48) Cf. Gn 28, 10 sqq.

nae providentiae opus est ; scala enim illa mundum istum designat, quem Deus per Angelos gubernat. Aedificato templo, apparuit Deus Salomoni dicens quod in loco illo erunt semper oculi eius intenti et aures eius apertae ad orationes fidelium in quacunque necessitate clamantium. [49] Haec autem providentia est.

Quinto, quod sicut Deus potest et scit, ita etiam vult in necessitatibus nostris occurrere ; hinc ait quod : *Cum vidisset quia multitudo magna venit ad eum, misertus est eis*, sicut alibi, cum fecit simile miraculum ex septem panibus satians quattuor millia hominum, [50] dixisse eum legimus : *Misereor super turbam.* [51] Habet Christus Deusque paterna viscera ; miseretur nobis quemadmodum pater miseretur filiorum, [52] quibus, si possit et sciat, nihil deesse patitur quod illis utile et necessarium sit.

e) bonitas, nihil deesse patitur filiis suis,

Quod quidem nos Dominus vehementer cognoscere cupit, ut in necessitatibus nostris ad eum recurramus, hoc est enim quod Philippum tentat dicens : *Unde ememus panes ut manducent hi ?* [53] Idest : Quibus pecuniis aut ex quo loco tantum panis emere poterimus, ut tantam turbam saturare possimus ? *Hoc autem dixit tentans eum,* [54] tentans eius fidem, ut advertens impossibile esse via humana necessitati huic occurrere, ad divinam Christi potentiam virtutemque recurreret, qua eum viderat innumerabilia miracula operatum, et in nuptiis aquam in vina vertisse, [55] et qua in deserto quadraginta annis innumeram hominum multitudinem divino miraculo pane coelesti paverat. Philippus vero non ad fidem, sed ad humanam rationem recurrit : *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.* [56] Conicit Philippus oculos in terram non in coelum, in mundum non in Deum. Sic nonnunquam Deus tentat fideles suos temporalibus necessitatibus mundanisque adversitatibus ad fidem hanc exercendam probandamque.

solum aliquando eos tentat ad eorum fidem probandam,

ut ad Deum recurrant;

Sexto, ostenditur quidnam ipsa sit providentia divina : *Ipse . . . sciebat quid esset facturus.* Providentia enim pars est prudentiae, quae in agibilibus auriga et regula virtutum est. Sic prudens sciensque paterfamilias in sua domo, imperator in suo exercitu, rex in suo regno

f) natura, providentia est pars divinae prudentiae et scientiae;

49) Cf. 2 Par 7, 12-16. 50) Cf. Mc 8, 5-9. 51) Ibid. vr. 2. 52) Cf. Ps 102, 13. 53) Io 6, 5. 54) Ibid. vr. 6. Vulg.: *Hoc autem dicebat*, etc. 55) Cf. ibid. 2, 1-10. 56) Ibid. 6, 7.

scit utique quid facturus sit suo loco et tempore. Multi saepe necessitatibus pressi conqueruntur de divina providentia dicentes: *Quomodo scit Deus et si est scientia in excelso?* [57] videntes in hominibus varios fortunae tum status tum casus, et saepe probos viros adversa fortuna deprimi improbosque prospera sublimari, uti Lazaro accidit et epuloni diviti. [58] Sed scit Deus quid agat; nos autem divini pectoris secreta ignoramus: *Ipse... sciebat quid esset facturus*, et solus ipse, nam etiam Apostoli ignorabant.

g) instrumenta, divina providentia utitur secundis causis;

Septimo, quod Deus in mundi providentia utitur secundis causis tum efficientibus tum materialibus ac seminalibus. Sicut hodie Christus in hoc divino miraculo usus est ministerio Apostolorum, per quorum manus panem distribuit, et usus est quinque panibus tanquam seminibus, ex quibus procreantur segetes, arbores et animalia. Mundum quidem per seipsum solum creavit Deus, absque ullis secundis causis, cum nullae essent; regit autem atque gubernat ministerio Angelorum astrorumque coelestium et elementorum virtutibus, utens rerum seminibus, quae mirabili quadam arte ad quascunque res procreandas adauget atque multiplicat.

h) obiectum, omnibus providet, sed specialem curam gerit electorum;

Octavo, quibus providet: *Facite*, inquit, *homines discumbere;* [59] *Cum... vidisset quia multitudo maxima venit ad eum.* Providit Christus hodie necessarium cibum innumerae hominum multitudini, sed quae ipsum Christum sequebatur. Habet quidem Deus etiam animalium ac quarumvis aliarum rerum, quae sub coelo sunt, curam et providentiam, sed propter hominem quoniam omnia propter hominem facta et creata ab ipso sunt; [60] non enim est Deo cura de bobus, [61] nisi propter homines. Et quamvis omnium hominum habeat rationem omnibusque provideat, praecipue tamen propter iustos mundum regit atque gubernat, propter quos mundum creavit. Sic enim *iustus fundamentum est mundi,* [62] uti in Noe cernimus, [63] et propter decem iustos se universae Pentapoli parciturum Abrahae Deus dixit. [64] Hinc Christus ait quod Deus *solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos,* [65] bonos iustosque malis et iniustis praefert, quoniam propter eos beneficia haec mundo largitur. Sic Deus Hebraeis in de-

57) Ps 72, 11. 58) Cf. Lc 16, 19 sqq. 59) Io 6, 10. 60) Cf. Dt 4, 19. 61) Cf. 1 Cor 9, 9. 62) Prv 10, 25. Ex hebraico. 63) Cf. Gn 6, 5-7, 1-5. 64) Cf. ibid. 18, 32. 65) Mt 5, 45.

serto manna de coelo pluit, non Aegyptiis aut Chananaeis, quoniam circa electos specialis est providentia Dei, ad quorum utilitatem omnia operatur.

i) materia, providet non solum quae sunt ad necessitatem, sed et quae ad voluptatem;

Nono, quid providet : panem et pisces, fructum terrae et aquae, haec enim duo sunt fructifera elementa ex quibus Deus omnia produxit; non enim legimus nisi : *Producat terra*, [66] et: *Producant aquae.* [67] Providet non solum quae sunt ad necessitatem, sed etiam quae sunt ad voluptatem ; ad necessitatem enim tantum sufficit panis et aqua, quae duo providit Deus in deserto pluens manna de coelo et educens aquam de petra. [68] At vero praeter simplicem hanc necessitatem multa produxit Deus in cibum hominum ad voluptatem : fructus terrae, herbarum et arborum, carnes animalium, pisces maris et volucres coeli, omnia homini data sunt in cibum ad voluptatem. Et haec quidem omnia non tantum providet ad sufficientiam omnibus hominibus, sed etiam ad abundantiam et supereffluentiam, ut hodie patet.

l) modus, omnipotentia sua virtutem seminibus infundit eaque mirabiliter multiplicat;

Decimo, quomodo haec omnia providet : *Accepit... Iesus panes et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.*[69] Matthaeus habet quod : *Aspiciens in coelum benedixit et fregit;* [70] similiter Marcus: *Intuens in coelum benedixit et fregit... deditque discipulis suis;* [71] et Lucas: *Respiciens in coelum benedixit eis et fregit.* [72] Accipit ergo Christus panes piscesque in manibus, aspicit in coelum, gratias agit Deo, benedicit panibus frangensque eos et distribuens discipulis multiplicat. Sic Deus accipit semina rerum in manibus suae potentiae coelestemque ac divinam influit virtutem eaque virtutibus naturalium causarum committens mirabiliter multiplicat. O mirabilis ars et potentia Dei! Quomodo ex parvo semine magnam producit arborem! Quomodo modicam illam virtutem dividit in radicem, truncum, ramos, medullam, corticem, folia, flores et fructus! Quomodo ex gutta seminis animalis producit tantam corporis molem dividens virtutem seminis in membranas, pellem, carnes, ossa, nervos, venas, arterias, intestina, cartilagines, in tot membra, in tot sensus internos atque externos! Sed Deus, qui ex nihilo cuncta creavit, est qui haec operatur, ipse in manibus semina rerum accipit, ipse benedicit, ipse frangit. Non dicat

66) Gn 1, 24. 67) Ibid. vr. 20. 68) Cf. Ex 17, 5-6; Nm 20, 8-11. 69) Io 6, 11. 70) 14, 19. 71) 6, 41. Vulg.: *Et dedit*, etc. 72) 9, 16. Vulg.: *Respexit in coelum et benedixit illis*, etc.

Philosophus quod natura est quae haec operatur, [73] nam ego dicam: Quidnam est haec natura? Accidens an substantia? Terra, aqua, aer, ignis, coelum, luna, sol? Quidnam entium natura haec est omnium effectrix, si Deus non est? Deus, Deus est auctor omnium: *Qui operatur omnia in omnibus;* [74] ipse solem oriri facit, ipse pluit, ipse naturalia omnia mirabiliter operatur.

m) ordo, omnia disposuit mirabili arte sapientiae et diversos personarum status et conditiones instituit,

Undecimo, quisnam est ordo et dispositio divinae providentiae, quae enim a Deo sunt, ordinata sunt; sic Deus summa cum ordinis dispositione universum mirabili arte sapientiae suae composuit. In hodierno autem miraculo ordinem videmus. Facit homines discumbere super viride foenum per contubernia sua, centenos et quinquagenos; sic enim apud Marcum [75] legimus et apud Lucam. [76] Deinde ipse quidem Christus panes multiplicavit, sed dedit distribuitque discipulis, ut ipsi apponerent turbis. Sic comederunt et saturati sunt multumque tum panis tum piscium superfluit. Sic Deus posuit in mundo diversos personarum status instituitque respublicas ac civitates, has quidem maiores, illas vero minores; in unaquaque vero principes posuit divitesque et primarios viros, quibus multas divitias ac facultates dedit, non ut pro se retinerent, sed ut pauperibus distribuerent, faciens non dominos divitiarum, sed oeconomos ac dispensatores, sicut hodie Christus fecit Apostolos dispensatores panum; benedictos enim panes atque multiplicatos distribuit duodecim Apostolis. Non uni omnes dedit aut omnes omnibus in solidum, sed distribuit eos singulisque per partes panes distribuit. Sic non uni omnes mundi divitias dedit, sed plures in mundo divites principesque esse voluit, ita tamen ut quisque sit dispensator servusque fidelis et prudens, qui constitutus a Domino super familiam, *det illis cibum in tempore.* [77]

ut divites non domini, sed oeconomi essent divitiarum ad sublevandam pauperum inopiam,

quia vult illos eleemosyna salvos fieri, hos autem patientia;

Neque formidandum divitibus est ne, dispensatis in pauperes divitiis, pauperes fiant; non enim fit pauper qui frumentum seminat, sed seminando multo in messe fit ditior. Sic hodie quisque Apostolorum, satiatis turbis, implevit ex reliquiis cophinum suum; et Christus ait: Centuplum accipietis, [78] modo fideliter prudenterque propter Deum

73) Aristoteles *Metaphysic.*, lib. 11, cp. 10, t. 2, pag. 564-565. 74) 1 Cor 12, 6. 75) Cf. 6, 39-40. 76) Cf. 9, 14. 77) Mt 24, 45. 78) Cf. ibid. 19, 29. Ex Breviario Rom. Commune Apostolorum, antiph. *ad Benedictus.*

ex caritate eleemosynae pauperibus fiant. Hic est ordo a Deo datus, quod si non servatur et pauperes multi fame et inopia pereunt, inculpanda est divitum avaritia, non Dei providentia; ipse enim pro omnibus non solum ad sufficientiam, sed etiam ad abundantiam ac supereffluentiam providit. Et si rex optimus pessimos habet ministros, unde multa in regno scandala oriuntur, non rex sed ministri accusandi sunt. Cum autem Deus *omnes homines* velit *salvos fieri* [79] omnesque peccent, vult divites salvari per eleemosynas operaque misericordiae, pauperes vero per patientiam.

Duodecimo tandem, quis sit divinae providentiae finis. Ad quid Deus providet? Profecto ad gloriam suam et salutem nostram, ut nos ipsum cognoscamus eiusque divino servitio nos totos dedamus. Sic enim turbae hodie, *cum vidissent quod fecerat Iesus signum*, divinam eius supernaturalemque virtutem agnoscentes, dixerunt: *Hic est vere propheta qui venturus est in mundum*, eumque voluerunt super se regem constituere scientes quod Messias futurus erat rex super solium David regnaturus. [80] Sic vult Deus ut nos ex opere divinae providentiae cognoscamus divinam eius potentiam, sapientiam, bonitatem, misericordiam, benignitatem atque clementiam, ut ei serviamus, etc.

n) finis providentiae est ut Dei bonitatem, sapientiam et potentiam agnoscamus eique fideliter serviamus.

Sed, heu! accidit adhuc nobis quod Apostolis tunc accidit: *Non... intellexerunt*, inquit Marcus, *de panibus, erat enim cor eorum obcaecatum.* [81] Sic mundus non intelligens nec cognoscens ex cordis caecitate divinae providentiae opus, propterea non Deo sed mammonae servit, [82] et adeo humanae prudentiae innituntur [homines] humanaeque sollicitudini ad providendum sibi, ut opere clarissime ostendant se divinam providentiam nihili credere aut nihili ei fidere, ac si omnino non esset.

Sed quia mundus divinae providentiae opus non cognoscit, propterea non Deo sed mammonae servit.

IV. O homo, si credis, quaenam haec fides est tua? quaenam? Christus quidem manifestissime mandat ne solliciti simus de cibo et potu, de victu et vestitu: *Ne solliciti sitis...: Quid manducabimus aut quid bibemus aut quo operiemur? Haec enim omnia gentes inquirunt; scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Primum quaerite*

Multi, si non verbis, facto tamen ostendunt se divinam providentiam non credere,

79) 1 Tim 2, 4. 80) Cf. Is 9, 7; Mt 22, 42 sqq.; Lc 1, 32. 81) 6, 52.
82) Cf. Mt 6, 24; Lc 16, 13.

regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis. [83] Si filiusfamilias patrem habeat qui possit, sciat et velit abundanter providere universae familiae quaecunque necessaria sunt, num cogitandum illi est de victu et vestitu, de pane lucrando ac si patrem minime haberet qui ei necessaria haec provideret? Si filius iste missus a patre ad studendum addiscendumque scientias nobiles artesque liberales et manendum tanquam vir nobilis in curia regis, cogitans apud se de pane lucrando, de victu atque vestitu ac si patrem non haberet, iret ad addiscendam vilissimam aliquam artem mechanicam, iret ad serviendum alicui civi ad pascenda pecora, sicut filius prodigus, [84] tu utique mirareris, sciens cuiusnam patris filius esset, diceres ei: Cur, quaeso, vilissimam hanc artem exerces? Dicet: Ut provideam necessitatibus meis. Dices tu: Quid? Non habes patrem? Non est pater tuus dives et potens? Non potest, nescit, an forte non vult providere tibi necessaria? Stuperes si diceret: Utique potest, scit et vult providere mihi; et diceres: Si pater tuus vult, scit et potest providere tibi, cur ergo tu vilissima hac arte vis tanto cum labore et egestate necessitatibus tuis providere?

secus enim de vilissimis mundi bonis adeo solliciti non essent.

V. Nunc dicas tu mihi, frater: Tu nonne homo es? Nonne es creatura Dei? Utique. Nonne es christianus? Si christianus es, necesse est ut credas te filium Dei esse; sic enim docet Christus. Vel credis, vel non credis Christo. Si Christum deceptorem credis, christianus non es. Si christianus es, necesse est ut credas quaecunque Christus dicit et docet. Hoc autem est christianos omnes esse filios Dei, Deum patrem esse omnium nostrum et patrem amantissimum. Nunc, credis tu potentiam, sapientiam, bonitatem Dei? Credis Deum posse scire et velle providere tibi in omnibus necessitatibus tuis? Credis Deum patrem tuum posse, scire et velle? Si credis eum nolle, tu non credis eum patrem, Deus enim dicitur pater ex caritate, ex amore, ex benevolentia. Cur igitur non servis Deo, sed mundo? *Non potestis Deo servire et mammonae.* [85] Cur vilissimam hanc artem exerces, quae vilissimorum hominum est? *Haec enim omnia gentes inquirunt.* Cur pecuniae servis,

Sciunt quidem se creaturas Dei esse eiusque filios qui scit, vult et potest providere,

sed tamen terrena tantum, non coelestia quaerunt,

83) Mt 6, 31-33. Vulg.: *Nolite ergo solliciti esse . . . Quaerite ergo primum*, etc. 84) Cf. Lc 15, 13-16. 85) Mt 6, 24; Lc 16, 13.

o frater ? Cur non studes servire Christo, quaerere *regnum Dei et iustitiam eius ?*

Dices experientiam esse rerum magistram, te autem experiri quod in hoc mundo *pecuniae obediunt omnia*, ut ait Salomon,[86] quod qui pecunias non habet egestate conficitur et fame perit. Verum est, sed hoc ideo est quia gentiliter vivimus : *Haec enim omnia gentes inquirunt.* Post aurum abimus et in pecuniae thesauris magis quam in Deo speramus ; adoramus vitulum aureum[87] statuamque auream regis Babylonis :[88] Avaritia *est simulacrorum, idolorum servitus.*[89] Hodie mundus non confidit nec sperat nisi in pecunia, non quaerit nisi pecuniam, non desiderat nisi pecuniam, non laborat nisi ob pecuniam, totus mundus pecuniae servit, non adorat alium deum nisi pecuniam ; de Deo autem vivo et vero nil curat, nil cogitat ac si omnino non esset.

et ideo quia gentiliter vivunt, Deus eos sinit fame et egestate perire.

VI. Sed dicas mihi, frater : Cui vis magis inniti : tuae prudentiae an divinae providentiae ? In christiano homine tria sunt : sensus, ratio et fides, quae supra rationem est, sicut ratio supra sensum,[89a] et Deus supra hominem. Potes igitur vitam ducere vel secundum sensum animaliter vivendo, vel secundum rationem ut homo, vel secundum fidem ut christianus. Et Christus quidem requirit a nobis ut tanquam christiani secundum fidem supra humanae rationis et prudentiae regulas vitam ducamus. Hoc est enim hodie quod Philippum tentat dicens: *Unde ememus panes ut manducent hi ?* Philippus rationabiliter respondit iuxta humanam prudentiam : *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis ut quis modicum quid accipiat.*[90] Sed Christus expectabat ut secundum rationem fidei responderet dicens : Domine, non opus est tibi panes emere qui mundum universum ex nihilo creasti. Fides est supra rationem, supra prudentiam, supra experientiam. Dicas mihi nunc : Quomodo vis vivere : ut christianus, an ut paganus ? Si ut christianus, necesse est ut vivas secundum fidem supra rationem, prudentiam et experientiam, ita ut, quamvis experientia in contrarium esset et contra fidem militaretur, tu tamen credere debeas quod fides docet, non quod experientia monstrat, sicut in Sanctissimo altaris

Opus est ut christianus christiane vivat, idest secundum fidem, quam Christus docuit, vitam ducat,

non secundum humanae rationis et prudentiae regulas.

86) Eccle 10, 19. 87) Cf. Ex 32, 1-6. 88) Cf. Dn 3, 1-7. 89) Col 3, 5.
89a) Ms.: *Supra fidem.* 90) Io 6, 7. Vulg.: *Ut unusquisque modicum*, etc.

Sacramento. Et tamen nos, qui fidem christianam profitemur, saepe nedum non secundum fidem vivimus, sed nec secundum rationem quidem, brutali sensu ducti tanquam animalia.

Qui Deo serviunt, Deus eos perire non sinit, sicut ostendit cum populo hebraeo in deserto,

VII. Sed dico : Ubinam unquam expertus es tu quod hi qui Deo serviunt egestate conficiantur et fame pereant ? Num fame perierunt aut egestate confecti fuerunt Hebraei quadraginta annis in deserto, quibus nec vestimenta nec calceamenta attrita fuerunt ? [91] Num fame perierunt hodie hi qui Christum sequebantur ? Et Christus non semel tantum, sed bis miraculum panum operatus fuit, ut sciremus eum posse id agere quotiescunque libuerit et opus fuerit. Deus, qui propter iustos hunc mundum creavit cum omnibus quae in eo sunt, et propter eos ipsum conservat, gubernat et regit, hos sinet egestate confici et fame perire ? Pater amantissimus filios dilectissimos sinet fame perire ? Experire, experire, frater, et videbis quot modis possit Deus electis suis necessaria providere. Potest eos absque omni cibo sustentare, sic enim sustentavit Moysen tribus quadragenis dierum ; [92] sic Eliam quadraginta diebus sustentavit [93] et Christum in quadragesimali ieiunio. [94] Potest providere necessarium in cibo, sicut providit Hebraeis in deserto, vel Eliae in torrente Carith, cui corvus per singulos dies panem carnesque portabat. [95] Potest multiplicare modicum panis, sicut multiplicavit farinam oleumque viduae sareptanae ut nutriret Eliam, sicut Eliseus multiplicavit viginti panes filiis prophetarum, et oleum in vase viduae illi hebraeae ut solveret debitum creditori suo, sicut hodie Christus multiplicavit quinque panes et alias septem. [96] Mille modis Deus et naturalibus et supernaturalibus mediis potest et vult electis suis necessaria ad victum vestitumque providere. Sic enim mirabili providentia sua ditavit Iacob in domo Laban, [97] et exaltavit Ioseph in Aegypto, ut sustentaret domum familiamque patris sui, ne periret in caritate illa extrema et fame septem annorum. [98]

cum Moyse, cum Christo, Elia et Eliseo,

et Christus ipse ostendit panes et pisces multiplicando.

VIII. Tentavit hodie Christus Philippum dicens : *Unde ememus panes ut manducent hi ? Hoc autem dixit tentans eum.* Sic saepe tentat

91) Cf. Dt 29, 5. 92) Cf. ibid. 9, 9. 18. 25 sqq.; part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 340, not. 83. 93) Cf. 3 Rg 19, 5-8. 94) Cf. Mt 4, 1-2; Lc 4, 1-2. 95) Cf. 3 Rg 17, 5-6. 96) Cf. Mc 8, 1-10. 97) Cf. Gn 30, 30-43. 98) Cf. ibid. 41, 39-42, 1 sqq.

Deus electos suos ad probandam fidem divinae providentiae. Ea enim quae ad vitam sustentandam necessaria sunt, duobus modis providere nobis possumus: vel rationibus humanis, vel divinis. Haec enim sunt duo luminaria magna quae lucem dant mundo: luna et sol; luna est ratio humana humanaque prudentia, sol vero divina providentia. Tentat autem Christus ut probet an magis humanae prudentiae fidamus an providentiae divinae, an speremus magis in mammona an in Deo.

Deus tentat electos suos ad probandam eorum fidem, an fidant divinae providentiae.

Respondit... Philippus: Ducentorum denariorum panes, etc. Respondit Philippus secundum humanam prudentiam, non secundum divinam providentiam. Si enim ad hanc respexisset Philippus, dixisset utique Domino: Non opus tibi est panes emere, tu enim ex nihilo mundum creasti; tu sine pane potes eos nutrire, sicut Moysen et Eliam nutrivisti quadraginta diebus; tu potes manna de coelo eos pascere, sicut populum tuum quadraginta annis in deserto; tu potes per Angelos providere panem, sicut Eliae; potes ex lapidibus his panes facere, [99] sicut virtute tua convertis terram in frumenta et panem. Tu Deus es omnipotens, *non erit impossibile apud te omne verbum.* [100] Sic utique dixisset Philippus, si divinam Christi omnipotentiam credidisset vel considerasset. Similiter Andreas, cum ait: *Est puer unus hic qui habet quinque panes*, etc., non dixisset: *Sed haec quid sunt inter tantos?* [101] si divinam Christi virtutem considerasset. Dixisset enim: Domine, tu multiplicasti farinam et oleum viduae sareptanae ad nutriendum Eliam; tu multiplicasti viginti panes hordeaceos per Eliseum; tu semina multiplicas rerum; ex quinque igitur hisce panibus potes innumerabilem hominum multitudinem saturare. Veluti si rex, habens infinitos thesauros auri et argenti, diceret alicui ex suis aulicis: Quis commodabit nobis pecuniam ad solvendum stipendia militibus nostrorum exercituum? profecto vir prudens diceret: Domine, non desunt aquae mari nec stellae coelo. Habes infinitos thesauros, quos nec mille exercitus exhaurirent. Sed uterque ad humanam prudentiam humanaeque provisionis rationem recurrunt: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt...; haec quid sunt inter tantos?* Haec autem ostendunt quam parum capaces simus rationum divinae pro-

Sic Philippus et Andreas ostendunt se nonnisi humanam prudentiam respicere,

aliter enim locuti fuissent si divinam Christi virtutem considerassent.

99) Cf. Mt 4, 3. 100) Lc 1, 37. 101) Io 6, 9.

videntiae et quod nil minus quam divinam providentiam credimus et consideramus.

Ostendit hodiernum Evangelium Deum necessitates nostras cognoscere eisque providere, dummodo regnum Dei primo quaeramus,

IX. Ostenditur in sacrosancto hodierno Evangelio quidnam mysterium illud significaret quod ante divinum propitiatorium semper parata erat mensa panum propositionum.[102] Ad quid enim ibi panes illi mensaque parata? Num Deo panibus opus erat ad comedendum? Sed ad ostendendum quod necessitates nostrae semper sunt ante conspectum Domini, panis semper erat ante oculos Domini in signum quod Deus nunquam obliviscitur necessitatum nostrarum, modo tamen *regnum Dei et iustitiam eius* quaeramus. Sic Christus hodie sollicitam curam gessit providendi turbis famelicis necessarium cibum, non solum ad necessitatem, sed etiam ad voluptatem. Providit enim panem et pisces ad saturitatem et superefluentiam.

sicut hodie Christus egit cum turbis, maxima largitate dans, nihil inde recipiens.

Ostendit hodiernum Evangelium quod Christus est sicut sol, largus ad dandum, parcus autem ad recipiendum; sol enim dat lucem mundo, ex qua omnis pulcritudo et bonitas, et ipse quidem nihil recipit a mundo: *Beatius est magis dare quam recipere,*[103] dixit Christus. Hinc ipse hodie ex sese dedit turbis necessarium victum, ab eis vero recipere nihil voluit, nam: *Cum cognovisset quod venturi erant ut raperent eum et facerent eum regem, fugit... solus.*[104] Sic Eliseus propheta dedit Naaman syro desideratissimam sanitatem, sed ab eo nihil penitus recipere voluit.[105] Sed *non omnes capiunt verbum istud,*[106] quod beatius sit dare quam recipere; mundus enim oppositum tenet, quod beatius sit recipere quam dare bona, cum tamen Deus omnia det bona sua mundo atque seipsum nihilque a mundo recipiat.

Ostendit etiam Deum maximam inopiam in maximam abundantiam posse convertere,

X. Ostendit adhuc hodiernum Evangelium quod Christus ex inopia potest virtute sua magnam copiam facere suaque miseratione facit. Erat enim maxima panum inopia, aderant tantum quinque panes ad cibandos quinque hominum millia. Sed virtute Christi ex maxima inopia facta est maxima copia, nam: *Impleverunt duodecim cophinos ex fragmentorum reliquiis.*[107] Sic in deserto Deus, cum defecisset

102) Cf. Ex 25, 30; Lv 23, 5-7; Nm 4, 7. 103) Act 20, 35. Vulg.: *Quam accipere.* 104) Io 6, 15. Vulg.: *Quia venturi essent,* etc. 105) Cf. 4 Rg 5, 9-17. 106) Mt 19, 11 107) Io 6, 13.

panis, pluit manna de coelo et cum non haberent aquam, eduxit flumen de petra. [108] Sic Elias, post ariditatem maximam, cum non pluisset *annis tribus et mensibus sex,* [109] dedit pluviam copiosissimam, [110] et in diebus Elisei in Samaria ex maxima caritate, quae coegit matres urgente fame proprios filios manducare, facta fuit divino miraculo maxima abundantia. [111] Sic Deus post tenebras fecit lucem. [112]

et consuescere electis prius inopiam dare et postea abundantiam.

Ostendit etiam quod Deus electis et fidelibus suis dat prius inopiam rerum, deinde maximam copiam. Sic Abraham, Iacob, Ioseph, David, Israelitae omnes in Aegypto prius pauperes fuerunt, postea vero divites valde a Deo facti fuere. Sic enim in nuptiis, in quibus reperitur Christus, vinum bonum non primum datum est et postea deterius, sed prius deterius, postea bonum ex aquis Christi virtute magno miraculo factum. [113] In Aegypto autem abundantia praecessit, deinde fames secuta septem annorum. [114]

Ostendit insuper causam conversionis Gentium ad Christi fidem eius miracula fuisse,

XI. Ostendit quod Christus veluti magnes est hominum. Ait enim quod *sequebatur illum multitudo magna,* videntes *signa quae faciebat super his qui infirmabantur.* Multitudo enim Gentium ad sequendum Christum conversa est magnitudine miraculorum vel maxime commota, sicut populus Israel visis miraculis Moysi illum secutus fuit ex Aegypto in desertum. [115] Si enim nullo viso miraculo ad Christum mundus ab idolis conversus esset, hoc summum miraculum fuisset, quod absque miraculis mundus in Crucifixum crediderit, [116] quod erat Iudaeis scandalum, Gentibus autem stultitia, [117] credere quod homo cum latronibus crucifixus verus esset Deus, mundi rex, conditor et redemptor.

quibus potentiam et caritatem erga homines demonstrabat;

Miracula autem haec non vana et inutilia erant ad pascendum tantum intuentium oculos, qualia solent esse magorum, sed utilia et salutaria: *Super his qui infirmabantur,* illuminando [118] caecos, [119] mundando leprosos, [120] sanando infirmos, [121] suscitando mortuos. [122]

108) Cf. Ex 17, 5-6; Nm 20, 8-11. 109) Lc 4, 25. 110) Cf. 3 Rg 18, 41 sqq. 111) Cf. 4 Rg 6, 25-7, 1 sqq. 112) Cf. Gn 1, 2-3. 113) Cf. Io 2, 7-10. 114) Cf. Gn 41, 47-55. 115) Cf. Ps 104, 26-38. 116) Celeberrima ratio S. Augustini. Cf. *De Civitate Dei*, lib. 22, cp. 5, (P. L. 41, 756-757). 117) Cf. 1 Cor 1, 23. 118) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35-43; Io 9, 1-7. 119) Ms.: *Caeco.* 120) Cf. Mt 8, 1-3; 11, 5; Lc 17, 12-14. 121) Cf. Mt 8, 17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 15, 21. 28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 122) Cf. Mt 9, 18-25; Lc 7, 11; Io 11, 41-44.

Sic hodie, antequam esurientes reficeret, *sanavit languidos eorum*, ut Matthaeus ait,[123] ut miraculis hisce non tantum potentiam suam, sed etiam bonitatem, misericordiam et caritatem erga homines demonstraret.

pauperem enim hominem mundus secutus non fuisset, nisi signa vidisset.

Quod si Christus rex fuisset, mirum non fuisset si multitudo magna illum secuta fuisset. Populi enim facile reges sequuntur ; sic multitudo magna sequitur Mahumeten ; sed ille rex fuit et imperator armorumque vi et exercituum potentia regnum suum ampliavit ; regem, inquam, valde potentem facile multitudo secuta est.[124] At Christus minime rex esse voluit, nam hodie cum cognovisset quod turbae venturae essent *ut raperent eum et facerent eum regem, fugit . . . solus in montem*. Pauperem ergo hominem multitudo secuta est, *quia videbant signa quae faciebat*.

Hanc Christi providentiam erga fideles hodie quoque cernimus.

Usque hodie vero videmus quomodo Christus sequaces suos in deserto pascit. Multi enim sunt in Ecclesia Christi qui de altari vivunt ;[125] multi qui Christum in paupertate sequuntur : *Nihil habentes et omnia possidentes*,[126] cum ex quotidianis eleemosynis in Religione vivant, providente eis Christo, a quo et saturantur. Nemo enim vere in hoc saeculo satur est, nisi qui spiritu et voluntate pauper est : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.*[127]

Ostendit etiam quali animo oporteat Christum sequi.

XII. Ostendit quali animo praediti sunt qui Christum sequuntur. Turbae enim famis necessitatem patienter ferunt, non murmurant, sicut Israelitae in deserto cum panis eis defecisset.[128] Accepto autem beneficio, omnibus quibus possunt modis gratias agunt Christo, nam solvunt ora in laudes Christi : *Quia hic est . . . propheta, qui venturus est in mundum*. Deinde volunt eum super se regem constituere, eique perpetuo servire et obedire eiusque leges servare.

Ostendit quod eleemosyna non diminuit opes nec temporalia bona, sed multo magis in centuplum adauget.

XIII. Ostendit infinitam Christi bonitatem. Est autem bonitas sicut lux, diffusiva suiipsius.[129] Deus autem, cum infinita bonitas sit,

123) 14, 14. Vulg.: *Curavit languidos eorum.* 124) Cf. Hergenröther *Storia Universale della Chiesa*, vol. 2, part. 3, cp. 6, pag. 394-400. 125) Cf. 1 Cor 9, 13. 126) 2 Cor 6, 10. 127) Mt 5, 3. 128) Cf. Ex 16, 2-3; Ps 77, 18-19. 129) Axioma philosophicum, de quo cf. Dionysius Areopagita *De Divinis Nominibus*, cp. 4, (P. G. 3, 694); S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 5, a. 4, ad 2.

totam diffundit in nos bonitatem suam. Panis nanque hodiernus eucharisticum panem significat, de quo Christus ait : *Ego sum panis vivus qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* [130] Hinc non cibavit hoc pane Christus fidelem turbam nisi post transitum maris, quod Baptismi sacramentum designat, nam aquae maris illius sunt aquae Iordanis,[131] nisi postquam *curavit languidos eorum*, quod est sacramentum Poenitentiae, postquam praedicavit eis regnum Dei, [132] quod est doctrina fidei, postquam sedere fecit eos, quod est quies orationis et divinae contemplationis ; his enim sic dispositis dandus est panis eucharisticus. Et sicut Christus cum dedit eucharisticum panem, accepit in manibus et gratias agens, *benedixit ac fregit deditque discipulis suis,* [133] ita hodie. In sacratissimo autem isto pane totus Christus continetur, dat igitur nobis Christus totum seipsum. O donum infinitum et immensum !

In hodierno miraculo ostenditur figura panis eucharistici.

II. ALIA HOMILIA

Abiit Iesus trans mare Galilaeae . . . et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quae faciebat super his qui, etc. [1]

I. Sequuntur hodie Christum populi multi, nec tamen omnes pii fidelesque erant ; multi non credebant in eum ; Dominus tamen omnes satiat panibus miraculo auctis. Sic Deus omnium tum bonorum tum malorum sollicitam curam gerit, omnibus providet : *Solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos.* [2] Ipse est enim Abraham duos filios habens : *unum de ancilla,* qui *secundum carnem natus est*, et alterum *de libera*, qui natus est *per repromissionem.* [3] Sunt autem hi duo populi, [4] duo hominum genera : spiritualium et carnalium. Omnes nutrit Deus, sicut Abraham ambos filios, quorum tamen unus tantum futurus est heres, alter vero una cum matre eiciendus e domo est. [5] Vult Dominus temporalia tum bona tum mala communia esse omnibus tum bonis tum malis ne, si bona tantum

Deus omnium curam gerit tum bonorum tum malorum.

130) Io 6, 51-52. 131) Quia Iordanes lacum illum medium secat. Cf. A. Calmet *Dictionarium S. Scripturae*, sub voce: *Cenereth.* 132) Cf. Mc 6, 34. 133) Mt 26, 26.

1) Io 6, 1-2. 2) Mt 5, 45. 3) Gal 4, 22-23. 4) Cf. Gn 21, 12-13. 5) Cf. ibid. vr. 14; Gal 4, 30.

bonis et mala malis evenirent, isti quidem in desperationis barathrum demergerentur, illi in superbiam elevarentur tanquam fumus.

sed praecipue illorum, qui Christum sequuntur,

Sed tamen iustorum Dominus praecipuam curam paternamque providentiam gerit; Hebraeos enim non Aegyptios manna pavit, [6] et ad salvandum Hebraeos Moysen in Aegyptum misit, apparens ei in igne flammae rubi ardentis. [7] Veri autem Hebraei, populus Dei electus, sunt fideles omnes, qui Christum sequuntur per fidem trans mare Galilaeae, quod Baptismi sacramentum designat; mare enim istud lacus est in quem Iordanis influit, [8] et Paulus ait Hebraeos omnes in mari Rubro baptizatos fuisse. [9]

vanitates mundanas relinquentes

Sequuntur autem trans mare in desertum locum, in solitudinem. Desertum est veluti inversa effigies numismatis civitatis. Sic utique mundus, cuius princeps est satanas, [10] et Ecclesia, cuius caput est Christus, [11] summe opposita sunt, sicut desertum et Aegyptus. Divina lex non in Aegypto sed in deserto data fuit. [12] Quoniam mundanae vanitates impediunt observantiam divinae legis, hinc deserti solitudo, ubi nulla sit concupiscentia carnis et oculorum, nulla superbia vitae, [13] necessaria est ad observantiam divinae legis.

et statum perfectionis eligentes.

II. In deserto isto mons est: *Subiit... Iesus in montem... cum discipulis suis.* [14] Est status vitae perfectae, status Religionis, status summae perfectionis, quem tenuit Christus cum Apostolis; turbae manserunt in plano, non ascenderunt in montem. *Si vis perfectus esse,* etc., [15] est montem ascendere, quod minime necessarium est ad salutem, sed: *Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata,* [16] hoc necessarium est.

Hos primo docet, illuminat et pascit coelesti consolatione.

Hos autem Dominus primo quidem docuit praedicans eis de regno Dei, deinde sedere fecit *super viride foenum* [17] et pane mirabili cibavit ac saturavit, docuit credenda, speranda, diligenda, agenda, illuminans corda eorum. Sedere fecit per quietem mentis et cordis: *Invenietis requiem animabus vestris.* [18] Haec quies est otium Mariae, [19] hac quiete fruuntur piae animae in oratione, cibantur coelesti consolatione, maxime sumendo sacrosanctum Eucharistiae sacramentum

6) Cf. Ex 16, 13 sqq. 7) Cf. ibid. 3, 2-10. 8) Cf. Ios 3, 16. 9) Cf. 1 Cor 10, 2. 10) Cf. Io 14, 30; 16, 11. 11) Cf. Eph 4, 15; 5, 23. 12) Cf. Ex 19, 1 sqq. 13) Cf. 1 Io 2, 16. 14) Io 6, 3. Vulg.: *In montem Iesus*, etc. 15) Mt 19, 21. 16) Ibid. vr. 17. 17) Mc 6, 39. 18) Mt 11, 29. 19) Cf. Lc 10, 39.

saturantur, ut dicant : *Quid enim mihi est in coelo et a te quid volui super terram? . . . Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum.* [20]

Vita spiritualis convivio assimilatur,

Vita spiritualis a Christo assimilata convivio fuit et semel et iterum : *Homo quidam fecit coenam magnam,* [21] et: *Simile . . . est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* [22] Ad hoc convivium Christus vocat omnes, et multi renuunt. Salvari volumus omnes, gustare quae in hoc convivio parata sunt; sed non omnes Christum sequi *trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis.* Mare istud ex dulcibus aquis Iordanis mundum hunc designat, [22a] aquae enim multae populi multi sunt. [23] Dulces aquae huius maris, delectant valde mundanos homines temporalia bona; sed Christus *abiit trans mare . . . Tiberiadis* in desertum locum. Est mundus *mare Galilaeae,* revolutionum, [24] et mare *Tiberiadis,* a Tiberio imperatore; [25] est subiectus principibus, hinc multae revolutiones, hinc Christus temporalia bona contempsit sibique desertum elegit, ubi electis suis quietem daret eosque reficeret ac saturaret. Multi autem ad convivium istud vocantur *trans mare Galilaeae,* sed hic ait : *Villam* ego *emi et necesse habeo,* etc. ; alter : *Iuga boum emi quinque;* alter : *Uxorem duxi et ideo non possum venire.* [26] Sic pereunt in aquis maris huius, sicut Aegyptii in mari Rubro submersi fuerunt. [27] Trans mare autem ire est omnia relinquere et Christum sequi cum Apostolis. In deserto autem loco Christus turbas docet, curat a languoribus, sedere facit *super viride foenum,* reficit pane mirabili. Sic in deserto vitae spiritualis Christus electos suos purgat, illuminat, perficit omnique spirituali consolatione replet; nec tantum replet, sed etiam superabundanter et supereffluenter replet.

ad quod omnes vocantur, sed multi renuunt, bonis mundi capti,

et sic divinas Christi consolationes amittunt.

Elucet in hoc Evangelio infinita pietas Christi,

III. In sacrosancto hoc Evangelio circa personam Domini duo nobis consideranda proponuntur : affectus et effectus Christi, effectus misericordiae et pietatis : *Misereor super turbam;* [28] *Misertus est super eos,* inquit Marcus, *quia erant sicut oves non habentes pastorem.* [29] Hic autem affectus minime sterilis est, minime otiosus; fecundus est

20) Ps 72, 25. 21) Lc 14, 16. 22) Mt 22, 2. 22a) Cf. not. 130 praec. hom., pag. 309. 23) Proverbium, de quo cf. part. 1 huius *Quadragesimalis,* pag. 212, not. 64. 24) Sic enim latine *Galilaea* interpretatur. 25) Cf. A. Calmet *Dictionarium S. Scripturae,* sub voce : *Tiberias.* 26) Lc 14, 18-20. 27) Cf. Ex 14, 27-28. 28) Mc 8, 2. 29) 6, 34.

et sollicitus, exercet cor, linguam, oculos et manus Christi. Cor et linguam: *Unde ememus panes ut manducent hi?*[30] Exercuerat prius linguam Christi in doctrina sacra, qua tota die multa locutus eis fuerat de regno Dei;[31] nunc autem exercet eam ad tractandum de cibo corporali; deinde exercuit in benedictione panum. Exercuit oculos ut sublevaret eos ad turbas, ad videndas earum necessitates tum spirituales tum corporales, nec tantum ad videndum sed etiam ad providendum; exercuit etiam sublevando eos in coelum ad Patrem, sicut linguam exercuit in gratiis agendis Deo. Tandem exercuit manus ut acciperet panes, ut frangeret, ut multiplicaret, sicut farinam sareptanae per Eliam[32] et oleum viduae per Eliseum,[33] ut distribueret per Apostolos turbis.[34] Prius autem Christi manus exercuit in curandis et sanandis infirmis.[35] Sic multa hodie Christus miracula fecit. Sic videmus et affectum et effectum divinae pietatis. O utinam exemplum hoc Christi hodie principes et pastores imitentur, ut sicut praesunt sic prosint.

qua motus tot mirabilia hodie operatur, ut necessitatibus turbarum provideret.

III. ALIA HOMILIA

Abiit Iesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis, et sequebatur illum multitudo magna, quia videbant, etc.[1]

Hodie Ecclesia providentiam Dei considerandam proponit,

I. Audire mihi videor hodie suavissimum concentum et harmoniam in choro sacrosanctae Ecclesiae tribus vocibus principalibus constantem:[2] gravi, acuta et media. Gravem agit Moyses in nocturnis lectionibus Scripturae, mediam Paulus in Epistola et acutam Ioannes in Evangelio;[3] omnes simul concentum faciunt, quoniam omnes de divina providentia loquuntur. Moyses ducit gregem in interiora deserti et Deum videt in flamma rubi loquentemque audit de providentia sua super populum suum, qua curabat educere illum de Aegypto et introducere in terram promissionis;[4] Paulus loquitur de providentia Dei super synagogam Iudaeorum et Ecclesiam

30) Io 6, 5. 31) Cf. ibid. 5, 16 sqq. 32) Cf. 3 Rg 17, 13-16. 33) Cf. 4 Rg 4, 2-5. 34) Cf. Mt 15, 36; Mc 8, 6-7. 35) Cf. Mc 7, 25 sqq.; Io 6, 2.

1) Io 6, 1-2. Vulg.: *Sequebatur eum*, etc. 2) Ms.: *Constans*. 3) Cf. Breviarium Rom. lect. primi nocturni huius diei; Missale Rom. Epistola et Evangelium huius diei.
4) Cf. Ex 3, 1-15.

Christi fidelium;[5] evangelista Ioannes loquitur de providentia Christi super turbas esurientes.[6]

Quamvis autem Deus, sicut omnium rerum creator est, ita omnium quoque conservator sit et omnibus provideat quae necessaria sunt conservationi earum, canit tamen hic chorus quod Deus suorum specialem curam et providentiam habet. Moyses oves pascit et ducit ad interiora deserti, munda et sancta animalia, non immunda et noxia. Deus de medio ignis in rubo de salute non Aegyptiorum sed Hebraeorum tractat. Abraham filium ancillae una cum matre domo eicit et filium liberae heredem instituit. Christus in parabola filii prodigi se patrem dixit habentem duos filios;[7] quare ipse est Abraham habens duos filios, quorum alter secundum carnem vivit, alter vero secundum spiritum;[8] alter Ismael est, alter Isaac;[9] alter Esau, alter Iacob.[10] Ipse Christus hodie nonnisi fideles turbas, quae ipsum sequebantur, pascit. Pastor est Ecclesiae fidelium suorum, non synagogae satanae.[11] Pascit Christus eos qui primo et ante omnia regnum Dei quaerunt et iustitiam eius,[12] qui salutem animarum suarum operantur,[13] qui animam corpori et spiritum praeferunt carni, quales erant fideles hae turbae, quae cibi et potus oblitae ob magnum desiderium verbi Dei et salutis aeternae, Christum per deserta sequebantur.

qui omnibus providet quae necessaria sunt, specialem tamen curam suorum gerit,

sicut hodie Christus ostendit turbas pascendo quae ipsum sequebantur.

II. Sed, heu! ubi sunt hodie tales turbae? Ubi sunt qui non acceperunt in vanum animas suas?[14] Ubi sunt qui sedent *super viride foenum*,[15] qui carnem et carnalia omnia propter Christum calcant? *Omnis caro foenum;*[16] *Qui... sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*[17] Vis videre, homo, quod in vanum recepisti animam? quod pro nihilo animam habes? Ludis aliquando cum amico vel socio aliquo ludo latrunculorum, ludis autem non ad aliquid lucrandum, sed ad tempus sine fastidio transigendum, ad animi voluptatem capiendam. Si quis petat: Quid iocamini? Dices: Nihil, iocamus pro voluptate; et tamen, cum nihil eo ludo vel lucrari speres vel perdere timeas, totam apponis mentem ne vincaris, ne perdas,

Sed multi sunt qui tempus insumunt vanissimis ludis maxime intenti,

5) Cf. Gal 4, 22 sqq. 6) Cf. 6, 1-15. 7) Cf. Lc 15, 1 sqq. 8) Cf. Gal 4, 29. 9) Cf. Gn 21, 9-12. 10) Cf. ibid. 25, 22-26. 11) Cf. Apc 2, 9; 3, 9. 12) Cf. Mt 6, 33. 13) Cf. Phil 2, 12. 14) Cf. Ps 23, 4. 15) Mc 6, 39. 16) Is 40, 6. 17) Gal 5, 24.

sed ut vincas; et quandoque multa et maxima cum attentione magnam diei partem insumis in eo ludo. Ad quid tanta attentio, tanta mentis appositio et intentio per integras horas? Ad nihilum.

dum pro salute animae nihil prorsus operantur.

Nunc dicas mihi si quando tali tantaque cum attentione integram horam vel dimidiam in oratione insumpsisti pro salute animae tuae. Recogita omnes annos vitae tuae et vide si quando tanta cum attentione orasti cum quanta lusisti pro nihilo. Minus igitur nihilo aestimas animam tuam, minus nihilo salutem animae tuae reputas; vere ergo in vanum recepisti animam tuam. Proh pudor! Non erubescimus, non confundimur, conscientia ipsa connivente quod pluris facimus nihil ipsum quam animam nostram?

Digni sunt speciali providentia Dei qui carnem spiritui subiciunt ab adolescentia.

III. Iussit Dominus, antequam miraculum hoc operaretur, omnes discumbere et sedere *super viride foenum*, quod quidem mysterio vacare minime putandum est. Quid enim foenum nisi caro? Sic Isaias ait: *Omnis caro foenum et omnis gloria eius sicut flos foeni.*[18] Illi ergo digni sunt singulari providentia Dei qui sedent super foenum, qui carnem tenent spiritui subiectam et sensum rationi. Iussit autem *super viride foenum* sedere. Caro in senectute et decrepita aetate veluti foenum siccum est, sed in iuventute, cum plena multo humore libidinis est, cum sanguis fervet, cum sensus viget et potens est, tunc foenum est viride. In ipso iuventutis flore carnem mortificare et spiritui subicere virtutis amore propter Deum, hoc est sedere *super viride foenum*. Sed quam pauci sunt hodie qui foenum hoc calcant et *super viride foenum* sedent, qui spiritu facta carnis mortificant![19] Multi sunt qui carnem magis quam spiritum diligunt, corpus quam animam, quam Christum, quam Deum ipsum et gloriam ipsius. Sed hi sunt qui in deserto pereunt *in sepulcris concupiscentiae*, quoniam carnes Aegypti magis appetunt quam manna coeleste, ideo indigni sunt ingressu terrae promissionis.[20]

non qui corpus magis quam animam diligunt.

IV. *Illi ergo homines, cum vidissent quod fecerat Iesus signum, dicebant: Quia hic est vere propheta* ille *qui venturus est*, etc.[21] Osten-

18) 40, 6. Vulg.: *Quasi flos agri.* 19) Cf. Rom 8, 13. 20) Cf. Nm 11, 1 sqq; Dt 9, 22.
21) Io 6, 14. Vulg.: *Quod Iesus fecerat*, etc. *Ille* ex graeco; graece enim est cum articulo: Ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος. Cf. similis casus part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 237.

dit sacrosanctum hodiernum Evangelium Christum Dominum nostrum esse prophetam illum similem Moysi, quem Deus promisit Hebraeis : *Prophetam de medio tui ex fratribus tuis suscitabit tibi Dominus... similem mei: illum audies.* [22] Et plane ostenditur hodie Christus similis Moysi. Sicut enim Moyses eduxit populum de Aegypto in desertum trans mare Rubrum [23] ibique eos mirabili pane pavit, [24] sic hodie Christus. Et miraculum quidem illud non Moyses fecit, sed Deus ; istud autem Christus divina sua virtute fecit. Quare merito ait populus: *Quoniam hic est vere propheta* ille *qui venturus est in mundum.* Neque enim ille ibi promissus Iosue esse potest, nam Iosue iam constitutus erat iudex populi [25] cum Moyses verba ista dixit mox moriturus. At hic loquitur de futuro : *Prophetam... suscitabit,* nec legimus ubi Iosue propheta sit appellatus.

Ostendit hodiernum Evangelium Christum verum Messiam esse a Deo Moysi promissum.

IV. ALIA HOMILIA

Abiit Iesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis, et sequebatur illum turba magna, quia videbant, etc. [1]

I. In hodierno Evangelio clara et aperta habetur demonstratio veluti mathematica divinae erga fideles suos providentiae, quod cogitat Dominus de nobis, hoc enim est quod summus pontifex Veteris Legis supra cor in *Rationali* portabat nomina omnium tribuum Israel. [2] Mysterium est hoc, quod Dominus curam habet de nobis, cogitat de nobis, sumus ei cordi, quoniam diligit nos. Hinc in Sacris Litteris Deus nomen accipit *regis,* [3] *pastoris* [4] et maxime *patrisfamilias.* [5] Sicut enim pater quia filium genuit, curam eius gerit ut nutriat eum, sic Deus quia mundum creavit, consequens est ut eum providentia sua conservet. Patris enim familias, qui pro habitatione familiae suae domum fabricat, non solum est prima necessaria omnia habitationi

Agitur hodie de mysterio divinae providentiae.

Deus, qui mundum creavit, debet providentia sua eum regere.

22) Dt 18, 15. Ex hebraico. 23) Cf. Ex 14, 1 sqq. 24) Cf. ibid. 16, 1 sqq.
25) Cf. Nm 27, 15 sqq.

1) Io 6, 1-2. Vulg.: *Sequebatur eum multitudo magna*, etc. 2) Cf. Ex 39, 8-14.
3) Cf. Ps 5, 3; 23, 7-10; 43, 5; 46, 3-8; Is 43, 15; 44, 6; Ier 10, 7-10; Soph 3, 15; Mal 1, 14.
4) Cf. Ps 73, 1; 78, 13; 99, 3; Is 40, 11; Ier 17, 16; Ez 34, 5 sqq. 5) Cf. Ps 33, 12; Eccli 23, 1-4; Is 63, 16; 64, 8; Ier 3, 20-22; 31, 9; Mal 1, 6; 2, 10; Mt 5, 16. 45-48; 6, 1 sqq.; 13, 27; 20, 1. 11; 21, 33; Io 11, 1-13; 12, 22-32.

providere, sed quia utensilia omnisque supellectilis continuo usu consumuntur, curam gerere ut iugiter quaecunque necessaria sunt specialiter etiam unicuique suppeditentur. Cum Deus mundum creavit, providit quidem omnia necessaria abundanter et supereffluenter ; sed quoniam haec omnia sunt interitui et corruptioni obnoxia, curam semper gerit ut familiae suae provideat omnia necessaria.

Divinae providentiae mysterium coniunctum est cum mysterio creationis, utrunque incomprehensibile.

Mysterium hoc divinae providentiae coniunctum valde est cum mysterio creationis, imo quod rerum procreatio veluti sensibilis quaedam demonstratio est creationis. Sicut enim ex semine procreantur segetes, procreantur arbores, procreantur animalia incomprehensibili ac ineffabili artificio ac magisterio divinae sapientiae divinaeque potentiae secretissima virtute, sic utique Deus mundum incomprehensibili ac ineffabili ratione creavit. Quod si creationem capere non possumus, quis capere potest rerum procreationem ?

Sicut Deus curam gerit totius mundi, ita Christus totius Ecclesiae.

Sicut autem Deus curam gerit totius mundi, ita Christus totius Ecclesiae. Hinc legimus quod septem oculos habet. Sic Ioannes in *Apocalypsi* ait : *Vidi, et ecce in medio throni ... agnum stantem ... habentem cornua septem et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* [6] Stat supra thronum, quoniam rex est ; habet septem cornua, quoniam potentissimus est, omnia potest ; septem oculos, quoniam sapientissimus est ac providentissimus. Sic hodiernum Evangelium clare demonstrat.

Saepissime Divina Scriptura loquitur de divina providentia.

II. Divina Scriptura saepissime ac frequentissime loquitur de divina providentia magis quam de divina essentia, ita ut magis curet Deus magisque ei placeat ut divinam cognoscamus providentiam quam essentiam. Sic Moysi ait : *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac et Iacob in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis* [7] – nomen שַׁדַּי [8] est nomen providentiae, nomen autem יְהֹוָה nomen essentiae, – indicavi illis nomen providentiae, non autem nomen essentiae. Cum autem Moysi nomen essentiae suae manifestavit : *Ego sum qui sum,* statim adiunxit nomen providentiae : *Sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos. Dixitque iterum ...: Sic*

6) 5, 6. 7) Ex 6, 2-3. 8) Ms.: *Sadai* et infra: *Iehovah.*

dices filiis Israel: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob misit me ad vos. [9]

Parum loquitur de sua essentia, multum autem de sua providentia, quoniam hanc magis ut cognoscamus cupit, nam coniuncta est divina providentia divinae essentiae sicut radius solaris luci. Cognitionem divinae essentiae reservat nobis Deus in futura vita, nam : *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* [10] Cognitionem autem divinae providentiae dat hic nobis. Divina essentia tota est potentia, tota sapientia, tota bonitas et caritas; divina autem providentia ostendit divinarum harum virtutum exercitium, quod non est otiosa divina potentia, non otiosa divina sapientia, non otiosa divina bonitas et caritas: *Pater meus usque modo operatur et ego operor.* [11] Operatur utique ut sua nos providentia regat, gubernet ac perpetuo servet.

sed parum de divina essentia, quia huius cognitio reservatur in futura vita, providentiae vero datur in praesenti;

Vult Dominus ut cognoscatur a nobis mysterium divinae providentiae, hinc expectat ad miraculum hoc faciendum usque ad tempus necessitatis. Hinc tentat Philippum : *Unde ememus panes ?* [12] Hinc inquirit : *Quot panes habetis ?* [13] ut evidenter, cognita necessitate, agnosceretur divina providentia. Certa autem cognitio divinae providentiae basis et fundamentum est religionis cultusque divini. Hinc cum apparuisset Dominus patriarchae Iacob promisissetque ei se curam ipsius habiturum ac necessaria omnia provisurum, tanta accepta divinitus promissione, vir sanctus ait: *Si fuerit Dominus mecum et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum et vestimentum ad induendum, reversusque fuero prospere in domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei.* [14] Hodie etiam turbae, *cum vidissent quod fecerat Iesus signum,* [15] voluerunt facere eum regem, in signum grati animi seipsos voluerunt ei perpetuos servos devovere ac dedicare. Sic divina providentia evidenter cognita basis ac fundamentum est, imo radix et origo religionis et cultus divini. Hac enim ratione vel maxime adducuntur homines ad serviendum Deo.

cognitio enim certa divinae providentiae basis et fundamentum est religionis;

ideo turbae, viso miraculo, in signum grati animi voluerunt facere Christum regem.

9) Ex 3, 14-15. Vulg.: *Haec dices filiis Israel, Dominus,* etc. 10) 1 Cor 13, 12. 11) Io 5, 17. 12) Ibid. 6, 5. 13) Mc 6, 38. 14) Gn 28, 20 sqq. Vulg.: *Si fuerit Deus . . . ad domum patris mei,* etc. 15) Io 6, 14. Vulg.: *Quod Iesus fecerat signum.*

Hinc eriguntur altaria et templa, hinc vota fiunt, hinc orationes emanant.

Deus aliquando servos suos penuria tentat,

III. *Unde ememus panes ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum, ipse enim sciebat quid esset facturus.*[16] Non tentat Christus sicut diabolus ad malum, *nam Deus intentator malorum est, ipse... neminem tentat*[17] ad malum, sed sicut tentavit Deus Abraham;[18] diabolus tentat ut inimicus, Christus ut amicus, ut magister digladiandi in athletarum ludo. Est enim Christus digladiandi magister: *Qui docet manus meas ad proelium et digitos meos ad bellum.*[19] Aliter tentatur tirunculus a magistro artem discens digladiandi, aliter athleta in monomachia a suo antigonista et adversario. Finis enim tentationis illius est salus, huius autem perditio; tentatur enim ut occidatur. Tentatur Philippus, ut exercitetur in fide, ut agnoscat mysterium divinae providentiae, ut discat hac fide instructus atque munitus vitam suam instituere, non tantum in humana ratione humanaeque providentiae legibus. Expectavit hodie Dominus famis necessitatem: *Si dimisero eos ieiunos... deficient in via,*[20] ut evidentius agnosceretur miraculum. Ad hoc Deus quandoque immittit penuriam et caritatem annonae, ut sciamus mundum divina providentia regi, ut, necessitate urgente, recurramus ad eum pro auxilio opportuno.

volens ut ad eum recurrant pro auxilio opportuno.

Servi Dei non tantum abundant pane materiali, sed etiam cibo suavitatis spiritualis,

IV. Pavit Dominus hodie fideles turbas non solum pane, sed etiam piscibus, pavitque abundanter: *Quantum volebant,*[21] pavit superefluenter: *Repleti sunt,*[22] *saturati sunt*[23] et sustulerunt fragmenta quae superfuere impleveruntque duodecim sportas; quo doceremur quod vita servorum Dei habet non tantum panem necessitatis, sed etiam pisces suavitatis spiritualis, habet iucunditates suas: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!*[24] Sic legimus quod vultus servorum Dei, Danielis, inquam, et sociorum eius, apparuerunt multo pulcriores vultibus aliorum iuvenum, qui vescebantur cibo regio, cum illi nonnisi leguminibus vesceren-

16) Ibid. vrr. 5-6. 17) Iac 1, 13. Vulg.: *Deus enim intentator*, etc. 18) Cf. Gn 22, 1-14. 19) Ps 143, 1. 20) Mc 8, 3. 21) Io 6, 11. 22) Ibid. vr. 12. Vulg.: *Impleti sunt.* 23) Mt 14, 20; Mc 8, 8. 24) Ps 30, 20.

tur.[25] Virtus animi magnam secum affert iucunditatem. Petrus in monte ait: *Domine, bonum est nos hic esse.*[26] Hodie fideles in deserto *repleti sunt, saturati sunt* supra voluntatem et desiderium, quod praestare non potest mundus. In mundo enim nemo est sua sorte contentus, nemo satur conspicitur mundi bonis, omnes sunt famelici; qui autem Christi pane sunt pasti, *saturati sunt.*

quia virtus magnam affert iucunditatem animi.

V. Pavit Christus omnes tum bonos tum malos, sicut Abraham enutrivit non solum Isaac, natum per repromissionem ex Sara, sed etiam Ismaelem, natum secundum carnem ex Agar ancilla.[27] Deus Pater est omnium, hinc tanquam piissimus pater aequaliter omnibus providet. Pater enim est, non potest non providere familiae suae; ad hoc enim Deus talem tantamque posuit sollicitudinem in paternis pectoribus, ut sciamus quod sicut pater imago quaedam et umbra est Dei, principalis patris, ita paterna haec providentia et cura imago et umbra est divinae providentiae. Nos miseros, qui pluris umbram facimus quam veritatem! Cur enim in necessitate positus quisque, si sciat patrem ipsius et posse et velle ei subvenire tanquam dilecto filio, ad eum utique recurrit, nos autem ad Deum minime?

Deus omnibus nunc providet, bonis et malis, quia pater est omnium:

Sed, age, Deus tanquam pater amantissimus omnibus providet bonis et malis; Abraham est p a t e r m u l t i t u d i n i s,[28] pascit in domo sua et Isaac et Ismael. Sed tandem decreto divinae sententiae domo eicit Ismaelem una cum matre: *Eice ancillam et filium eius, non enim erit heres filius ancillae cum filio liberae.*[29] Eicitur domo, quoniam persequebatur eum, qui per repromissionem natus erat Dei dono, qui Dei electus erat.[30] Ismael est qui secundum carnem vivit, Isaac qui secundum spiritum.

sed qui eius bonitatem spreverint, ab eius paterna providentia excludentur.

De fidelibus sanctisque turbis hodie legimus quod cognoverunt divinum beneficium, recognoverunt divinum benefactorem, solverunt linguas et ora in laudem ipsius: *Hic est vere propheta, qui venturus est in mundum,*[31] in signum gratitudinis voluerunt eum facere sibi regem; nam hic quidem finis est divinae providentiae, ut Deum cognoscamus, diligamus, laudemus, colamus et serviamus. Noluit tamen

Recognoscenda ergo sunt divina beneficia, quia Deus gaudet gratitudine animi nostri.

25) Cf. Dn 1, 12-15. 26) Mt 17, 4. 27) Cf. Gn 21, 1-14. 28) Sic latine *Abraham* interpretatur. 29) Gn 21, 10; Gal 4, 30. 30) Cf. Gal 4, 22 sqq. 31) Io 6, 14.

Christus acceptare a populis regiam dignitatem, quia a Deo rex constitutus erat,[32] quia bonorum nostrorum non indiget;[33] gaudet tantummodo gratitudine animi. Hic ergo est Isaac, qui divina cognoscit beneficia, qui recognoscit benefactorem, gratias agit, laudat, perpetuo colere ac servire disponit. Qui autem secus agit, Ismael est, qui divinis abutitur beneficiis contra Deum.

32) Cf. Ps 2, 6. 33) Cf. Ps 15, 2.

FERIA SECUNDA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

Cum Christus summo amore Patrem diligeret, summo zelo eius honorem vindicavit.

I. Sicut in mundo hoc tempora quattuor: ver et autumnus, aestas et hiems, aequalia sunt; tempus item lucis et tenebrarum, dies et nox proportionaliter in toto anno; in unoquoque etiam animali pars dextera aequalis est sinistrae; sic in homine vires animi cordisque humani, concupiscibilis et irascibilis, amor boni et odium mali, amor sanitatis, lucis et vitae et odium infirmitatis, caecitatis et mortis, amor utilis, delectabilis et honesti ac odium damni, poenae et verecundiae. Quantus est amor vitae tantum est odium mortis, quantus zelus honoris tanta ira ad vindicandam honoris offensam. Hinc, cum Christus summopere Patrem diligeret eiusque divinum honorem summo ardentissimoque zelo zelaretur, videns hodie contra divinum honorem factam esse domum locumque orationis domum negotiationis speluncamque latronum, facto flagello, divinum vindicat honorem ostendens quod ipse vere est *Deus zelotes.* [1]

Prope erat pascha Iudaeorum, et ascendit Iesus Ierosolymam et invenit in templo vendentes boves, etc. [2]

Sicut Deus simul misericordissimus est et iustissimus,

II. Mirabile plane erat videre columnam illam coelestem, quae populo Dei in deserto ducatum perpetuum praebebat, quomodo mira quadam metamorphosi se transformabat nunc in nubem nunc in ignem, ut diu quidem nubes esset pulcherrima et lucidissima, noctu vero ignis ardentissimus maximusque. Sed opera Angeli Domini, qui in medio illius columnae erat, fiebat mirabilis illa transmutatio in contraria. [3] Nubes enim aqueus vapor est, aqueae naturae in aquamque universa dis-

1) Ex 20, 5; 34, 14. 2) Pericope huius diei Io 2, 13 sqq. Cf. Missale Rom.
3) Cf. Ex 13, 21 sqq.; 14, 19-20.

sic Christus mitissimus et zelantissimus; solvitur; ignis vero aquae videtur summe contrarius; una tamen columna simul et aquea nubes erat et ignea flamma. Sic nobis quidem misericordia et iustitia contraria videntur in Deo et humilis mansuetudo et zelus ardens iustitiae, rigidus atque severus. Deus tamen simul misericordissimus est atque iustissimus, [4] et Christus humillimus corde atque mitissimus [5] et simul etiam ignitissimi et ardentissimi zeli.

bene per Moysen et Eliam figuratus. Hoc est quod in gloriosa Christi transfiguratione apparuerunt Moyses et Elias: [6] Moyses, de quo legimus: *Erat... Moyses vir mitissimus super omnes homines*, [7] et Elias zelantissimus, de quo legimus quod semel et bis interrogatus de coelo quid ageret, respondit: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum*, [8] ad ostendendum quod Christus simul erat sicut Moyses mitissimus et sicut Elias zelantissimus honoris divini. Sic Christus Cherub est apud Ezechielem 41 habens duas facies: faciem hominis et faciem leonis, [9] et apud eundem capite 1 Christus sedens in throno suae gloriae habet aspectum ignis et *aspectum arcus, cum fuerit in nube in die pluviae;* [10] quod quidem signum positum a Deo est perpetuae misericordiae. [11] Et apud Ioannem Christus ostenditur *similis... aspectui... iaspidis et sardinis*, [12] viridis rubeusque, sicut iris in coelo. Talem se Christus ostendet in die iudicii: ostendet se Dominus electis tanquam lucentem et splendidam nubem: [12a] *Venite, benedicti Patris mei*, etc., et reprobis tanquam ignem consumentem: *Ite, maledicti, in ignem aeternum*, [13] sicut illa eadem columna Hebraeis splendida et Aegyptiis tenebrosa visa fuit. [14]

Et hodie quidem ostenditur iustissimus et misericors, III. Et in sacrosancto hodierno Evangelio Christus tanquam Deus ostendit opus iustitiae et misericordiae et tanquam homo opus zeli et mansuetudinis. Sicut cum Christus alias hoc idem facinus operatus fuit in eodem loco et tempore, in fine praedicationis suae: primo quidem omnes mercatores eiecit de templo ac postea *accesserunt ad eum caeci et claudi... et sanavit eos*, [15] sic hodie prius quidem eicit

4) Cf. Ps 111, 4; 114, 5; 2 Mach 1, 24. 5) Cf. Mt 11, 29. 6) Cf. ibid. 17, 1-3; Mc 9, 2-4; Lc 9, 28-30. 7) Nm 12, 3. 8) 3 Rg 19, 10. 14. 9) Cf. vrr. 18-19. 10) Vrr. 27 sqq. 11) Cf. Gn 9, 11-17. 12) Apc 4, 3. 12a) Ms.: *Lucens et splendida nubes*, et infra: *Ignis consumens*. 13) Mt 25, 34. 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti*, etc. 14) Cf. Ex 14, 19-20. 15) Mt 21, 12-14.

de templo vendentes et ementes ac deinde operatur signa, unde *multi crediderunt* in eum *videntes signa eius quae faciebat.* [16]

Sed prius Christus eicit vendentes et ementes ac postea operatur signa, quoniam prius destruenda sunt vitia ac postea plantandae virtutes. Hinc Dominus mittens Ieremiam ad praedicandum : *Ecce*, inquit, cum manu sua Deus tetigisset os prophetae, *dedi verba mea in ore tuo . . . ut evellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes.* [17] Qui domum veterem ac collapsam vult reaedificare, necesse est ut prius destruat ; qui agrum plenum spinis et tribulis vult serere, prius necesse est spinas comburere vel extirpare ; medicus volens infirmum mortali morbo curare, prius opus est malos purgare noxiosque evacuare humores, alioquin est velle sanare vulnus sagittae non extracto venenato ferro a vulnere. Sic Deus prius eduxit populum suum ex Aegypto ac postea dedit ei legem de coelo. [18]

prius enim eicit mercatores de templo et postea signa operatur, quia prius destruenda sunt vitia ac postea virtutes plantandae.

Sicuti aurifex prius purgat argentum et aurum a scoriis et faecibus ac deinde facit ex eis vasa, sic facit hodie Christus, sicut Malachias ait : *Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus . . . Et quis poterit cogitare* – hebraice *sustinere, ferre,* – *diem adventus eius ? Et quis stabit ad videndum eum ? Ipse enim quasi ignis conflans,* – hebraice *purificans,* – *et sicut herba,* – hebraice *sapo,* – *fullonum; et sedebit conflans,* sive *purgans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi et colabit,* sive *fundet, eos quasi aurum et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia ; et placebit Domino sacrificium Iuda et Ierusalem sicut dies saeculi et sicut anni antiqui;* [19] quod etiam interpretari potest : ut sint Domino offerentes oblationem in iustitia, et placeat Domino sacrificium, etc. Vocat Divus Vates Christum *Dominatorem* et *Angelum testamenti*, quoniam Christus ille est Angelus, qui Moysi apparuit in rubo ardenti dicens ei : *Ego sum Deus patris tui . . . Ego sum qui sum . . .* Ego sum *Dominus Deus patrum vestrorum;* [20] qui Moysen volentem accedere prohibuit dicens : *Ne appropies . . . huc ; solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est;* [20a] ille Angelus *princeps exercitus Domini*, qui apparens Iosue

Ideo Malachias vocat Messiam *Dominatorem* et *Angelum*;

bene figuratum per Angelum qui Moysi et Iosue apparuit

16) Io 2, 23. 17) Ier 1, 9-10. 18) Cf. Ex 14, 1 sqq.; 19, 1 sqq. 19) 3, 1-3. Vulg.: *Quasi herba*, etc. 20) Ex 3, 6-15. 20a) Ibid. vr. 5. Vulg.: *Solve calceamentum*, etc.

et in columna nubis et ignis populum ducebat,

ait : *Solve . . . calceamentum tuum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, sanctus est;* [21] Angelus ille, de quo Dominus populo suo in deserto ait : *Ecce ego mitto Angelum meum, qui praecedat te et custodiat in via et introducat* te *in locum quem praeparavi. Observa . . . et audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in eo;* [22] ille Angelus, qui tenens gladium igneum atque versatilem custodit *viam ligni vitae,* qui de paradiso eiecit primos parentes nostros post patratum peccatum. [23] Sic hodie Christus eicit de templo profanos mercatores, qui stabant in loco sancto non solutis calceamentis de pedibus suis, non sepositis involucris carnalium terrenarumque cogitationum.

per illum etiam qui custodiebat *viam ligni vitae* post peccatum.

Pietate motus erga Deum Christus hodie in templum ascendit,

IV. Moysi apparuit Angelus in igne. D i v u s V a t e s Dominatorem et Angelum testamenti praedixit fore tanquam ignem, cuius proprium est sursum in coelum ascendere. Hinc *ascendit Iesus Ierosolymam* ad adorandum aeternum Patrem suum in sancto templo, in loco orationis, in templo Dei – ascendit mente magis quam corpore, et spiritu quam carne in Ierusalem, corpore quidem terrestrem, sed mente coelestem : *Illa autem, quae sursum est Ierusalem, libera est, quae est mater nostra,* [24] – *et invenit in templo vendentes oves et boves et columbas et numularios sedentes;* invenit non adorantes Deum, sed statuam auream Nabuchodonosor [25] aureumque vitulum, quem patres eorum adoraverunt in deserto [26] adorantes idolum Baal, quod interpretatur d o m i n u s , p o s s e s s o r , patronus, idest *concupiscentia oculorum:* [27] Avaritia *est idolorum servitus.* [28]

sed illud invenit idololatria avaritiae profanatum.

Sic [29] Ezechiel in spiritu ductus a Babylone in Ierusalem, vidit

21) Ios 5, 15 sqq. 22) Ex 23, 20. Vulg.: *Ecce ego mittam . . . in locum quem paravi.... est nomen meum in illo.* 23) Gn 3, 24. 24) Gal 4, 26. 25) Cf. Dn 3, 1-7. 26) Cf. Ex 32, 1-8. 27) 1 Io 2, 16. 28) Eph 5, 5. 29) In margine haec adiecta fuerunt: « Dixit enim ei Angelus: *Ingredere et vide abominationes pessimas, quas isti hic faciunt.* Hoc autem dixit ei postquam in ingressu portae templi vidit idolum, quod avaritiam significat, quae *est idolorum servitus.* Erat idolum a parte aquilonari, nam: *Ab aquilone pandetur omne malum : Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Erat autem idolum in porta; hinc multa mala fiunt in domo Domini, quia est idolum hoc in ingressu, quoniam assumitur status clericalis non propter officium serviendi Deo, sed propter beneficium, et nunc qui episcopatum desiderat, non *bonum opus,* sed opes desiderat.

Quoniam vero, ut ait P a u l u s , *radix.... omnium malorum est cupiditas,* hinc cum Angelus ostendisset Vati idolum zeli in ingressu, dixit: *Videbis abominationes maiores . . . ingredere et vide abominationes pessimas, quas isti hic faciunt.* Ubi tria ponderat Angelus: peccata gravia magnaque delicta, delinquentes et locum delicti, sicut per I e r e m i a m ait: *Quid est quod*

templum Domini idololatria profanatum. In aquilonari enim porta altaris vidit *idolum zeli*, intra atrium vero omne genus idolorum et septuaginta seniores Israel adorantes ea et offerentes eis incensum, unusquisque cum suo thuribulo,[30] unusquisque in abscondito cubilis sui, dicentes : *Non videbit nos Dominus.*[31] Post haec vero vidit mulieres sedentes, plangentes in templo Adonidem, Veneris amasium. Et tandem in interiori atrio templi inter vestibulum et altare vidit viginti quinque viros *habentes dorsa contra templum Domini et facies ad orientem* adorantes solem.[32] Quare Dominus indignatione commotus iussit Angelis ut interficerent omnes habitatores civitatis, exceptis illis qui signati essent signo *thau* ab Angelo, et uni Angelorum praecepit ut effunderet ignem supra civitatem ad comburendam eam.[33] Sic Moyses videns populum adorantem vitulum aureum, ex Dei zelo indignatione commotus ipse una cum levitis occidit uno die tria millia virorum idololatrarum.[34] Sic Elias eodem zelo armatus occidit una die quadringentos quinquaginta prophetas Baal et quadringentos prophetas lucorum.[35]

sicut in spiritu Ezechiel iam viderat;

Christus vero hodie zelo commotus Dei, videns divinum templum

dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Abominationes autem *pessimas* dicit omne genus idolorum, idest vitiorum; delinquentes autem dicit septuaginta seniores domus Israel, idest iudices ordinarios, quos *Sanhedrim* dicebant, de quibus Christus: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei*, etc. Quae sint autem idola quae isti adorant, Christus ibi declarat: superbia, ambitio, vanagloria, pompae et carnis deliciae: *Dilatant enim phylacteria sua et magnificant fimbrias; amant . . . primos recubitus in coenis et primas cathedras in synagogis et salutationes in foro et vocari ab hominibus Rabbi.* Haec sunt idola Deo abominabilia.

Sed *adhuc*, inquit, *videbis abominationes maiores.* Sic ostendit ei *mulieres ... plangentes Adonidem:* en post avaritiam et superbiam, luxuria et carnalitas. Quid in ecclesiasticis personis abominabilius? Et tamen *adhuc*, inquit, *videbis abominationes maiores his.* Vidit autem viginti quinque viros habentes dorsa contra sancta sanctorum et adorantes ad ortum solis. Sed quaenam haec est abominatio omnium maxima? Certe principi terga vertere in contemptum non levis est culpa; multo autem gravior si turpi gestu inferiores partes ei in iniuriam obverteret, et gravissima si actu turpissimo, quod nec vilissimo homuncioni honestas fieri patitur, putentem flatum et crepitum ventris emitteret eique in faciem oppederet. Sic autem hoc loco, ubi nostra Editio habet: *Mittentes ramum in nares*, multi ex hebraeo, post Ionatham, vertunt: *Mittentes fetorem in faciem.* Hoc est quod maxima abominatio omnium hic dicitur, et merito; principi enim [id] fieri vix indignius potest, nam maximi contemptus est actus. Sic avaritia ad maximum Dei contemptum hominem ducit. Hinc Christus hoc videns hodie fit leo ex agno; nam ipse leo et agnus est, ut in *Apocalypsi* legimus, agnus habens *cornua septem et oculos septem*, qui librum aperit, et leo de tribu Iuda, semper victor: *Vicit leo de tribu Iuda, radix David.* Offerebant illi Deo fetorem loco incensi. Fetent autem coram Deo malae cogitationes et desideria prava, quae exeunt a corde pleno peccatis, quae stercora sunt putentissima. » 30) Cf. Ez 8, 1-11. 31) Ibid. vr. 12. Vulg.: *Non videt Dominus nos.* 32) Ibid. vrr. 14-16. Vulg.: *Dorsa habentes*, etc. 33) Cf. ibid. 9, 1-10, 1-7. 34) Cf. Ex 32, 7-29. 35) Cf. 3 Rg 18, 36-40.

Ideo maximo zelo commovetur et profanatores flagellis eicit.

avaritiae idololatria profanatum, *cum fecisset... flagellum de funiculis, omnes* mercatores *eiecit de templo,* [36] neminem Christus occidere voluit sicut fecit Moyses et Elias, sicut fecit Phinees [qui] occidit Zambri, principem tribus Simeon, una cum madianitide meretrice, [37] sicut Iosue multos occidit reges et populos Chananaeorum, [38] sicut David multos interfecit populi Dei inimicos. [39] Quoniam venerat Christus non iudicare sed salvare mundum, non occidere vivos sed suscitare mortuos, hinc, tantum facto de funiculis flagello, *omnes eiecit de templo.*

Insignis praestantia huius facinoris magis elucet ex decem circumstantiis,

V. Fuit profecto hodierna haec Christi actio magna, vere heroica, vere divina si consideremus eicientem, eiectos, causam eiectionis, instrumentum, locum, tempus et mysterium, quidnam eiectio ista significaverit atque portenderit, ac tandem finem divinae huius operationis una cum forma et modo eiectionis, magni huius miraculi, et insimul virtutem qua tantum facinus Christus operatus est hodie, quod quidem Divus Hieronymus vult maximum esse miraculorum Christi. [40] Haec enim decem demonstrat atque describit Sacer Evangelista ponens, primo, tempus: *Prope,* inquit *erat pascha Iudaeorum;* secundo, personam: *Ascendit Iesus;* tertio, locum: *Ierosolymam* et templum; quarto, causam: *Invenit in templo vendentes boves et oves et columbas;* quinto, instrumentum: *Cum fecisset quasi flagellum de funiculis;* sexto, eiectos: *Omnes eiecit de templo, oves quoque et boves,* etc.; septimo, formam et modum: *Auferte ista hinc et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis;* [41] octavo, virtutem et potestatem: *Quod signum ostendis nobis quia haec facis?... Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud;* [42] nono, mysterium, quia: *Ille... dicebat de templo corporis sui;* [43] et, decimo, finem, quia: *Zelus domus tuae comedit me.* [44]

idest a tempore, a loco, a persona eiciente, a causa eiectionis,

Tempus fuit paschalis solemnitas omnium celeberrima; locus Ierusalem civitas metropolis, et templum locus omnium sacratissimus; persona homo aequalis Deo; causa peccatum, divini honoris iniuria, cum domus Dei facta esset spelunca latronum; [45] instrumentum funiculi, non maxilla asini, qua Samson multos occidit Philisthaeos, [46]

36) Io 2, 15. 37) Cf. Nm 25, 6-15. 38) Cf. Ios 12, 1 sqq. 39) Cf. 2 Rg 8, 1-8; Eccli 47, 3-8. 40) *Comment. in Evang. Matthaei,* lib. 3, (P. L. 26, 152). 41) Io 2, 16. 42) Ibid. vrr. 18-19. 43) Ibid. vr. 21. 44) Ibid. vr. 17. 45) Cf. Mt 21, 13. 46) Cf. Idc 15, 14-15.

nec virga, funda et lapides [46a] quibus armatus David perrexit contra Goliam ; [47] eiecti sine numero : *Omnes eiecit de templo;* Samson maxilla asini mille viros occidit, Christus vero gentem sine numero eicit de templo, sicut Ionathas una cum armigero suo perrexit ad pugnandum contra innumerabilem Philisthaeorum exercitum; [48] forma divinum imperium, acris reprehensio et severa publicaque correctio; virtus divina potestas : *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud,* idest ea potestate hoc facio qua meipsum mortuum resuscitare potero; mysterium, quia templum illud personam Christi designabat et res templi partes tres in Christi persona substantias; [48a] in Christo autem nulla fuit peccati immunditia, hinc templum illud Deus voluit locum mundissimum, sanctissimum et sacratissimum esse; [49] hinc illud immunditiis idolorum profanatum mundaverunt sanctissimi reges Ezechias [50] et Iosias, [51] sicut a spirituali idololatria emundavit illud hodie Christus.

ab instrumento, ab eiectis, a forma, a mysterio.

Fuit etiam hodierna actio specimen quoddam futuri iudicii, in quo omnes avari et terrenarum rerum amatores omnesque, qui non Deo serviunt sed mammonae, excludentur foras cum diabolo et angelis eius : *Ite, maledicti,* etc. Praefiguravit etiam synagogae reprobationem legaliumque sacrificiorum cessationem, quoniam Christus non tantum homines, sed etiam animalia, boves et columbas, quae in sacrificia offerebantur, eiecit de templo. Finis tandem divini huius facinoris fuit vindicatio iniuriae divino honori illatae : Quoniam, inquit, *zelus domus tuae comedit me.* Zelus oritur ex amore sicut calor ex igne; quo maior ignis, eo maior calor; quo maior erga rem quamvis amor, eo maior est zelus. Et Deus quidem ob zelum divini sui honoris dicitur *ignis consumens.* Sic enim legimus *Deuteronomio* 4 : *Cave nequando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepegit tecum, et facias . . . sculptam similitudinem eorum, quae fieri Dominus prohibuit, quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus aemulator,* sive *zelotes.* [52] Et *Exodo* 20 [53] ac *Deuteronomio* 5 [54] : *Non habebis deos alienos coram me . . . Non adorabis ea neque coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam ge-*

a significatione, a fine.

46a) Ms.: *Lapide.* 47) Cf. 1 Rg 17, 40-50. 48) Cf. ibid. 14, 1-15. 48a) Idest: Corpus, anima et divinitas. 49) Cf. Lv 11, 43-45; 12, 1 sqq.; 15, 31; 16, 16; 21, 12-23; 22, 9; Nm 19, 1 sqq.; 2 Par 23, 19; 29, 5-18; 36, 14. 50) Cf. 4 Rg 18, 4; 2 Par 29, 3-5. 16-19. 51) Cf. 4 Rg 23, 4-14; 2 Par 34, 3-4. 52) Vrr. 23-24. 53) Vrr. 3-6. 54) Vrr. 7-10. Ex hebraico.

nerationem his qui oderunt me. Sic Deus summum habet honoris sui zelum. Christus nihilo minorem, sed omnino aequalem habet zelum divini honoris quatenus Deus est, quia sic Patri per omnia est coaequalis ; quatenus autem homo maiorem habet quam omnes simul Sancti Dei et homines et Angeli, quoniam multo maior est Christi caritas et amor erga Patrem quam omnium simul Sanctorum. Sic ait : *Zelus domus tuae comedit me.*

Magnus fuit zelus Christi pro honore Dei, quia magna eius caritas;

VI. In gloriosa Christi transfiguratione apparuerunt *Moyses et Elias visi in maiestate.* [55] Fuerunt autem illi maximo zelo divini honoris praediti ; magnum enim zelum ostendit Moyses contra adoratores vituli aurei, Elias vero contra sacerdotes et prophetas Baal. Sed nubes illa lucida, quae obumbravit Christum, Moysen et Eliam, [56] erat veluti coelum, Moyses et Elias veluti duae stellae, sed Christus tanquam sol : *Resplenduit facies... sicut sol.* [57] Ezechiel Christum vidit Deum in humana forma ; [58] sed videbatur homo igneus propter zelum ardentissimum divini honoris ignemque divinae caritatis, ex qua oritur zelus. Sic Christus est ardens rubus Moysi. [59]

sine comparatione maior zelo omnium piissimorum virorum qui in Sacra Scriptura ob zelum laudantur.

Piissimus rex Ezechias purgavit templum ab idolorum immunditiis ; sic Christus hodie, nam avaritia *est idolorum servitus.* Iosias quoque rex sanctissimus templum Dei purgavit ab idolis, et multi quidem sunt in Divinis Scripturis qui ob zelum divini honoris summam consecuti sunt laudem : Phinees, [60] Iosue, [61] Gedeon, [62] Samson, [63] Samuel, [64] Zacharias sacerdos magnus, [65] qui et occisus fuit *inter templum et altare,* [66] et Azarias, qui magno zelo prohibuit Oziam regem ne munere sacerdotali fungeretur, ut offerret Deo incensum. [67] Tres etiam pueri hebraei eo divino divini honoris zelo flagrarunt, ut potius elegerint mitti in fornacem ignis ardentissimam quam statuam Nabuchodonosor adorare. [68] At Christi zelus talis ac tantus fuit, ut coegerit eum acerbissima martyria crucisque mortem subire : *Zelus domus tuae comedit me; Solvite templum hoc.* Cum enim Christus zelo divini honoris ardens Iudaeorum peccata argueret, illorum in se odia acer-

55) Lc 9, 31. 56) Cf. Mt 17, 5. 57) Ibid. vr. 2. 58) Cf. 1, 26. 59) Cf. Ex 3, 2-6. 60) Cf. Eccli 45, 27 sqq.; 1 Mach 2, 54. 61) Cf. Eccli 46, 1-10; 1 Mach 2, 55. 62) Cf. Idc 6, 1 sqq.; Hebr 11, 32. 63) Cf. Idc 16, 22 sqq.; Hebr 11, 32. 64) Cf. Eccli 46, 16 sqq.; Hebr 11, 32. 65) Cf. 2 Par 24, 20-21. 66) Mt 23, 35. 67) Cf. 2 Par 26, 16 sqq. 68) Cf. Dn 3, 1 sqq.

bissima concitavit : *Zelus domus tuae comedit me;* pro Dei enim zelo Christus vitam exposuit ac parvipendit.

Ostendit autem suo hoc facinore Christus hodie quod magno zelo vindicanda est Dei iniuria, maxime vero a Pastoribus et Episcopis, quorum interest ab Ecclesia saltem publicos arcere abusus, sicut fecit Christus hodie. Fuit Christus zelator non proprii honoris, sed divini, ideo nunquam legimus eum proprias iniurias vindicasse, cum diceretur a Iudaeis *homo vorax ... potator vini, publicanorum et peccatorum amicus,* [69] *samaritanus, seductor, daemoniacus* [70] et aliis huiuscemodi probris afficeretur. Sed divinam iniuriam et semel et iterum legimus vindicasse. Semel quidem hodie, cum, facto flagello, omnes vendentes et ementes de templo eiecit dicens : *Nolite facere domum meam domum negotiationis;* [71] et iterum sexto ante passionem suam die, cum ingressus in templum iterum eiecit vendentes et ementes dicens : *Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum.* [72]

Ostendit autem hoc modo quali zelo iniuria Dei vindicanda sit.

VII. Odit autem super omnia Christus avaritiam in domo Dei, tum quia ipsa *est idolorum servitus* et quicunque avaritiae deditus est, non Deo sed mammonae servit, [73] tum quia haec hominem paulatim trahit ad graviora peccata. In prima quidem eiectione Christus dixit : *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis;* in secunda vero : *Fecistis eam speluncam latronum.* Trahit avaritia hominem primo quidem ad negotiationem illicitam ratione loci sacri, uti templum erat, ratione temporis festivi, ob paschalem solemnitatem, ratione personarum, quia non licet sacerdotibus operam dare saecularibus negotiationibus ; [74] deinde trahit ad negotiationem illicitam suapte natura ratione fraudis, doli et iniustitiae; hinc secundo ait : *Fecistis eam speluncam latronum.*

Christus super omnia odit avaritiam in domo Dei, quia paulatim pertrahit hominem ad graviora crimina,

Quoniam vero avaritia, cum sit *idolorum servitus*, spirituale adulterium est in Ecclesia Dei, propterea summopere Christus avaritiam

69) Mt 11, 19. 70) Io 7, 12; 8, 48. 71) Ibid. 2, 16. Vulg.: *Nolite facere domum Patris mei, etc.* 72) Mt 21, 13; Lc 19, 46. 73) Cf. Mt 6, 24; Lc 16, 13.
74) C. 26, D. LXXXVI; c. 1, 2, 9, 10, D. LXXXVIII; c. 1, 3, 8, C. XIV, q. 4; c. 1, 3, C. XXI, q. 3; c. 15, X, *de electione et electi potestate*, I, 6; c. 15, 16, X, *de vita et honestate clericorum*, III, c. 1, 6, X, *ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant*, III, 50; c. 1, X, *de usuris*, V, 19; c. 1, *de vita et honestate clericorum*, III, 1, in Clem.; Conc. Trident., sess. XXII, *de ref.*, c. 1.

et quia spirituale adulterium est in Ecclesia Dei,

odit, et maxime in templo Dei. Quid enim peius facere potest uxor quam in oculis viri sui committere adulterium? Est avaritia arbor *scientiae boni et mali*, [75] ob cuius esum parentes nostri de paradiso eiecti fuerunt, quoniam voluerunt de vetito illo ligno magis, suadente diabolo, comedere quam de ligno vitae. [76] *Lignum vitae* [77] Deus est, lignum *scientiae boni et mali* mammona. Comedentes igitur hodie de hoc ligno eiciuntur de templo; *avari* enim *regnum Dei non possidebunt*, [78] sed cum angelis satanae mittentur maledicti in ignem aeternum.

multorum malorum causa ob mala exempla praelatorum.

Sed, bone Deus, quam altas radices egit avaritia hodie in Ecclesia Dei! Nec est qui vendentes et ementes de templo eiciat. Aaron conflavit vitulum aureum et populus adoravit. [79] Sic populi sequuntur avaritiam praelatorum; sunt enim praelati et sacerdotes virgae positae a Iacob coram oculis ovium, ut parerent agnos similes virgis. [80]

Eicit Christus mercatores de templo, ut ostendat damnandos esse qui avaritiae student,

VIII. Eicit Christus a templo omnes vendentes et ementes, ut ostendat damnandos esse omnes qui avaritiae student, quoniam hi sunt qui non sunt signati littera *thau*, apud Ezechielem; ת [81] enim littera ultima est finalisque hebraici alphabeti. Sunt autem hac littera signati quicunque sedula meditatione finem vitae respiciunt, mortem, iudicium, poenam et gloriam perpetuo meditantes, unde temporalia bona ex alto spernunt atque contemnunt. Significat etiam *thau* littera crucem Christi, quo signo signati sunt omnes electi Dei: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo;* [82] in cruce autem Christi elucet summa paupertas, humilitas et afflictio. Hi sunt thesauri electorum quos sibi thesaurizant in coelo. Quicunque autem hoc signo minime sunt signati, internecioni dantur et morti.

et divitias causam esse perditionis.

Eicit Christus mercatores de templo ut ostendat quod divitiae sunt arbor *scientiae boni et mali*, de quo comedens homo suasu serpentis antiqui, eicitur cum Adam de paradiso et vita aeterna privatus ad perpetuas poenas damnatur. Eicit mercatores de templo, sicut Iosue eiecit Chananaeos de terra promissionis, cum completa fuit eorum iniquitas. [83] Sicut Elias zelo Dei ardens occidit omnes prophetas et

75) Gn 2, 9. 76) Cf. ibid. 3, 1 sqq. 77) Ibid. 2, 9; Prv 3, 18. 78) 1 Cor 6, 10. Vulg.: *Neque avari regnum Dei possidebunt.* 79) Cf. Ex 32, 1-6. 80) Cf. Gn 30, 37-41. 81) Ms.: *Thau.* 82) Gal 6, 14. 83) Cf. Gn 15, 16; Ios 11, 15-12, 1 sqq.

sacerdotes Baal, [84] sic Christus hodie eodem zelo ardens eicit de templo avaros mercatores, quoniam hi sunt impii sacerdotes et prophetae Baal, quod d o m i n i u m et p o s s e s s i o interpretatur. Azarias, summus sacerdos una cum octoginta sacerdotibus Dei zelo plenus eiecit de templo Oziam regem, quoniam lepra superfusum eum vidit, qua percussus fuit a Deo, quoniam contra legem arrogare sibi voluit munus sacerdotale et offerre Deo incensum. Sed lepra pessima avaritia est, hinc Christus avaros eicit de templo, quoniam hi non Deo, sed idolis mammonae et Baal offerebant incensum.

IX. Abraham iussus fuit ut de domo eiceret Agar et filium eius, postquam natus fuit ex Sara Isaac; [85] sic hodie, nato vero Isaac, Christo unigenito Filio Dei, eicitur synagoga populusque iudaicus Christum persequens. Sicut autem quod spectat ad mores Deus non tantum Ismaelem domo eici iussit, qui Isaac persequebatur, sed etiam Agar, ne ob matris occasionem et amorem filius iterum domum reverteretur; sic Christus hodie non tantum eicit vendentes et ementes, sed etiam oves et boves, quoniam si haec mansissent, fuissent illis occasio ut iterum reverterentur ad idem; quo doceret quod non tantummodo malum removendum est, sed etiam occasio mali. Propterea Deus voluit ut Hebraei nihil penitus eorum, quae possidebant in Aegypto, relinquerent, [86] ne forte illorum postea occasione reverterentur in Aegypto; nec Iacob reliquit aliquid eorum, quae sua erant, apud Laban in Haran, [87] ne illuc redeundi vel minimam occasionem haberet. Sic igitur Christus ad instar sapientissimi medici vult et morbum curare et causam morbi removere.

Eicit autem mercatores et animalia, docens non solum malum removendum esse, sed etiam occasiones mali declinandas.

Sed quid est quod Dominus, qui suapte natura clementissimus et benignissimus est, absque ulla praevia monitione flagellum arripit hominesque flagellat et eicit de templo? Pharaonem prius monuit, deinde flagellavit. [88] Hoc autem fecit Christus ut hoc rumore excitaret sopitos hominum sensus ac veluti gravi somno oppressos; non enim loquendum est dormientibus, sed excitandi prius sunt, deinde alloquendi. Sic Deus antequam legem populo praedicaret, magno rumore et strepitu tonitruum, fulgurum et clangoris tubarum populum veluti a somno

Prius flagellat homines et postea eicit, quia prius excitandi sunt sopiti hominum sensus ut malum cognoscant.

84) Cf. 3 Rg 18, 40. 85) Cf. Gn 21, 9-14; Gal 4, 29-30. 86) Cf. Ex 10, 24-26; 12, 38. 87) Cf. Gn 31, 17-18. 88) Cf. Ex 5, 1-6, 1 sqq.

excitavit,[89] ut sic excitatus audire et advertere ac intelligere posset quae dicebantur a Deo. Et cum Ozias profanare voluit templum arrogando sibi sacerdotale officium, magno terraemotu omnes exterruit ipsumque Oziam lepra percussit, quoniam contra ecclesiarum profanatores Angeli in coelo vindictam a Deo clamantes efflagitant. Hoc est quod apud Isaiam legimus quod *commota sunt superliminaria* domus *a voce clamantis: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum; et domus repleta est fumo*[90] irae Dei. Hoc enim eo die accidit quo Ozias tanquam sacerdos Deo incensum super altare offerre voluit : *Si quis ... templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.*[91]

II. ALIA HOMILIA

Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud. Hoc dixit *de templo corporis sui.*[1]

Christus hodie corpus suum templum Dei appellat,

I. Scala, quam in somnis vidit sanctus Iacob,[2] Christum designabat. Hinc Christus de seipso loquens et ad mysterium illud alludens ait : *Videbitis coelum apertum et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis.*[3] Ait autem Iacob : *Vere Dominus est in loco isto et ego nesciebam .... Non est hic ... nisi domus Dei et porta coeli.*[4] Propterea vocavit locum illum *Bethel*, quod est domus Dei, ibique erexit lapidem in titulum oleumque super eum fudit,[5] in Christi figuram, qui lapis est angularis verusque Messias.[6] Ob id Christus hodie seipsum Dei *templum* appellat : *Solvite templum hoc;* sed hoc *dicebat de templo corporis sui,* fuit enim praefiguratum Christi corpus in tabernaculo Moysi et in templo Salomonis. Dicitur autem Christus *templum* propter divinam inhabitationem, quoniam *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,*[7] itemque propter divinam sanctitatem, nam templum dicebatur *domus sancta;*[8] ad hoc autem designandum hodie Christus eicit de templo vendentes et ementes,

propter divinitatem et divinam sanctitatem in ipso inhabitantem.

89) Cf. ibid. 19,16-19. 90) 6, 3-4. Ordine inverso affert hos vrr. 91) 1 Cor 3, 17.

1) Io 2, 19-21. 2) Cf. Gn 28, 12-13. 3) Io 1, 51. 4) Gn 28, 16-17. 5) Cf. ibid. vrr. 18-19. 6) Cf. Ps 117, 22-23; Is 28, 16; Mt 21, 42; Act 4, 11-12; Rom 9, 33; Eph 2, 20; 1 Petr 2, 4-7. 7) Col 2, 9. 8) Cf. 2 Par 7, 20; 2 Mach 15, 32.

hoc est omnes peccatores, ut figura respondeat figurato ; et tandem propter exercitium orationis divinaeque laudis, nam : *Domus mea domus orationis vocabitur.* [9]

Habebat templum tres partes principales : atrium, ubi erat altare sacrificiorum, sanctum, ubi erat altare incensi, et sancta sanctorum, ubi erat arca divinitatis. [10] Sic in Christo sunt tres substantiae : caro, quae Deo in sacrificium pro peccatis oblata est, anima Deum semper contemplans et laudans, ac super omnia Verbum, quod cum Patre et Spiritu Sancto una substantia et essentia est, sicut in sancto sanctorum erat una arca cum hieroglyphicis potentiae, sapientiae et bonitatis Dei, [11] cum propitiatorio et duobus cherubim, quae tria erant ex auro purissimo. [12] Propitiatorium autem Christi personam designat, duo autem cherubim a duobus lateribus Patrem et Spiritum Sanctum.

Templum Ierusalem singularis figura Christi fuit,

Templum igitur Dei Christus est propter divinam inhabitationem, quoniam in Christo Deus inhabitat per naturam, per gratiam, per gloriam et per hypostaticam unionem ; templum propter divinam sanctitatem et gratiae plenitudinem, et tandem templum propter continuum et semper indeficiens studium orationis. Sicut enim per scalam Iacob semper Angeli ascendebant et descendebant, ita in anima Christi semper cogitationes et desideria ascendebant ad Deum ex divina dilectione et descendebant ad Ecclesiam suam ex dilectione proximi. Omnes Sancti fuerunt semper valde dediti studio orationis ; sed Christus, sicut sancta sanctorum est et sol Sanctorum, ita super omnes Sanctos virtutem orationis coluit. Sicut enim oratio Beatorum vita in coelo est : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saeculum saeculi laudabunt te,* [13] sic et Christus semper oravit et nunquam ab oratione defecit, quoniam mente beatus fuit. Hinc Christi facies resplenduit ut sol, [14] quia sicut sol semper manet in coelo et nunquam mutatur crescendo aut decrescendo, ut videmus in luna, sic Christi anima semper mansit in divina contemplatione.

qui est verum templum in quo Deus habitat hypostatice, per naturam, per gratiam, per gloriam

et per studium indeficiens orationis.

II. Nos autem, o fratres, ad Christi imaginem et similitudinem conditi sumus ; [15] igitur ut simus templa Dei. Sic Paulus ait :

Nos etiam templum Dei esse debemus

9) Is 56, 7; Mt 21, 13. 10) Cf. 3 Rg 6, 2-10; 2 Par 3, 2 sqq.; S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª 2ªᵉ, q. 102, a. 4, ad 4. 11) Idest: virga, lex et vas mannae. Cf. Hebr 9, 4. 12) Cf. 3 Rg 6, 19-28. 13) Ps 83, 5. Vulg.: *In saecula saeculorum laudabunt te.* 14) Cf. Mt 17, 2. 15) Cf. Gn 1, 26-27; S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim*, pag. 198-199.

fide, sanctitate et studio orationis.

Vos . . . estis templum Dei vivi. [16] Templum vero Dei oportet nos esse per divinam inhabitationem : *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris* [17] per sanctitatem vitae et per studium orationis, ut sic vere simus domus Dei et domus orationis.

Oratione homo fit ex terreno coelestis.

O nos felices et ter quaterque beatos, fratres mei, si sic templum Dei essemus, si orationi instanter operam daremus ! Est enim oratio terrestris quidam paradisus ubi vivit homo manna coelesti pastus; est scala coeli per quam homo in paradisum ascendit et cum Beatis conversatur in coelis ; est currus igneus Eliae [18] qui nos rapit in coelum ; est mons excelsus in cuius cacumine Moyses cum Deo conversatur [19] divinamque legem accipit et ex consortio divini sermonis facies eius fit splendida tanquam luna ; [20] est mons excelsus, in cuius vertice Christus transfiguratur, nam *dum oraret* transfiguratus est. [21] Sic homo per virtutem orationis fit ex terreno coelestis, ex mundano divinus.

Actio prorsus divina est oratio, qua omnia bona a Deo obtineri possunt,

Est oratio locus et inhabitatio Dei ; ubi autem Deus est ibi omne bonum, ibi igitur nullum malum, ergo ibi paradisus Dei. Est altare incensi ante divinum propitiatorium iuxta aureum candelabrum et mensa panum propositionis, [22] in signum quod oratio obtinet a Deo bona gratiae, quae designantur per candelabrum cum septem lucernis, quae sunt septem virtutes et septem dona Spiritus Sancti ; et item bona gloriae, quae designantur per mensam panum propositionis, panis enim vitam significat. Quod autem altare incensi erat ante divinum propitiatorium, quod divinam praesentabat naturam, eratque aureum et omnino infiguratum [23] tanquam tabula rasa in qua nihil est depictum, carta alba in qua nihil est scriptum, significatur quod oratio digna est divino conspectu et potest ab eo obtinere quicquid vult, veluti cum princeps dat alicui albam paginam ut scribat in ea et petat quicquid vult : *Quicquid orantes petitis, [credite] quia accipietis, et fiet vobis.* [24] Deus enim potest, scit et vult pro salute nostra bona omnia operari, hinc horum hieroglyphica erant sub divino propitiatorio. Erat Sara sterilis et vetula, Abraham tamen virtute orationis a Deo

quia Deus potest, scit et vult salutem nostram operari, dummodo rogetur;

16) 2 Cor 6, 16. 17) Eph 3, 17. Vulg.: *Christum habitare*, etc. 18) Cf. 4 Rg 2, 11. 19) Cf. Ex 19, 1 sqq. 20) Cf. ibid. 34, 27 sqq. 21) Lc 9, 28-29. 22) Cf. Ex 25, 23-37; 40, 15-25. 23) Cf. ibid. 25, 17. 24) Mc 11, 24. Vulg.: *Omnia quaecunque . . . et evenient vobis.*

obtinuit filium ex ea.[25] Rebecca erat sterilis, et Isaac virtute orationis obtinuit a Deo ex ea duos filios uno conceptu et partu.[26]

Et quidem infinita miracula operatus est Deus virtute orationis servorum suorum : *Voluntatem* enim *timentium se faciet.*[27] Virtute orationis Moyses salvavit populum Dei dividens mare Rubrum[28] eique manna de coelo obtinuit[29] et aquam de durissima petra.[30] Iosue virtute orationis siccavit Iordanem[31] et coelum a suo motu firmavit immobile.[32] Anna mater Samuelis, sterilis cum esset, precibus a Deo talem ac tantum filium obtinuit.[33] David orando quid non obtinuit a Deo ?[34] Salomoni quis dedit infinitum thesaurum sapientiae nisi oratio ?[35] Elias virtute orationis suscitavit mortuum[36] et pluviam obtinuit,[37] cum tribus annis et sex mensibus non pluisset;[38] Ezechias orans vitam quindecim annorum a Deo obtinuit.[39] Et ad Christum quis unquam accessit gratiam petens qui non obtinuerit ?

et hoc probatur multis factis Sacrae Scripturae.

III. Cavendum tamen est ne male petamus, nam ait Divus Iacobus : *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis.*[40] Orandum est cum fide et spe, hoc est in fide nihil haesitare.[41] Num accederes ad mare et dubitares ne aquas tibi negaret ? Deus autem mare infinitum est omnium gratiarum. Fide opus est in oratione, ut credamus quoniam *vere Dominus est in isto loco*, quod vere audit orationes nostras, non tantum vocales, verum etiam mentales ; videt cordis cogitationes et desideria. Sic Moyses tacens clamabat ad Dominum ;[42] sic Anna mater Samuelis.[43] Credendum est quod Deus potest omnia facere, *quia non* est *impossibile apud Deum omne verbum;*[44] potuit ex nihilo omnia creare. Credendum est quod Deus amat nos tanquam filios carissimos et pro nobis omnia creavit, quoniam pater noster est, pater autem amantissimus et liberalissimus. Quis unquam pater filio negavit petenti quae illi necessaria sunt et utilia ? Concedit autem omnia nobis Deus absque ullo suo incommodo et labore, sicut sol mundo lucem dat, semper dat, et tamen thesaurus

Ut oratio efficax sit orandum est cum vera fide,

quod Deus novit omnia desideria cordis,

omnia bona concedere potest et omnia reapse concedit.

25) Cf. Gn 15, 2-6; 21, 1-3. 26) Cf. ibid. 25, 21-26. 27) Ps 144, 19.
28) Cf. Ex 14, 21-22. 29) Cf. ibid. 16, 4 sqq. 30) Cf. ibid. 17, 1-6; Nm 20, 2-11.
31) Cf. Ios 3, 7 sqq. 32) Cf. ibid. 10, 12-13. 33) Cf. 1 Rg 1, 9 sqq. 34) Cf. Eccli 47, 2-10. 35) Cf. 3 Rg 3, 5-12; 2 Par 1, 7-12. 36) Cf. 3 Rg 17, 17 sqq.
37) Cf. ibid. 18, 42 sqq. 38) Cf. Lc 4, 25; Iac 5, 17. 39) Cf. 4 Rg 20, 1-11; Is 38, 1-8.
40) 4, 3. 41) Cf. ibid. 1, 6. 42) Cf. Ex 14, 14-15. 43) Cf. 1 Rg 1, 13. 44) Lc 1, 37.

lucis suae nunquam vel minimum quid diminuitur. Sic, inquam, Dei bonitas non minuitur concedendo nobis bona quae petimus, non enim est thesaurus Dei sicut thesaurus mundani principis.

Sed ante orationem purificanda est conscientia a peccatis.

In templo Dei, antequam perveniretur ad altare incensi, inveniebatur altare sacrificiorum et mare aeneum, ubi abluebantur sacerdotes antequam ad divina mysteria celebranda accederent.[45] Hoc autem mysterium est, quod antequam accedamus ad orationem. purgare debemus conscientiam nostram offerendo Deo sacrificium cordis contriti et spiritus contribulati,[46] ut, obtenta venia peccatorum nostrorum, obtinere possimus gratiam quam cupimus. Odit enim Deus peccata et vitia, hinc Christus hodie a templo eicit peccatores ; propterea tabernaculum Domini, quod erat locus orationis, non fuit constructum in Aegypto, sed in deserto, post transitum maris Rubri, cum in eo omnes Aegyptii fuissent submersi.[47] Sic purgata conscientia a peccatis orandum est.

Oratio purgat cor, mentem illuminat, animum perficit.

Habebat templum tres partes in signum triplicis partis vitae spiritualis. Ipsa nanque oratio purgat cor, illuminat mentem et perficit animum. Purgat a vitiis et peccatis, illuminat cognitione Dei, perficit autem amore.

Oratio est summe necessaria,

IV. Est oratio res summe necessaria ut ab omnibus liberemur malis, est enim cithara Davidis pellens malum spiritum ;[48] est necessaria multo magis quam panis et aqua, hinc iuxta altare incensi erat mensa panum et lux candelabri, lux enim oculis maxime necessaria est.

summe utilis,

Est item res summe utilis quae homini infinita commoda affert, sicut virga Moysi Hebraeis contulit maxima beneficia, maxime cum eduxit aquas de petra, nam Samson oratione eduxit aquas de maxilla asini aridissima.[49] Si virga orationis Christum percutiamus, dabit nobis aquas copiosissimas ad extinguendam sitim omnium desideriorum nostrorum : *Si quis sitit, veniat*, etc.[50]

summe delectabilis.

Est res summe delectabilis, hoc enim manna est suavissimum, quo Deus electos suos pascit in deserto huius mundi, pasturus postea eos lacte et melle in felicissima terra promissionis, in coelesti

45) Cf. 3 Rg 7, 23-26; 2 Par 4, 1-6. 46) Cf. Ps 50, 19. 47) Cf. Ex 14, 23 sqq.
48) Cf. 1 Rg 16, 14 sqq. 49) Cf. Idc 15, 18-19. 50) Io 7, 37.

paradiso ; oratio enim dulcissimus ac suavissimus cibus est animae. Est oratio clavis thesaurorum Dei, scala coeli, porta paradisi; clavis aurea qua homo, cum magis libuerit, intrare potest in cubiculum summi regis Dei, semperque Dei aures apertas habet oratio humilis, devota et pia. Magni sacerdotis hoc summum privilegium erat, quod ingredi poterat in sancta sanctorum, [51] quod erat veluti secretum cubiculum Dei. Sed spiritus noster per orationem ingreditur in divinum conspectum cum magis libuerit, omni tempore et quavis hora.

Sub hieroglyphico incensi, quod super altare in templo offerebatur, exponuntur conditiones ut oratio semper exaudiatur.

V. Videndum tamen nobis est quidnam spiritui nostro, qui magnus sacerdos est in hoc templo corporis nostri, orandum sit et quomodo, quo etiam loco et quo tempore, quidve agendum sit ut oratio semper exaudiatur. Regius Vates orationem incensi, quod a pontifice offerebatur Deo super altare aureum, hieroglyphico describit dicens : *Domine, exaudi orationem meam et clamor meus ad te veniat;* [52] *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* [53] Erat autem incensum illud compositum ex optimis odoratissimisque aromatibus ; [54] sic ad orationem multae virtutes concurrunt : fides, spes, caritas, humilitas, religio, pietas, laus Dei et aliae id genus virtutes ; offerebatur in thuribulo aureo super altare aureum : [55] requiritur cor purum, requiritur ignis, ardor desiderii ad consequendam gratiam : *Clamor meus ad te veniat.* Erat altare illud prope mensam [panum] propositionis : panis petendus est, id quod est necessarium ad salutem ; erat iuxta candelabrum aureum, quod septem luminibus semper sacram illam aedem illuminabat : [56] necessaria est cognitio in oratione, bonum enim desiderari non potest nisi cognoscatur ; [57] erat coram divino propitiatorio, quod Deum repraesentabat, sed velo abscondebatur ut videri non posset : non videtur Deus coram quo oramus, sed tamen vere praesens est, nec tantum praesens, sed potens et volens exaudire orationes nostras. Manebat propitiatorium super alas cherubim, [58] quia velocissime volat Deus ad subveniendum nobis in necessitatibus nostris, licet non moveatur ipse, nam nos sumus qui movemur cum Deum ad misericordiam et pietatem movere videmur. Sic cum

51) Cf. Lv 16, 17 sqq.; Hebr 9, 7. 52) Ps 101, 2. 53) Ps 140, 2. 54) Cf. Ex 37, 29. 55) Cf. ibid. 30, 1-9; 40, 24-25. 56) Cf. ibid. 40, 20-23; Nm 8, 2-4.
57) Ex axiomate: « Obiectum voluntatis est bonum apprehensum », de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 80, a. 2; q. 82, a. 3-4; 1ª 2ae, q. 8, a. 1. 58) Cf. Ex 37, 5-9.

navis in mari fune ligata est ad columnam in litore, trahunt nautae funem, ita ut ipsa columna trahi videatur, sed ipsa utique navis ad columnam trahitur, non columna ad navim ; ita plane conatu orationis ipsi ad Deum trahimur, nam veluti scala coeli oratio est et funis de coelo ad nos delapsa, per quam in coelum ad Deum trahamur, et veluti igneus currus cum equis igneis Eliam rapiens in coelum. Volare tamen dicitur Deus ad nos subveniendo, quoniam in necessitatibus nostris, cum ad eum pie fideliterque recurrimus, quam citissime nobis succurrit.

III. ALIA HOMILIA

Et invenit in templo vendentes et ementes, etc. [1]

Triplex redditur causa huius facti:

I. Facti huius dominici in sacrosancto hodierno Evangelio triplex redditur causa, quarum prima est efficiens : *Zelus domus tuae comedit me;* [2] secunda finalis : *Domus mea domus orationis est cunctis gentibus;* [3] tertia exemplaris et typica, quoniam templum illud praefigurabat corpus Christi : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud . . . Hoc autem dicebat de templo corporis sui.* [4] Prima causa ostendit quod Christus infinito odio prosequitur vitia et peccata ex zelo divini honoris, hinc arripit flagella ad vindicandum malum; secunda, quod Christus magno ardet desiderio ut a nobis Deus, ut par est, pia religione colatur, adoretur, sanctificetur et glorificetur; tertia ostendit infinitam Christi sanctitatem : *Qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius.* [5] Quoniam autem templum illud figura erat corporis Christi, decet autem ut figura respondeat figurato et imago exemplari, ideo non passus est Christus videre in templo iniquitatem.

odium Christi contra peccatum, eius desiderium ut Deus pie colatur, eius sanctitas infinita.

Solvite templum hoc . . . Hoc autem dicebat de templo corporis sui. Templum Dei Christus est, non sicut mundus, in quo habitat Deus per naturam, potentiam, praesentiam et essentiam ; non sicut Ecclesia,

Christus templum Dei est,

1) Io 2, 14. 2) Ibid. vr. 17; Ps 68, 10. 3) Mc 11, 17. Vulg.: *Domus orationis vocabitur omnibus gentibus.* 4) Io 2, 19-21. Vulg.: *Ille autem dicebat*, etc. 5) 1 Petr 2, 22.

in qua habitat per gratiam, per fidem, spem et caritatem; non sicut paradisus, in quo habitat per gloriam, per visionem, fruitionem et possessionem perpetuam perfectamque summi boni; sed in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,* [6] habitat in ipso et per naturam et per gratiam et per gloriam et per unionem hypostaticam. O magnitudo infinita huius templi! Deus adeo magnus est quod, sicut Salomon ait, ipsum nec coeli nec coeli coelorum capere possunt, [7] solus enim a seipso capitur Deus. Hinc in *Apocalypsi* legimus quod civitas coelestis Ierusalem non habet templum, quoniam *Dominus... Deus... templum ipsius est et Agnus.* [8] Quid est *Dominus... Deus... templum ipsius est?* Templum est domus Dei, locus Dei; sed quia Deus nonnisi a seipso capitur, templum suiipsius dicitur. Christus autem templum Dei adeo magnum est, quod *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

quia in ipso Deus inhabitat per naturam, per gratiam et per gloriam.

Est ergo Christus templum Dei, domus Dei. Sed *domum* Dei *decet sanctitudo;* [9] hinc Moysi dixit Deus: *Solve calceamenta de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est,* [10] quoniam locus Dei erat. De hoc templo potest verissime dici: *Vere Dominus est in loco isto... Quam terribilis est... locus iste! Non est hic... nisi domus Dei et porta coeli.* [11] «Templum Dei sanctum est, Dei structura est, Dei aedificatio est», [12] fundatum *in monte Moria,* [13] in Maria Virgine: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium et elevabitur super* omnes *colles,* [14] Maria exaltata super omnes montes et colles Angelorum et hominum. Super hunc montem fundatum fuit hoc templum, non manu hominis, sed manu ipsius Dei; fundamenta autem eius fuerunt ex lapidibus pretiosis. [15]

Ideo templum est maxima sanctitate praeditum et in maxima sanctitate formatum.

Erant illius templi tres partes principales: atrium, sanctum et sancta sanctorum. [16] In atrio erat altare sacrificiorum, mare aeneum et duae columnae, Iachin et Bohaz; [17] in sancto altare incensi, mensa panum propositionis et aureum candelabrum; [18] in sancto sanctorum

Mirabilis analogia ostenditur inter templum Salomonis et Christum.

6) Col 2, 9. 7) Cf. 2 Par 6, 18. 8) 21, 22. Vulg.: *Templum illius*, etc.
9) Ps 92, 5. 10) Ex 3, 5. Vulg.: *Solve calceamentum*, etc. 11) Gn 28, 16-17.
12) Breviarium Rom. In Dedicatione Ecclesiae, antiph. 2 tertii nocturni. 13) 2 Par 3, 1.
14) Is 2, 2. 15) Cf. 3 Rg 5, 17. 16) Cf. ibid. 6, 2-10; 2 Par 3, 2 sqq.; S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª 2ªe, q. 102, a. 4, ad 4. 17) Cf. 3 Rg 7, 21; 2 Par 3, 4 sqq. Vulg.: *Booz. Bohaz* ex hebraico. 18) Cf. 3 Rg 7, 48; Hebr 9, 2.

arca cum tabulis legis, [19] virga Moysi [20] et vase mannae, [21] duo cherubim et propitiatorium divinum. [22] Sic in sacrosancto templo humanitatis Christi est atrium carnis passibilis, sanctitas gratiae et sanctitas gloriae ; hinc altare sacrificiorum, meritum passionis ; hinc mare aeneum, gratia sacramentalis, quae abluit nos a peccatis ; hinc columnae stabilis virtutis tum in prosperis tum in adversis, ut simus in prosperis firmi et recti, in adversis autem fortes et robusti animo. Haec enim beneficia recipimus nos in hoc sacrosancto templo : remissionem peccatorum, gratiam baptismalem et virtutes necessarias ad conservandam hanc gratiam, quae nos iustificat et sanctificat. Postea vero in templo erat altare incensi : orabat Christus pro nobis ; mensa panum : Sacramentum Corporis sui sub specie panis ; candelabrum illuminans : sacra et salutaris doctrina Evangelii depellens tenebras errorum. Sanctum autem sanctorum designabat gloriam animae Christi, sicut sanctum gratiam et atrium naturam.

Sicut Christus templum Dei est, nos quoque necesse est templa Dei esse,

II. Est igitur Christus templum sanctum, sanctificatum a Deo : *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum;* [23] sanctum, in quo nos sanctificamur. Sed si templum Christus est, nos quoque necesse est ut simus templa Dei : *An nescitis quod corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno; glorificate et portate Deum in corpore vestro;* [24] et iterum : *Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* [25]

ergo etiam sancti esse debemus, sicut ipse sanctus est,

Domum Dei *decet sanctitudo ... in longitudine dierum.* [26] Quam turpe esset, bone Deus, si quis in ecclesiam ingressus videret ibi fieri tabernam, cauponam, carnificinam, coquinam et alia huiuscemodi, ibi venderentur ac emerentur ac si nundinae ibi essent! Miraretur vehementer homo ille ac obstupesceret : Quid est hoc? In ecclesia, ubi nonnisi divina debent celebrari officia divinasque laudes decantari, haec fiunt?

19) Cf. Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; 2 Par 5, 10; Hebr 9, 4. 20) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4; part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 462, not. 68. 21) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 22) Cf. Ex 25, 17-20; 3 Rg 8, 3-7; Hebr 9, 5. 23) Io 10, 36. 24) 1 Cor 6, 19 sqq. Vulg.: *An nescitis quoniam membra vestra*, etc. 25) Ibid. 3, 16-17. 26) Ps 92, 5. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis*. In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *In longitudinem.*

Templum est locus orationis, locus divinorum sacrificiorum et officiorum. Si igitur templum Dei es, homo, vide ne intra te sint vitia carnis et concupiscentia eius, ne sint intra te coquina et caupona gulae, prostibulum luxuriae, carnificina irae, mercatura avaritiae.

Domum Dei *decet sanctitudo* externa et interna, ut omne quod est in templo Dei dicat gloriam.[27] Si videmus templum aliquod valde magnificum, totum ex finissimis marmoribus summa cum arte et maximis sumptibus constructum, intuemur frontispicium et faciem templi valde pulcram et ornatam, non possumus non mirari et non laudare architectum ob artem mirabilem, et principem qui templum illud construi fecit tanta cum magnificentia. Intramus et videmus pavimentum templi optime stratum lapidibus pretiosis, tectum totum auratum, columnas optimo ordine dispositas et mirabili arte factas; videmus capellas pulcherrimas, altaria ornatissima, picturas excellentissimas, omne quod est in templo illo dicit gloriam. Sic *domum* Dei *decet sanctitudo*.

et quidem sanctitate externa et interna,

Nos sumus templum Dei; frontispicium et facies huius templi est nostra conversatio externa, habitus et dispositio corporis morumque ac membrorum compositio optime disciplinata. Navis autem et platea magna, corpus huius ecclesiae est pectus et cor nostrum; capellae huius templi sunt membra et sensus corporis; altaria capellarum sensus interiores; altare magnum, ubi tenetur Sanctissimum Sacramentum, voluntas nostra; sacristia, ubi tenentur paramenta ecclesiae et libri sacri, intellectus noster; locus sanctarum reliquiarum memoria nostra.

idest non tantum in sensibus externis, sed etiam in potentiis animae.

Haec omnia necesse est nos ita tenere ut omne, quod est in hoc templo, dicat gloriam. Spiritus enim noster est sacerdos huius templi, curatus huius ecclesiae, ad quem spectat eam tenere *scopis mundatam et ornatam*[28] beneque cultam. Spiritus autem Sanctus episcopus est huius ecclesiae, qui semper residet in ea; propterea inquit P a u l u s: *An nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo*, qui tanquam a summo pontifice factus est episcopus huius ecclesiae, *et* amplius, inquit, *non estis vestri?* Non est, inquit, ecclesia ista absolute vestra, sed est iuspatro-

Christianus enim sui iuris non est, sed Dei,

27) Cf. Ps 28, 9. 28) Mt 12, 44; Lc 11, 25.

natus Dei ; nec solum ecclesia, sed etiam omnes capellae et omnia beneficia huius ecclesiae.

ideo nihil admittere debet quod in cogitatione aut opere Deo displiceat,

Deus enim hanc ecclesiam fundavit atque dotavit et ditavit : *Empti enim estis pretio magno.* Qui autem habet iuspatronatus alicuius ecclesiae, habet ius praesentandi, nec potest dari vel ecclesia vel capella nisi praesentatis, quibus placet habenti iuspatronatus. [29] Sic, cum ecclesia haec nostra sit iuspatronatus Dei, solum illi actus qui placent Deo debent intra hanc ecclesiam admitti, ut quae Deus vult cogitemus, desideremus, loquamur, agamus, operemur.

sed solum quo semper Deus in ipso glorificetur,

Tandem, qui aliquam ecclesiam vel capellam aut altare aedificat et dotat, ponit honesto loco sua gentilitia insignia et stemmata suae familiae, ob gloriam et honorem domus et familiae suae. Sic Paulus concludit : *Glorificate et portate Deum in corpore vestro*, quoniam corpus nostrum ecclesia est fundata et dotata a Deo.

ne indignationem eius incurrat.

Haec igitur omnia facienda nobis sunt, alioquin : *Qui ... templum violaverit disperdet illum Deus, quoniam templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Sic videmus quod hodie Christus, facto flagello ex funiculis, omnes divini templi violatores ac profanatores inde eiecit dicens: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis;* ideo *auferte ista hinc.* [30]

Christianus imago Dei et Christi est,

Ratio autem principalis qua motus hoc Christus egit, est quoniam templum illud corporis sui figura erat : *Solvite templum hoc ... Hoc autem dicebat de templo corporis sui,* quoniam figura necesse est respondeat figurato et imago vivo exemplari. At quis nesciat quod homo est imago Dei, quod christianus est imago Christi ? Necesse est ut talis sit vita christiani hominis ut quisquis videt eius vitam, eius mores, eius opera, studia, actiones, exercitia, videat veluti depictam imaginem sanctitatis Christi. Cogitet quis se templum Dei esse et sciat quod, sicut in templo non licet fieri nisi quae spectant ad Dei gloriam laudemque et salutem hominum, sic homini christiano non licet operari nisi pro gloria Dei et salute animae suae. Vita hominis christiani haec debet esse : oratio, laus Dei et mortificatio carnis. Haec enim in templo fiebant : offerebantur animalia munda in sacrificium, cantabantur hymni in laudem Dei et orabant sacerdotes pro

necesse est ergo ut imaginem sanctitatis Christi in seipso semper et in omnibus exhibeat.

29) *Decretum Gratiani*, Secunda pars, C. XVI, q. VII, cp. XXXII; *Decretales* Gregorii IX, lib. III *De Iure Patronatus*, cp. VIII. 30) Io 2, 16. Ordine inverso affert hunc vr.

populo Dei gratiam et misericordiam postulantes. Sic, inquam, haec tota debet esse christiani hominis vita.

III. *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oves quoque et boves et numulariorum effudit aes et mensas,* etc. [31] Nunquam legimus Christum fecisse flagellum, nisi cum templum Dei violatum vidit, ad insinuandum quod violata religio vel maxime in causa est ut Deus mundum flagellet; imo, quid dico violata religio? neglecta religio. Sic enim apud Aggaeum legimus: *Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini aedificandae. Et factum est verbum Domini in manu Aggaei prophetae dicens: Nunquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta? Et nunc haec dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum et intulistis parum, comedistis et non estis satiati, bibistis et non estis inebriati, operuistis vos et non estis calefacti, et qui mercedes congregavit misit eas in sacculum pertusum. Haec dicit Dominus...: Ponite corda vestra super vias vestras, ascendite in montem, portate ligna et aedificate domum, et acceptabilis mihi erit, et glorificabor, dicit Dominus. Respexistis ad amplius, et ecce factum est minus; et intulistis in domum, et exufflavi illud. Quam ob causam, dicit Dominus exercituum? Quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam. Propter hoc super vos prohibiti sunt coeli ne darent rorem, et terra prohibita est ne daret germen suum, et vocavi siccitatem super terram et super montes et super triticum et super vinum et super oleum et quaecunque profert humus et super homines et super iumenta et super omnem laborem manuum.* [32]

Tanta indignatione Christus commovetur ut ostendat violatam et neglectam religionem maximam causam esse flagellorum Dei;

hoc aperte docet Aggaeus,

Sic Divus Vates tam longa oratione ostendit quod neglecta religio divini cultus in causa est penuriae et caritatis omnium rerum. Avaritia etiam causa est irae Dei et flagellorum. Sic enim apud Michaeam legimus: *Audite, tribus, et quis approbabit illud? Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor irae plena. Nunquid iustificabo stateram impiam et saccelli pondera dolosa? In quibus divites eius repleti sunt iniquitate, et habitantes in ea loquebantur mendacium, et lingua eorum fraudulenta in ore eorum. Et ego*

hoc et Michaeas enumerans peccata quae a mercatorum malitia oriuntur.

31) Ibid. 2, 15. 32) 1, 2-11.

ergo coepi percutere te . . . super peccatis tuis. Tu comedes et non saturaberis, et humiliatio tua in medio tui, et apprehendes et non salvabis, et quos salvaveris in gladium dabo. Tu seminabis et non metes . . . , calcabis olivam et non ungeris oleo, et mustum et non bibes vinum. [33] Quo quidem loco vitia etiam et peccata enumerat, quae a mercatorum avaritia oriuntur : mensuras et pondera iniusta ad emendum et vendendum, mendacia, dolos, fraudes, periuria, falsa iuramenta. Unde inquit quod *thesauri iniquitatis,* hoc est iniuste acquisiti, ignis sunt ardens.

Omnia peccata hodie Christus invenit in templo,

Dominus autem hodie in templo et neglectam religionem invenit et avaritiae operam dantes, unde alias dixit : *Domus mea domus orationis est cunctis gentibus, vos autem fecistis illam speluncam latronum,* [34] insinuans quod omne lucrum iniustae et illicitae mercaturae furtum est. Est autem mercatura illicita vel ratione iniquitatis in mensuris fraudulentis, in pretiis iniustis, in mendaciis et periuriis dolisque, cum aliud pro alio datur ; vel ratione loci, quia non licet in loco sacro exercere mercaturae negotiationem, sicut nec in profano exercere sacra ; tertio, ratione temporis, quia non licet diebus festis negotiari et celebrare nundinas ; [34a] quarto ratione personarum, quia non licet viris ecclesiasticis exercere negotia saecularia. [35] Christus autem haec mala simul invenit in templo, propterea fecit *flagellum de funiculis et omnes eiecit de templo.*

propterea maxima indignatione commovetur.

Sed simul cum indignatione misericordiam etiam ostendit.

IV. Fuit autem hoc Christi facinus non tantum opus iustitiae, verum etiam misericordiae. Hinc non dicit quod fecit flagellum, sed *quasi flagellum,* nec dicit de funibus, sed *de funiculis.* Omnia enim temporalia mala et tribulationes, quas ob peccata nostra patimur in praesenti vita, non flagellum de funibus sunt, sed *quasi flagellum de funiculis.* Flagellum de funibus patientur omnes damnati in alia vita ; hic enim puniuntur peccatores sicut filii a patre, sed ibi sicut captivi in trireme a portisculo et remigum hortatore, qui ad remiges errantes corripiendos non utitur flagellulo de funiculis, sed flagello de funibus.

33) 6, 9-15. 34) Mc 11, 17. Vulg.: *Domus orationis vocabitur omnibus gentibus, vos autem fecistis eam,* etc. 34a) *Constit.* S. Pii V, *Cum primum.* Cf. *Magnum Bullarium Rom.,* t. 2, pag. 192; Phil. Labbeus *Sacrosancta Concilia,* t. 15, *De Festis,* cp. 2, col. 799-800. 35) Cf. supra, hom. 1 huius Feriae, pag. 329, not. 74.

Potuisset Christus ignitos serpentes in eos immittere [36] plagisque Aegypti [37] vel Philisthaeorum [38] eos percutere, vel ignem de coelo super eos immittere, vel terram sub eorum pedibus aperire, sicut alias divinitus factum legimus contra peccatores. [39] Sed quia salvare venerat peccatores, non perdere, [40] nil horum fecit, sed tantum flagellulo funiculorum usus est.

Hoc facto Christus significavit actus divini cultus Deo non placere, nisi fiant animo purificato.

V. *Auferte ista hinc.* Cur, Domine? Haec pro sacrificiis necessaria sunt. Sed : *Quo mihi,* inquit, *multitudo victimarum vestrarum? . . . Plenus sum . . . Cum veniretis ad videndum faciem meam, quis quaesivit haec de manibus vestris? Conculcare atria mea?* [41] Obedientiam volo magis quam sacrificium, [42] nec placuerunt Deo sacrificia Cain, sed *respexit Deus ad Abel et ad munera eius, ad Cain autem et ad munera eius non respexit.* [43] Num si regi occisus est filius, placere possunt munera, cum viderit in manibus offerentium sanguinem filii sui? Homicidae manibus adhuc sanguine pollutis possunt Deo accepta sacrificia offerre? *Manus . . . vestrae sanguine plenae sunt,* [44] sanguine Christi, hinc non sunt accepta sacrificia vestra. *Lavamini* ergo et *mundi estote.* [45] Spiritualis autem ratio huius facti est quoniam post Christum non erant amplius carnalia sacrificia futura grata Deo.

Prophetice loquitur praedicens mortem et resurrectionem suam.

Quod signum ostendis nobis quia haec facis? [46] Tu, inquiunt, facis te Filium [Dei] dicens : *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*; sed quod signum ostendis te esse Filium Dei verumque Messiam? Quia ut Filius Dei nos a domo Dei expellis et eicis. Nos nec Prophetis credimus, nisi divinae virtutis signa nobis praestiterint ut credamus quod a Deo vivo missi sunt, sicut Moyses.

Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Prophetice loquitur Christus et passionem mortemque suam et resurrectionem praedicit. Solvetis, inquit, et destruetis templum corporis mei, ut templum istud vestrum materiale servetis. Sed cum templum corporis mei fuerit excitatum, tunc vestrum destruetur. Vos pro conservanda figura

36) Cf. Nm 21, 5-6. 37) Cf. Ps 77, 43-49. 38) Cf. 1 Rg 4, 1 sqq. 39) Cf. Gn 19, 24-25; Nm 16, 28-35. 40) Cf. Lc 19, 10; 1 Tim 1, 15; 2, 4. 41) Is 1, 11-12. Ex hebraico et ex Translat. Septuaginta. 42) Cf. 1 Rg 15, 22; Eccle 4, 17. 43) Gn 4, 4-5. Vulg.: *Respexit Dominus . . . ad Cain vero et ad munera illius non respexit.* 44) Is 1, 15. 45) Ibid. vr. 16. 46) Io 2, 18.

destruetis veritatem, pro umbra dissolvetis corpus, [47] occidetis filium regis zelantes eius imaginem et simulacrum.

Exhibet insuper exemplar perfectum vitae christianae instituendae;

VI. Tria facit hodie Christus : purgat templum, illuminat mentes, quod non licet facere domum Dei domum negotiationis, et operatur miracula dans multis infirmis perfectam sanitatem, nam : *Multi crediderunt in eum videntes signa ... quae faciebat.* [48] Haec est vita christiani : purgare mentem a vitiis et peccatis, illuminare intellectum cognitione Dei et virtutibus animam perficere. Primum est purgare animam: *Omnes eiecit de templo, oves quoque et boves et numularios et effudit aes et mensas subvertit;* [49] nihil ibi reliquit quod profanum et illicitum esset. Sic purgandus est animus ab omnibus vitiis et peccatis mortalibus et venialibus, magnis et parvis, internis et externis, ab omnibus non tantum malis, sed etiam occasionibus et ab omni etiam specie vel suspicione mali ; sic omnes occidere Amalecitas, etc.

principibus et praelatis exemplum iustitiae et misericordiae

Duo opera principe digna specialiter facit Christus hodie: alterum est opus iustitiae, alterum vero misericordiae et pietatis. Iustitiae est quod *omnes eiecit de templo* ardens Dei zelo, misericordiae et pietatis quod signa faciebat in salutem egenorum. Omnes punit delinquentes et egentibus multa confert beneficia. Vident principes et praelati publicos abusus et malefacta et saepe faciunt etiam publicas demonstrationes iustitiae ; at saepe leges pro pauperibus factae sunt non pro divitibus, pro populo non pro nobilibus et magnatibus. Non sic Christus, sed absque ulla acceptione personarum, nullius faciem respiciens, [50] *omnes eiecit de templo.* Quod si qui sunt principes et praelati, qui integerrimi vel sunt vel videri volunt in eo quod ad iustitiam spectat in corrigendis abusibus et puniendis delictis, vix reperitur qui dexteram manum extendat ad beneficia conferenda egenis, ad pauperes sublevandos, sicut Christus hodie exemplum dat principibus et praelatis non tantum iustitiae, sed etiam misericordiae, pietatis et munificentiae.

in malis puniendis et in beneficiis praestandis.

VII. *Zelus domus tuae comedit me.* Ostendit Christus se zelare hodie divinum honorem, salutem populi et Ecclesiae Sanctae decorem.

47) Ms.: *Pro umbra dissolvetis umbra.* 48) Io 2, 23. Vulg.: *Crediderunt in nomine eius*, etc.
49) Ibid. vr. 15. Vulg.: *Et numulariorum effudit aes*, etc. 50) Cf. Mt 22, 16; Lc 20, 21.

Honorem divinum, hinc sicut Moyses hodie destruit aureum vitulum: [51] Avaritia *est idolorum servitus.* [52] Salutem populi, quoniam templum in medio civitatis, sacerdotium in medio populi est, sicut stomachus in medio corporis, unde salus totius corporis pendet. Si populus non habet bonos praelatos et sacerdotes, nihil in eo boni reperitur; hinc Isaias ait: *Omne caput*, sive totum caput, *languidum et omne*, sive totum *cor moerens*, languens, hinc sequitur: *A planta pedis usque ad verticem* capitis *non est in eo sanitas.* [53] Si stomachus bene valet, universo corpori optimam valitudinem praebet; si autem male valet, universum corpus inficit. Purgat igitur Christus hodie tanquam optimus medicus stomachum, ut toti corpori afferat sanitatem.

Ostendit etiam se zelare divinum honorem et salutem populi purificans sacerdotium.

Tabernaculum positum fuit in medio populi, sacerdotes autem et levitae circa tabernaculum habitabant. [54] Hinc Dominus hodie vult purgare filios Levi, [55] nam peccatum sacerdotum, avaritia et ambitio, causa fuit ruinae et perditionis universo populo. Si enim illi in Christum credidissent, etiam populus credidisset; sed quoniam illi credere noluerunt, sed persequi et occidere avaritia et ambitione ducti, hinc periit universus populus. Christus ergo cupiens hodie totius populi salutem, purgat templum, purgat stomachum ne toti corpori sit causa perditionis et mortis.

peccata enim sacerdotum, avaritia et ambitio, causa fuerunt ruinae populi iudaici.

Zelat etiam Sanctae Ecclesiae decorem et sacerdotii dignitatem, quoniam non decet servum Dei implicare se negotiis saecularibus. [56] Non poterat sacerdos Dei sacrificare idolis: [57] *Domum* Dei *decet sanctitudo in longitudine dierum.* Non decet sacerdotes nisi vitae puritas et sanctitas virtutesque et mores exemplaris aedificationis. Homo enim ob naturam peccato corruptam propensior est ad malum quam ad bonum, ad vitium quam ad virtutem. Hoc est quod apud Aggaeum legimus quod, si homo sanctificatus aliquid tangit, non sanctificat illud, quamvis sanctificata veste indutus sit et veste tangat; at si pollutus et immundus homo tangat aliquid, polluit et immundum reddit quod pollutum est. [58] Vestis sanctificata est vita exemplaris, religiosa, sancta, quae quidem non sanctificat homines, quoniam sanctitas donum Dei est. At vita scandalosa polluit et vitiis

Non decet servum Dei negotiis saecularibus se implicare, qui puritate et sanctitate fulgere debet.

51) Cf. Ex 32, 20. 52) Eph 5, 5. 53) 1, 5-6. 54) Cf. Nm 1, 53-2, 1 sqq. 55) Cf. Mal 3, 3. 56) Cf. 2 Tim 2, 1. 57) Cf. Ez 44, 10-13. 58) Cf. 2, 13-14.

inficit, maxime vero vitia sacerdotum et religiosorum ; hinc Deus ait : *Auferte ista hinc et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.*

Terreni thesauri vere sunt cisternae dissipatae,

VIII. In domo Dei saecularia negotia exercebant Iudaei : *Obstupescite, coeli... et portae eius, desolamini vehementer... Duo enim mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquae vivae et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.* [59] Quid est terrena negotiatio nisi fodere *cisternas dissipatas?* Cisternas, inquam, fodere ad colligendas aquas pro siti extinguenda, ad bibendum quotiescunque homo sitierit; veluti enim cisterna aquarum videtur esse thesaurus terrenus scriniumque pecuniarum ad satisfaciendum siti cuiusvis appetitus et desiderii, nam : *Pecuniae obediunt omnia;* [60] in mundo hoc qui multas habet pecunias, habet quaecunque vult, ut vulgo dicitur. Non immerito autem comparatur cisternae thesaurus ; nam ex cisterna, quamvis integra, paulatim minuitur aqua, sic thesaurus pecuniarum minuitur mille modis, nam : *Ubi multae sunt divitiae, multi* sunt *qui comedunt eas.* [61] Hinc Christus ait quod terrenum thesaurum aerugo tineaque et comestio *demolitur et... fures effodiunt et furantur.* [62] Sic mille modis deperditur aqua in cisterna collecta, cumque dissipata fractaque sit cisterna, terra ipsa aquas imbibit et absumit. Quamvis etiam ad multa desideria explenda inutiles divitiae sunt : num divitiae possunt dare tibi sanitatem ? num vitam ? num animi virtutes ? num dare tibi filios quales desideras ?

quae multas aquas colligentes cito exiccantur et sitim extinguere non valent.

Amor virtutis et odium vitii aequa lance mensurantur,

IX. *Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.* Heri vidimus in pectore Christi amorem virtutis, [63] hodie vero videmus odium vitii. Sicut autem natura iustissimo pondere et bilance posuit in corde nostro amorem et odium, amorem erga bonum quod desideramus ut eo perfruamur, et odium quo malum fugiamus quod pati renuimus, nam quanto amore diligimus visum, vitam, voluptates, divitias, honores, amicos, parentes, filios, tanto odio prose-

59) Ier 2, 12-13. 60) Eccle 10, 19. 61) Ibid. 5, 10. Vulg.: *Ubi multae sunt opes*, etc.
62) Mt 6, 19. 63) Cf. Evangelium Dominicae praec.

quimur caecitatem, mortem, poenas, inopiam, ignominiam, inimicos; ita in Christi pectore amor virtutis et odium vitii aequalia sunt, sicut in corpore sinister oculus aequalis dextero, sinistra manus aequalis est dexterae, et in anima vis irascibilis aequalis est concupiscibili, et in Deo iustitia aequalis est misericordiae. Hinc heri amor virtutis exercuit oculos, linguam et manus Christi in beneficium turbarum fidelium; hodie, e contra, odium vitii exercet et oculos et linguam et manus contra peccatores. Heri in oculis Christi vidimus clementiam, hodie iram; heri oculos columbae, hodie oculos ignis ardentis; nam in Divinis Scripturis Christus nunc dicitur habere oculos columbae, ut ait Sponsa in *Canticis*, [64] nunc oculos ignis ardentis, sicut Ioannes in *Apocalypsi;* [65] heri in lingua Christi benedictionem, hodie maledictionem; heri in manibus Christi panes, hodie flagellum.

hinc heri Christum vidimus plenum amore et misericordia, hodie iustitia et odio contra vitium;

Et tamen verum est quod Deus suapte natura immutabilis est: *Ego Deus et non mutor.* [66] Christus autem Deus est; quomodo sic mutatus est? Quomodo faciem hominis, imo agni, mutavit in faciem leonis? Quomodo mutavit lucem in tenebras, dulce in amarum, misericordiam in iram? Sed haec mutatio potius est ex parte nostra. Si cera convertatur in lutum, quam prius ignis mollificabat suo calore, postea eodem calore indurabit, quamvis idem sit ignis, idem calor; diversus est effectus, quoniam est diversa materia. Sic videmus hodie populum valde diversum ab heri; nam heri populus totus divinis operibus incumbebat, hodie vero totus mundanis; heri ex deserto fecerat templum Dei, hodie ex templo Dei desertum et *speluncam latronum;* heri totus a divina providentia dependebat, hodie, contempto Deo, humana tantum providentia gubernatur; heri nonnisi *regnum Dei et iustitiam eius* [67] quaerebat, hodie vero nonnisi temporalia lucra; heri serviebat soli Deo, hodie mammonae avaritiae, [68] *quae idolorum est servitus.* Hinc diversam faciem Christus ostendit, sicut columna nubis Hebraeis clara erat, Aegyptiis obscura, [69] eademque columna diu nubes erat, noctu ignis; [70] in eadem arca manna erat et virga.

non quod ipse mutetur, cum Deus immutabilis sit, sed haec mutatio est ex parte nostra.

X. *Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.* Fugiendum nobis peccatum est, si non ob aliud, saltem ob solam

Fugiendum ergo est peccatum,

64) Cf. 1, 14; 4, 1. 65) Cf. 1, 14; 2, 18; 18, 8; 19, 12. 66) Mal 3, 6. Vulg.: *Ego... Dominus*, etc. 67) Mt 6, 33. 68) Cf. ibid. 6, 24; Lc 16, 13. 69) Cf. Ex 14, 19-20. 70) Cf. ibid. 13, 21 sqq.

hanc rationem, quoniam cor Dei, quod suapte natura plenum est infinita misericordia et clementia, replet ira et indignatione, contra nos oculos Christi provocat ad nos torve aspiciendum, linguam ad maledicendum, manus ad flagellandum.

timenda iustitia et speranda misericordia.

Heri Christus ostendit misericordiae opus, hodie vero opus iustitiae, quoniam haec via salutis est: vita ducta in timore divinae iustitiae et spe divinae misericordiae, ut homo recta tendat, non declinans neque ad dexteram neque ad sinistram.

Deus propensior est ad misericordiam quam ad iram.

Videmus hodie Christum iratum, sed brevi mitigavit iram suam, postea multa edidit miracula in salutem hominum, nam ait quod faciebat signa : *Multi crediderunt in nomine eius videntes signa eius quae faciebat.* [71] Multo proclivior Dominus [est] ad misericordiam quam ad iram, hoc est quod ait : *Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem ... et faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me.* [72] Sic Isaias ait cp. 61 : *Praedicare annum Domini acceptum et diem ultionis Deo nostro.* [73] Misericordiae tribuit annum, irae autem tantum diem. Et cp. 54 : *Ad punctum in modico dereliqui te et in misericordiis magnis congregabo te; in momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te et in misericordia sempiterna misertus sum tui.* [74] Homo in facie ostendit iram et benignitatem ac lenitatem animi, sed modico tempore perdurat ardor irae in vultu hominis. Christus est facies Dei : *Ostende faciem tuam et salvi erimus;* [75] brevissimo tempore exarsit ira in Christo, sed perpetuo benignitas.

71) Io 2, 23. 72) Ex 20, 5-6. Vulg.: *In millia his*, etc. 73) Vr. 2. Vulg.: *Ut praedicarem annum placabilem Domino*, etc. 74) Vrr. 7-8. Vulg. : *Et in miserationibus magnis congregabo te*, etc. 75) Ps 79, 4. 8. 20.

FERIA TERTIA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

I. Est scientia intellectus nostri perfectio, sicut lux perfectio aeris et coeli, visus perfectio oculi, sanitas et vita perfectio corporis nostri. Homo sine scientia est tanquam liber sine litteris, navis sine nautis, corpus sine anima, oculus sine visu, aer sine luce, tenebris et caeca nocte involutus, avis sine pennis, arbor sine foliis et fructibus omnino inutilis. Et sicut terra, quae solis luce non fruitur, boni nihil producit, sic omnis ignorans malus. Hinc Deus voluit Christum esse omni scientia et sapientia plenum, ut esset tanquam sol sapientiae, lucens per doctrinam coelestem atque divinam ; unde hodie miratur synagoga doctrinam Christi : *Ascendit Iesus* Ierosolymam *in templum et docebat; et mirabantur Iudaei.* [1] Quare videndum nobis erit hodie dicendumque aliquid de doctrina et sapientia Christi.

Deus Christum voluit omni scientia praeditum, ut esset vere sol mundum illuminans.

Iam die festo mediante, ascendit Iesus Ierosolymam *in templum et docebat ; et mirabantur Iudaei*, etc. [2]

II. Admirata fuit vehementerque obstupuit regina Saba, audita sapientia Salomonis, cognito quod vere omni scientia et sapientia

Deus solus vere sapiens est suapte natura.

1) Io 7, 14-15. 2) Pericope huius diei Io 7, 14-31. Cf. Missale Rom. In margine haec adiecta fuerunt: « Tria pertractantur de Christi sapientia et doctrina: primum eius magnitudo, secundum eius origo: *Mea doctrina non est mea*, tertium eius efficacia et fructus: *Multi crediderunt in eum.*

Primum est: *Ascendit... in templum et docebat, et mirabantur.* Merito talem tantamque doctrinam mirabantur, quam unico expressit verbo Ioannes dicens quod *docebat.* Simpliciter dicit: *Docebat*, nec dicit quid aut quos doceret. Sicut Deus simpliciter dixit: *Sum qui sum*, ad designandam divinae naturae aeternitatem et infinitatem, sic sapientia Christi infinita est et aeterna. *Docebat*, sicut: *In principio erat Verbum*, istud *erat* aeternitatem significat. *Docebat*: docuit ab initio omnes Angelos, docuit omnes homines: *Erat lux vera quae illuminat omnem hominem ;* docuit omnia animalia naturales artes, quae sunt nobis admirabiles: quomodo apes faciunt mel et ceram, vermes sericum, araneae telas suas. *Docebat*, quia in templum ascendit

plenus esset supra humanas vires;[3] sic hodie synagoga miratur et stupet audiens sapientiam Christi. Est sapientia res mirabilis et plane divina; hinc D i v u s P a u l u s inquit solum Deum esse sapientem: *Soli sapienti Deo.*[4] Nam quae in hominibus et Angelis reperitur, doctrina potius est et disciplina, quam sapientia; sicut lumen quod in luna, astris, coelo et aere reperitur, potius illuminatio est a sole quam lux. Sol tantum suapte natura est lucidus et ignis calidus, cetera calefacta sunt; sic solus Deus suapte natura sapiens est, homines non sapientes, sed docti sunt vel ab aliis hominibus vel a Deo. Similiter Angeli docti a Deo sunt; quicquid sciunt, Deo docente sciunt. Solus Deus sapiens suapte natura est: *Soli sapienti Deo.*[5]

Ideo sapientia res quaedam divina est

Sic sapientia res quaedam divina est, propterea summo semper in pretio habita fuit in mundo. Pharao rex Aegypti, cognita sapientia Ioseph, constituit eum ex mancipio principem supremum totius regni sui.[6] Nabuchodonosor, cognita sapientia Danielis, adoravit eum tanquam deum divinosque ei tribuit honores.[7] De Salomone legimus *3 Regum* quod: *Universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius;*[8] et *2 Paralipomenon: Omnes... reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, ut audirent sapientiam* eius, *et deferebant ei munera.*[9] Magnum enim thesaurum sapientiae dedit illi Deus; sic enim legimus *3 Regum: Dedit... Deus sapientiam Salomoni et prudentiam multam nimis et latitudinem cordis, velut arenam quae est in litore maris; et praecedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium et Aegyptiorum, et erat sapientior cunctis hominibus.*[10]

et summi semper habita fuit in mundo.

Sed si sapientiam Salomonis sapientiae Christi comparemus, tanto Christus Salomone sapientior fuit quanto Deus maior est homine. Est Deus lux et sol infinitae sapientiae; hanc impertitur Angelis et hominibus, sicut sol lucem suam et astris et planetis tum superioribus

Sed omnibus creaturis sapientior Christus est,

et ipse templum Dei est, quod in templo praefigurabatur, in quo *inhabitat omnis plenitudo*, etc. Haec est sapientia et doctrina Christi: *Omnis plenitudo.* De Christo vere illud dici potest quod H o m e r u s dixit de vate Tiresia, quod datum illi erat ut solus saperet, nam de sapientissimo quoque loco proverbii dicebatur: « Solus sapit ».

Vere solus Christus sapiens, sicut solus Deus; nam: *Soli sapienti Deo*, inquit A p o s t o l u s. Statuere Gentiles Minervam, ex capite Iovis ortam, sapientiae omnisque scientiae deam. Sed Christus vere Dei sapientia est: *Deus scientiarum Dominus*, ipsius mens et anima vere Minerva est ».

3) Cf. 3 Rg 10, 1-9; 2 Par 9, 1-9. 4) Rom 16, 27. 5) Ms.: *Dei.* 6) Cf. Gn 41, 37-41. 7) Cf. Dn 2, 46. 8) 10, 24. 9) 9, 23-24. 10) 4, 29-31. Vulg.: *Quasi arenam*, etc.

tum inferioribus, et coelo et terrae. Sed non omnibus omnem scientiam. Sunt enim plures scientiae, sicut plura scibilia. Moysen Deus docuit moralem philosophiam, cui sanctissimam legem dedit de coelo ;[11] Salomonem docuit naturalem, nam inquit Divina Scriptura quod disseruit de omnibus herbarum et animalium terrestrium, aquatilium et volatilium generibus ;[12] Beseleel et Ooliab docuit mathematicen ad construendum divinum tabernaculum summa cum ratione et arte ;[13] David regem docuit poeticen ad componendos canendosque psalmos, et musicen ;[14] Ieremiam rhetoricen loqui eum docuit et ad populum orare ;[15] Danielem docuit scientiam divinatoriam ad interpretanda divina mysteria,[16] quam etiam Ioseph doctus a Deo fuit.[17] Prophetas omnes docuit philosophiam divinam supernaturalemque theologiam. Sic inquit D i v u s A p o s t o l u s quod *divisiones... gratiarum sunt*, quod Deus dividit *singulis prout vult.*[18] Sed in Christo *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei,[19] omnis scientia omnisque sapientia quae reperitur non tantum in omnibus hominibus, sed etiam in omnibus Angelis ; nec tantum in omnibus Angelis, sed etiam in ipso Deo.

quia in ipso invenitur omnis plenitudo scientiae et sapientiae creatae et increatae.

III. In hoc mundo unus homo non potest scire quae sciunt omnes homines. Nemo est qui in omnibus scientiis et artibus perfectus omnibusque numeris absolutus sit ; perfectus in universa philosophia naturali et supernaturali, absolutissimus philosophus et theologus simulque perfectus philosophus moralis, et utriusque iuris maximus doctor simulque perfectus mathematicus, geometra, cosmographus, astrologus, perspectivus, perfectus arithmeticus musicusque in omni genere musices, et adhuc perfectus grammaticus, rhetor, poeta simulque perfectus in omnibus artibus liberalibus et mechanicis. Impossibile, inquam, est ut homo in hac vita mortali et momentanea omnibus hisce scientiis artibusque praeditus sit perfectusque et omnibus numeris absolutus. Solus Christus is est *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei. Ipse est vas illud novum sale plenum ab Eliseo positum in aquis Iericho ;[20] hoc est quod ambae tabulae

Nulla creatura humana perfecta omnino est in omni scientia simul;

solus Christus pollet omni scientia naturalium rerum et sapientia supernaturalium;

11) Cf. Ex 20, 1 sqq.; Eccli 45, 5-6. 12) Cf. 3 Rg 4, 33. 13) Cf. Ex 31, 1-11; 35, 30 sqq. 14) Cf. 2 Par 7, 6; Eccli 47, 9-12. 15) Cf. Ier 1, 5 sqq. 16) Cf. Dn 2, 19 sqq.; 4, 1-5, 1 sqq. 17) Cf. Gn 41, 14-36. 18) 1 Cor 12, 4. 11. 19) Col 2, 3. 20) Cf. 4 Rg 2, 19-22.

divinae sapientiae repositae fuerunt in arca foederis Domini, [21] quod in Christo omnis est scientia naturalium rerum et sapientia supernaturalium.

novit omnia praeterita, praesentia et futura, humana et divina,

Non est possibile ut homo sciat omnia praeterita, praesentia et futura, omnia et singula in genere, in specie et in numero, cum omnibus differentiis individualibus. Solus Christus novit omnia praeterita ut Moyses, praesentia ut Salomon, futura ut Prophetae : *Omnia... nuda et aperta sunt oculis eius et non est aliqua creatura invisibilis in conspectu ipsius.* [22] Non est possibile ut unus homo cognoscat et sciat omnia humana et divina, omnia secreta hominum et arcana Dei: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius!* [23] Solus Christus id novit; ipse enim est eadem sapientia Dei : *Praedicamus Christum... Dei virtutem et Dei sapientiam.* [24] O thesaurum, o thesaurum immensae, ineffabilis, incomprehensibilis, infinitae sapientiae Dei!

quia ipse est eadem sapientia Dei.

Christus perfectus fuit in natura, gratia et gloria,

IV. Sed, ut distinctius aliquid de sapientia Christi dicamus et intelligamus, sciendum est quod in Christo considerare possumus naturam, gratiam et gloriam, dignitatem pontificiam, dignitatem imperialem, unionem cum deitate et ipsam deitatem. Fuit Christus perfectus homo in natura ut Adam ante lapsum, [25] perfectus in gratia ut Noe, [26] perfectus in gloria coelestis Ierusalem ut Salomon. [27] Fuit simul sacerdos summus et rex ut Melchisedech; [28] fuit homo unitus Deo sicut arca cum divino propitiatorio, [29] et tandem fuit vivus et verus Deus, mundi universi omnipotens creator et rector. Si fuit homo perfectus in natura, necesse est ut fuerit perfectus in scientia omnium naturalium rerum. Scientia enim perfectio est humani intellectus et mentis; sic Adam omni naturalium rerum scientia praeditus fuit a Deo, hinc omnibus naturalibus rebus imposuit nomina iuxta naturalium rerum proprietates ingenitas. [30]

ideo omni naturalium rerum scientia praeditus;

Ut homo perfectus in gratia et caritate supernaturali, praeditus fuit perfecta scientia et cognitione supernaturalium rerum; si enim

21) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 22) Hebr 4, 13. Vulg.: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius.* Ordine inverso affert hunc vr.
23) Rom 11, 33. 24) 1 Cor 1, 23-24. 25) Cf. Eccle 7, 30; Rom 5, 12 sqq.
26) Cf. Gn 6, 9; 2 Petr 2, 5. 27) Cf. 3 Rg 3, 13; 10, 23-25; 2 Par 1, 12; 9, 22-24.
28) Cf. Gn 14, 18; Hebr 7, 1-2. 29) Cf. Ex 40, 16-19. 30) Cf. Gn 2, 20.

Deum imperfecte cognovit, necesse est ut imperfecte dilexerit, amor enim sequitur cognitionem ipsam ;[30a] quod si perfecte Deum dilexit, igitur perfecte cognovit, sicut et multo magis Deum cognoverunt in hoc mundo sancti Prophetae.

omni supernaturalium cognitione.

Tertio, Christus perfectus fuit in gloria per beatificam visionem divinae faciei, sicut Angeli in paradiso. Visio autem illa non est nisi perfecta cognitio divinae essentiae, etiam omnium rerum, quae in ea tanquam in speculo perfectissime relucent : *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.*[31] Quoniam vero gloria singularis personae Christi excedit omnem gloriam Angelorum, sicut lux solis lumina omnium astrorum, sic beatifica Christi cognitio et visio excedit, etc.

perfecta divinae essentiae visione et omnium quae in ea elucent.

Quarto, Christus constitutus a Deo est dominus et rector universae naturae : *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.*[32] Regimen autem magnam scientiam et prudentiam, consilium et multarum rerum cognitionem requirit ; hinc Deus Salomoni sapientiam dedit ut regnum Israel optime gubernaret.[33] Sed quo maius est regnum Christi regno Salomonis, eo maior et sapientia.

Constitutus est a Deo rex universi, ideo habet omnem scientiam politicam;

Quinto, non tantum rectorem naturae Deus Christum instituit, unde *imperavit ventis et mari*[34] et in hora mortis naturam universam commovit,[35] sed etiam caput universalis Ecclesiae,[36] quod multo altius regimen est ; illud enim regimen est corporum, istud vero spirituum. Quare necesse est ut noverit Christus omnia secreta omnium hominum, omnes penitus cogitationes et singulas omnium et singulorum cordium ad iudicandum et decernendum inter bonas et malas. Iudicaturus enim est non tantum bona opera et mala, sed etiam verba, desideria, cogitationes et intentiones cordium et gradus etiam bonitatis et malitiae usque ad minimum quadrantem.[37]

constitutus est iudex universalis Ecclesiae, ideo habet cognitionem secretorum omnium cordium;

Sexto, constituit eum etiam regem gloriae et principem paradisi, quod adhuc altius regimen est et altiori sapientia opus est ad decernendum praemia virtutum aeterna vitiorumque perpetuas poenas iu-

constitutus est rex coeli, ideo habet plenam scientiam

30a) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1a 2ae, q. 27, a. 2.
31) 1 Cor 13, 12. 32) Mt 28, 18. 33) Cf. 3 Rg 3, 10-13; 2 Par 1, 10-12.
34) Mt 8, 26. 35) Cf. ibid. 27, 45-51. 36) Cf. Eph 1, 22 sqq.; 4, 15-16; 5, 23; Col 1, 18; 2, 10. 37) Cf. Hebr 4, 12-13.

ad decernenda praemia iuxta merita; stissima ratione, ut nullum penitus sit irremuneratum bonum vel impunitum malum, quamvis minimum, summa tamen cum aequitate, adeo ut nemo unquam iuste conqueri possit.

homo est deificatus, ideo habet omnem scientiam praedestinationis et visionis; Septimo, Christus homo est deificatus et sic anima eius sanctissima cognoscit omnia quae cognoscit Verbum tum scientia praedestinationis et praescientiae, tum scientia visionis, qua cognoscit omnia creata: praeterita, praesentia et futura, tum scientia simplicis intelligentiae, qua cognoscit omnia creabilia, quae absoluta sua potestate Deus creare et operari potest, non tamen omnia uno simul actu, sed habitu.

tandem, est ipsemet Deus, ideo habet omnem scientiam qua pollet divinus intellectus. Octavo, tandem, ut Deus cognoscit omnia quae divinus intellectus cognoscit, omnes gradus infinitae perfectionis divinae essentiae, omnes gradus potentiae, sapientiae et bonitatis Dei. Sic infinita est Christi sapientia sicut infinita est divina Verbi essentia. Sic in Christo omnis reperitur scientia et sapientia tum creata, quae in hominibus et Angelis omnibus reperiri potest, tum increata quae in Deo est.

Merito ergo mirantur hodie Iudaei sapientiam eius, quia prorsus divina. V. Merito igitur hodie, docente Christo, *mirabantur Iudaei* infinitum in eo sapientiae divinae thesaurum: *Ascendit Iesus in templum et docebat; et mirabantur Iudaei dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* [38] Non enim erat sapientia Christi humanitus acquisita, sed divinitus infusa et tradita; hinc ait ipse: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* [39] *Mea doctrina*, quatenus homo sum, *non est mea*, non est humanitus acquisita, *sed* est *eius qui misit me*, divinitus infusa. Sicut sapientia divinitus data fuit Salomoni, similiter *mea doctrina*, quatenus Deus sum, *non est mea, sed eius qui misit me*, quia Filius non est a se, sed a Patre procedit, sicut radius a sole, sicut fluvius a fonte, sicut lux ab igne.

In verbis illius omnes humani eloquii perfectiones relucebant; *Mirabantur Iudaei* Christum docentem, quia *nunquam sic homo locutus est.* [40] Potissimum in oratore est inventio rerum, conceptuum, spirituum optimorum. [41] In Christo videbant thesaurum infinitum, fontem copiosissimum, venam inexiccabilem; memoriam felicissimam ac vere aeternam, iudicium exactissimum in dispositione et ordine

38) Io 7, 14-15. 39) Ibid. vr. 16. 40) Ibid. vr. 46. Vulg.: *Nunquam sic locutus est homo.* 41) Cf. Cicero *Ad Herennium*, lib. 1, vol. 1, col. 3; Quintilianus *Institut. Orator.*, lib. 12, cp. 10, pag. 686.

elegantissimo conceptuum, sententiarum atque verborum ; elocutionem ornatissimam, plenam omnibus figuris, tropis, coloribus, luminibus splendoribusque allegoriarum, metaphorarum, exemplorum, sententiarum, proverbiorum, verborum ; erant verba propria, epitheta convenientia, metaphorae similes, allegoriae illustres, comparationes splendidae, exempla aperta, pronunciatio gratiosissima, vox dulcissima, aspectus pulcherrimus, gestus elegantissimus, motus omnis aptissimus : *Mirabantur Iudaei.* Erat in laudando et vituperando gratissimus, in persuadendo et dissuadendo efficacissimus, in accusando et defendendo acerrimus.

eius doctrina erat summe utilis, delectabilis et honorabilis;

Mirabantur Iudaei, quoniam doctrina eius erat summe utilis, delectabilis et honorabilis; docebat, delectabat et movebat. Docebat utilia : *Ego ... Deus ... docens te utilia ... Utinam attendisses* ad universa *mandata mea! Facta esset velut mare pax tua et iustitia tua sicut gurgites maris.*[42] Praedicabat de Dei maiestate, potentia, sapientia, bonitate, iustitia, misericordia et caritate ; praedicabat de divinis beneficiis, de creatione mundi, de redemptione et salute generis humani, de virtutibus et vitiis, de poena et gloria, de paradiso et inferno, de morte et vita aeterna, de futuro universali iudicio ; praedicabat mysteria divinae legis et Prophetarum, non fabulas poetarum et dogmata philosophorum : *Ego ... Deus ... docens te utilia.* Docebat non falsa sed vera, non vana et curiosa sed utilia, non ad ostensionem sed aedificationem, non ad gloriam nominis sui sed ad honorem et gloriam Patris aeterni.

vere dignus quem omnes divinae et humanae scientiae doctores imitentur.

O utinam sic summum doctorem Christum doctores omnes imitentur, praedicatores, theologi, legum doctores et qui naturales humanasque scientias et disciplinas docent, ut vera et utilia doceant ad Dei honorem et gloriam! Christus verus et summus omnium utique scientiarum est doctor. Docuit bonam grammaticen, ut bene semper, nunquam male loquamur ; bonam rhetoricen, ut bene ad Deum oremus ; bonam logicen, ut diaboli, mundi et carnis sophismata solvamus veraque a falsis secundum regulas fidei discernamus. Docuit mathematicen iuste vivendi, physicen motuum sanctarum operationum, ethicen omnium virtutum, metaphysicen verae ac divinae theologiae. Sic omnem docebat scientiam. Hinc ait quod *docebat*, nec

42) Is 48, 17-18. Vulg.: *Facta fuisset sicut flumen pax tua*, etc.

tamen dicit quid doceret, sed absolute : *Docebat*, quia omnem scientiam docebat, sicut absolute dicitur *Dominus*, quoniam universorum Dominus est.

Malignantibus Iudaeis Christus explicat doctrinam suam sibi a Deo infusam esse,

VI. Probat autem Dominus doctrinam suam veram ac divinam esse, unde mirantibus Iudaeis respondit : *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Multi mirabantur doctrinae altitudinem et ex impietate male suspicabantur ne forte, cum non humanitus Christus scientiam acquisierit, a daemone esset. Quibus Christus respondet : *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Doctrina, inquit, Ioseph, Moysi, Salomonis omniumque Prophetarum non fuit humanitus acquisita, sed divinitus inspirata, non a diabolo accepta. Cur de me secus suspicamini ? Sic, inquit, et mea doctrina a Deo est, et *si quis voluerit voluntatem eius facere,* qui misit me, hic *cognoscet de doctrina* mea *utrum ex Deo sit.* [43] Ad videndum recteque iudicandum de coloribus requiritur visus integer, ad recte iudicandum de saporibus requiritur gustus incorruptus ; sic ad iudicandum recte de doctrina Christi requiritur incorruptus et sanus cordis et voluntatis affectus, ut animus bene sit erga Deum et divina affectus. Sed, inquit: *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit; qui autem quaerit gloriam eius qui misit me, hic verax est et iniustitia in eo non est.* [44] Sic enim cogniti sunt veri a falsis prophetis, nam veri quaerebant gloriam Dei, falsi autem gloriam propriam. Sed, inquit, vos non cognoscitis doctrinam meam, quia non vultis facere voluntatem eius qui misit me. *Nonne Moyses dedit vobis legem? et nemo ex vobis facit legem.* [45] Non facit autem, non quod non possit aut nesciat, sed quia non vult, ex defectu bonae voluntatis. Quod autem legem transgredimini, hinc elucet quia *me quaeritis interficere,* [46] *hominem qui vera locutus sum vobis.* [47] In lege autem praeceptum est : *Non occides* [48] contra rationem iustitiae, nisi ob iustam causam, servato iuris ordine. Me autem quaeritis interficere ex bono opere : *Unum opus feci, et omnes miramini,* [49] scandalizamini, quia in die sabbati languidum in piscina curavi, [50] hinc me legis transgressorem mortisque reum arbitramini. Sed si ex

sed ad eam capiendam purum affectum necessarium esse.

At Iudaei eam cognoscere nequibant, malo animo affecti contra Christum,

43) Io 7, 17. 44) Ibid. vr. 18. Vulg.: *Qui misit eum... in illo non est.* 45) Ibid. vr. 19.
46) Ibid. vr. 20. 47) Ibid. 8, 40. Vulg.: *Qui veritatem vobis locutus sum,* etc.
48) Ex 20, 13; Dt 5, 17. 49) Io 7, 21. 50) Cf. ibid. 5, 18.

bono opere legem quis transgreditur, ergo per circumcisionem factam in sabbato vos legem transgredimini. Quod si per circumcisionem non solvitur sabbatum, ergo neque per beneficium, opus factum ad gloriam Dei. Vos autem *mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato*.

eo quod in sabbato miracula operabatur.

Ah ! *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.* [51] Considerate, inquit, opera ipsa et videte quodnam sit opus mirabilius et divinius : circumcidere infantem an divino miraculo in ictu oculi sanare hominem ab infirmitate incurabili triginta octo annorum. Quod si patrum auctoritate, qui ante legem praeceperunt circumcisionem, suffulti putatis non violari legem per circumcisionem, quamvis haec contra sabbati observantiam videatur, nec eam Moyses excepit, ergo per opus multo mirabilius et divinius, quod nonnisi divina fieri virtute potest, non solvitur lex Moysi ; Deus enim miraculorum operator supra legem est, dominus et auctor legis.

Christus autem ostendit se dominum sabbati esse.

Sic Dominus probat nihil obstare quin doctrina sua vere divina censenda sit et quod, si de ea Iudaei sinistrum quid suspicabantur, id ex pravitate et malitia cordis eorum proveniebat.

Non crediderunt Iudaei sapientiae Christi eiusque doctrinae aures minime aperuerunt. Utinam nos aperuerimus ! Haec est sapientia Christi, fratres : *Omnia ... sunt nuda et aperta oculis eius*, videt omnia secreta cordium. Revelavit hodie Iudaeis occultas cogitationes : *Cur me quaeritis interficere?* Dico : Credimus nos haec ? Cur igitur in facie Christi peccamus ? Quaenam mulier in oculis viri sui adulterium commisit ? Credimus, fratres, quod Deus est ubique praesens et videt etiam occulta cordium, et peccamus et in oculis eius adulteria committimus ? Praecipua doctrina Christi fuit semper de virtutibus et vitiis, de gloria paradisi et poena inferni. Nos credimus ista et peccamus ? Ah ! fratres, quaenam haec fides est nostra ? Fides utique mortua, quae hominem salvare non potest. [52]

Deum omniscium et ubique praesentem credere debemus eiusque doctrinae aures praebere.

51) Ibid. 7, 23-24. 52) Cf. Iac 2, 14 sqq.

II. ALIA HOMILIA

Iam die festo mediante, ascendit Iesus in templum et docebat; et mirabantur Iudaei. [1]

Christus plenus est sapientia increata et scientia creata,

I. Sicut Deus implevit Beseleel et Ooliab multa magnaque sapientia ad aedificandum tabernaculum Domini, [2] ita Deus Christum ad aedificandum suam Ecclesiam, de qua Ioannes ait: *Vidi civitatem sanctam Ierusalem novam, descendentem de coelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem ... de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* [3] Ad fundandam autem magnam rempublicam multa opus est sapientia. Sic in Christo posuit Deus sicut omnem plenitudinem deitatis increatae et creatae humanitatis, [4] sic omnes thesauros increatae sapientiae et scientiae creatae omnemque scientiam supernaturalium et naturalium rerum. Hae sunt duae tabulae in arca: [5] *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei. [6] Sapientia est prima tabula, scientia vero altera: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius!* [7] Sed Christus omnia novit: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* [8] Hinc solus Christus aperire potuit librum illum *signatum sigillis septem,* quem nulla vel coelestis creatura potuit aperire; [9] hinc scimus quod Christus multo sapientior est omnibus Angelis, sicut sol splendidior cunctis astris.

cognoscens omnia supernaturalia et naturalia,

figuratus per vas Elisei plenum sale ad sanandas aquas Iericho.

Est Christus vas illud novum sale plenum, quod Eliseus posuit in medio aquarum ad sanandas pessimas aquas Iericho. [10] Ecce in sacrosancto Evangelio aquae pessimae, pessimi homines: *Nonne Moyses dedit vobis legem? et nemo ex vobis facit legem. Cur me quaeritis interficere?* [11] Sed sanavit Christus aquas, quia *multi crediderunt in eum,* [12] fide Christus purificavit corda eorum. [13]

II. *Ascendit ... in templum et docebat.* Sed quid docebat? *Ex abundantia ... cordis os loquitur.* [14] Docere non potest qui non habet scien-

1) Io 7, 14-15. 2) Cf. Ex 31, 1-11. 3) Apc 21, 2-3. Vulg.: *Vidi sanctam civitatem,* etc. 4) Ms.: *Divinitatis,* loco: *Humanitatis.* 5) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 6) Col 2, 3. 7) Rom 11, 33. 8) Mt 11, 27. 9) Cf. Apc 5, 19. 10) Cf. 4 Rg 2, 19-22. 11) Io 7, 19-20. Vulg.: *Quid me,* etc. 12) Ibid. vr. 31. 13) Cf. Act 15, 9. 14) Mt 12, 34; Lc 6, 45.

tiam; sed quaenam erat scientia Christi? Plane divina. Ostendit sacrosanctum hodiernum Evangelium Christi scientiam, ait enim: *Est verus qui misit me, quem vos nescitis.* [15] *Ego autem scio eum, et si dixero quia nescio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum,* [16] *quia ab ipso sum et ipse me misit.* [17] Solus Christus potest dicere: *Scio eum,* quia *nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.* [18] Ideo ait: *Scio eum, quem vos nescitis.*

Scientia Christi prorsus divina est.

Neque enim Angeli Deum plene sciunt. Est enim Deus angelicis mentibus quod est oculis nostris coelum. Videmus nos coelum, sed [non] totam magnitudinem eius et immensam molem; ita Angeli vident quidem Deum, sed minime comprehendunt immensam infinitamque magnitudinem Dei. Hinc est quod Seraphim apud Isaiam duabus alis velant caput suum et duabus pedes duabusque volant, [19] quia infinitam Dei magnitudinem comprehendere minime possunt. At Christi mens est sicut sol, cuius radius totum quidem et totaliter penetrat coelum. Ita, inquam, Christus Deum totum et totaliter novit, propterea ait: *Scio eum.*

Angeli non plene Deum comprehendunt, quia immensus.

Ad habendam autem perfectam scientiam alicuius rei scire oportet quidnam sit, qualis sit, qua virtute et potestate praedita et tandem quidnam operatur et agit; uti ad habendam plenam de sole notitiam sciendum est quid est: quod est substantia coelestis, cor coeli et oculus mundi; qualis est: quia lucidus summaque praeditus luce; quid agit: illuminat mundum et naturam fecundat generatque omnia quae gignuntur in mundo. Sic Christus Deum plenissime cognoscit: quid sit, qualis sit et quid agat. Cognoscit plenissime et perfectissime divinam essentiam omnesque proprietates divinae naturae et tandem omnia opera Dei aeterna et temporalia, ad intra et ad extra, ut theologi dicunt; [20] cognoscit et scit omnia quae operatus est, operatur et operabitur Deus, et etiam quae operari unquam potuerit, potest et poterit. Sic ait: *Scio eum, quia ab ipso sum et ipse me misit,* quia Deus sum, unigenitus Dei Filius, Dei virtus et sapientia. [21]

Christus autem plenissime cognoscit divinam essentiam et divinas proprietates utpote Filius Dei naturalis.

15) Io 7, 28. 16) Ibid. 8, 55. Vulg.: *Ego autem novi eum, et si dixero quia non scio eum,* etc. 17) Ibid. 7, 29. 18) Mt 11, 27. 19) Cf. 6, 2. 20) Cf. S. Thomas *Contra Gentiles*, lib. 2, cp. 1; F. Suarez *De Deo Uno et Trino*, tract. 3, lib. 4, cp. 10, n. 5.
21) Cf. 1 Cor 1, 24.

Talem decebat esse Christum, quia missus fuerat ad declaranda oracula Prophetarum et divina mysteria.

III. Cum Deus misit Ezechielem ad praedicandum, ostendit ei secreta coelestia in mirabili visione animalium et rotarum,[22] sed postea librum dedit ei, in quo erant divina secreta, iussitque ut devoraret eum.[23] Sic cum misit Christum ad praedicandum, dedit ei infinitum thesaurum sapientiae suae, maxime vero ut Prophetarum oracula declararet; nam per Isaiam dicitur: *Erit visio* omnis *vobis sicut verba libri signati, quem si dederint* viro *scienti litteras* et *dicent: Lege,* quaeso, *dicet: Non possum, quia signatus est. Et dabitur liber nescienti litteras diceturque ei: Lege,* quaeso, *et dicet: Nescio legere.*[24] Christus autem sicut in synagoga aperuit librum *Isaiae prophetae* legitque et declaravit,[25] sic revelavit divina mysteria quae latebant in oraculis Prophetarum. Sic hodie docebat in templo, divinas utique litteras.

Docebat praecipue poenitentiam de peccatis, cognitionem Dei et divinum amorem.

Sicut autem universa sapientia Salomonis tribus est praecipue libris contenta: *Proverbiis, Ecclesiaste* et *Canticis,* in quorum primo purgat hominem a vitiis, in altero illuminat ad cognoscendum ubinam sita sit vera felicitas, quae finis est hominis, et in tertio perficit unitque Deo humanam mentem tanquam amantissimam sponsam dilectissimo sponso, sic Christus praecipue haec tria docebat: poenitentiam a vitiis et a peccatis, cognitionem Dei et summum erga Deum amorem.

III. ALIA HOMILIA

Iam die festo mediante, ascendit Iesus Ierosolymam in templum et docebat; et mirabantur Iudaei . . . : Quomodo hic litteras, etc.[1]

Christus ascendens in templum in medio hebdomadae mysterium significat.

I. Aureum candelabrum septem lucernis perpetuo ardentibus divinum tabernaculum illuminans in media parte ipsius tabernaculi positum fuit.[2] Sic Deus septem planetas in medio coeli posuit, non in terra neque in coelo empyreo, sed in firmamento. Sol ipse in medio hebdomadis creationis mundi a Deo factus, quarto die, positus fuit

22) Cf. Ez 1, 1 sqq. 23) Cf. ibid. 3, 1-4. 24) 29, 11-12. Vulg.: *Erit vobis visio . . . quem cum dederint . . . respondebit: Non possum, signatus est enim . . . et respondebit: Nescio litteras.* 25) Cf. Lc 4, 16-22.

1) Io 7, 14-15. 2) Cf. Ex 40, 4. 22; Nm 8, 2-3.

in coelo in medio planetarum ;[3] tres enim infra se et tres supra se planetas habet.[4] Christus autem, qui media est in Trinitate persona, medium semper elegit. Non venit in mundum in principio saeculorum cum peccavit Adam, neque in fine cum Deus mundum iudicaturus est, sed in medio. Factus homo sumpsit omnes quattuor humanae naturae status, sed dimidiatos : ex primo sumpsit innocentiam spiritus relinquens carnis immortalitatem; ex secundo sumpsit poenas peccati relinquens culpam ; ex tertio gratiam Spiritus Sancti internam, sed cum externa similitudine peccati ; ex quarto beatitudinem animae relinquens gloriam corporis ; nasci voluit in medio duorum animalium[5] et mori in medio duorum latronum.[6]

Innuit enim et docet fugienda esse extrema vitiorum et media virtutis via incedendum.

Hodie,[7] mediante die festo, quod per hebdomadam durabat, quarto die ascendit ; ascendit autem Ierosolymam, quae est veluti umbilicus terrae in medio mundi sita,[8] in templum quod erat in medio, sed suprema parte civitatis ;[9] in medio autem templi docere et praedicare coepit. Semper Christus medium tenuit nec unquam vel ad dexteram vel ad sinistram declinavit. Virtus consistit in medio :[10] *Non declines* neque *ad dexteram* neque *ad sinistram*,[11] dixit Deus Iosue duci Hebraeorum, qui eos in terram promissionis in figura Christi introduxit per transitum Iordanis.[12] Sic nobis, fratres, fugienda sunt semper extrema vitiorum, sed media virtutis via incedendum est. Homo in mundo inter omnes creaturas medium locum

3) Cf. Gn 1, 14-19. 4) Iuxta Ptolomaei sententiam. Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 24, cp. 17, col. 1352. 5) Cf. Lc 2, 7. Talis est universalis traditio Ecclesiae, forte deducta ex Is 1, 3 et ex Habacuc *Oratione*, vr. 2, iuxta Translat. Septuaginta: *In medio duorum animalium cognosceris*. Cf. Breviarium Rom. in Nativitate Domini ad Mat., respons. 4 lect., et in Circumcisione Domini ad Mat., respons. 6 lect. 6) Cf. Mt 27, 38; Mc 15, 27; Lc 23, 33; Io 19, 18. 7) In margine haec adiecta fuerunt: « Septem lucernae significant omnes scientias in Christo, qui sicut est omnipotens ita est omniscius. Hinc in *Apocalypsi* agnus est habens septem cornua et septem oculos, et apud Zachariam lapis cum septem oculis. Praeterea septem sunt de quibus universa theologia tractat: de Deo, mundo ter maximo, de magni mundi creatione, de homine, parvo mundo, de peccato, quod constituit synagogam satanae, de gratia, quae constituit Ecclesiam Dei, de gloria paradisi et de poena inferni. Haec omnia Christus perfectissime novit.

Significant etiam septem lucernae septuplicem in Christo scientiam: prima ut purus homo naturalis, secunda ut homo sanctus per caritatem et gratiam, tertia ut beatus per gloriam et beatificam visionem, quarta ut rector universi quatenus homo deificatus, quinta quatenus rector Ecclesiae, sexta quatenus rector paradisi et tandem septima quatenus vivus et verus Deus ». 8) Cf. S. Athanasius *De Cruce et Passione Domini*, (P. G. 28, 695); Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 15, cp. 20, col. 811; Dante Alighieri *Purgatorio*, c. 1, vr. 3. 9) Idest in monte Moria. Cf. 2 Par 3, 1. 10) Proverbium, de quo cf. part. 1 huius *Quadragesimalis*, pag. 226, not. 73. 11) Ios 1, 7. Vulg.: *Ne declines*, etc. 12) Cf. ibid. 4, 1 sqq.

tenet ; non enim creatura est pure spiritualis ut Angelus, neque pure corporalis ut animal, sed media ex utrisque composita ; et Deus non Angelus, non animal fieri voluit, sed homo, ut hominem doceret medium virtutis tenere.

Ascendit in templum significans hominem debere non animaliter sed spiritualiter vivere;

II. *Iam die festo mediante, ascendit Iesus in templum.* Homo tenetur Deum colere, vitam angelicam ducere, in coelestibus conversari, non tantum animaliter vivere ; satisfaciat necessitatibus corporis, sed recordetur se animam etiam angelica natura constantem habere. Si dimidium diei expendit pro necessitatibus corporis, expendat et aliam partem pro salute animae. Sic cum Christo ascendet in templum *die festo mediante*, audietque doctrinam Christi, nam : *Ascendit . . . in templum et docebat.*

clamat docens, quia cupit ut omnes doctrinam suam audiant et credant.

Quo autem omnes audiant eius doctrinam, ait quod : *Clamabat . . . Iesus in templo docens.*[13] Clamat Christus docens voce magna, quia cupit ut omnes audiant doctrinam ipsius, *vult* enim *omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire;*[14] nam sine cognitione veritatis non potest homo salvari. *Clamabat . . . docens*, perseverabat clamando. Sic Deus, cum legem dedit in Sinai, alta voce clamavit,[15] quia homines veluti surdastri sunt nec facile audiunt divinam vocem. Hinc Iudaei hodie admirantur quidem Christi doctrinam, non tamen audiunt, non credunt Christo ; hoc est enim audire : perfecto corde credere.

Calumniabantur Iudaei doctrinam Christi, sicut calumniati fuerunt miracula ipsius;

III. *Et mirabantur Iudaei . . .: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit ?*[16] Verba sunt suspicantium ne forte Christi doctrina esset a malo spiritu, nam dicunt ei hodie : *Daemonium habes: quis te quaerit interficere ?*[17] Quare, sicut miracula Christi calumniati sunt Iudaei dicentes : *In Beelzebub principe daemoniorum eicit daemonia,*[18] sic doctrinam etiam eius calumniabantur. Sed sicut doctissima apologia Christus confutavit calumniam miraculorum,[19] sic etiam hodie doctrinam suam vindicat ab eadem calumnia dicens : *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.*[20] Non sequitur, inquit, ex eo quod

13) Io 7, 28. 14) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult . . . venire.* 15) Cf. Ex 19, 16 sqq. 16) Io 7, 15. 17) Ibid. vr. 20. 18) Lc 11, 15. 19) Cf. ibid. vrr. 17-26. 20) Io 7, 16.

litteras non didicerim, quod doctrina mea a malo spiritu sit, quoniam a Deo est, sicut sapientia Salomonis [21] et doctrina omnium Prophetarum, [22] quae fuit divinitus infusa, non humanitus acquisita. Si quis autem experiri voluerit utrum doctrina mea a Deo sit, necesse est ut bono animo bonaque voluntate praeditus sit, ut faciat voluntatem Dei, nam gustus corruptus non bene iudicat de saporibus, sicut nec caecutiens rectum iudicium facere potest de coloribus aut surdaster de sonis. Ideo, inquit, vos non cognoscitis doctrinam meam esse a Deo, quia mala voluntate praediti et malo animo affecti estis, contra divinam voluntatem et legem quaerentes me interficere.

Christus autem sicut vindicaverat miracula, sic nunc vindicat ab eadem calumnia doctrinam suam.

Deinde ex discrimine quod est inter veros et falsos prophetas ostendit Dominus doctrinam suam a Deo esse. Nam sancti quidem et veri Prophetae, ut Moyses, Elias et alii, non quaerebant gloriam propriam, sed gloriam Dei ; prophetae vero falsi non gloriam Dei, sed gloriam et honorem proprium. Hoc est quod ait : *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit; qui autem quaerit gloriam eius, qui misit me, hic verax est et iniustitia in eo non est.* [23] Si, inquit, mea doctrina non esset a Deo, non quaererem gloriam Dei, sed gloriam propriam, mundanos, inquam, honores ac dignitates. At ego non quaero gloriam propriam, sed gloriam Dei. Ergo doctrina mea est ab eo cuius gloriam quaero. Sed quia, inquit, vos habetis corruptum gustum animae, ideo de doctrina mea non bene iudicatis : *Nonne Moyses dedit vobis legem? et nemo ex vobis facit legem. Cur me quaeritis interficere?* [24]

ostendens eam vere a Deo esse, quia gloriam Dei unice quaerebat.

IV. Habemus igitur in sacrosancto hodierno Evangelio de Christi doctrina duo : quod magna et mirabilis est, nam : *Mirabantur Iudaei,* et quod a Deo est : *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me,* sicut sapientia Salomonis magna quidem fuit et a Deo fuit. Voluit autem Deus Christum mirabili sapientia praeditum esse ut nos crederemus ei, sapientibus enim viris facile praestatur fides eorumque doctrina recipitur ; deinde ut credentes Christo vere sapientes efficeremur, nam : *Nisi credideritis, non intelligetis.* [25] Cupiens autem

Doctrina Christi magna et mirabilis est.

21) Cf. 3 Rg 3, 5-13; 2 Par 1, 7-12. 22) Cf. Act 3, 18; 1 Petr 1, 10-12; 2 Petr 1, 21. 23) Io 7, 18. Vulg.: *Qui misit eum . . . in illo non est.* 24) Ibid. vrr. 19-20. Vulg.: *Quid me,* etc. 25) Is 7, 9. Ex Translat. Septuaginta.

Christus nos vere sapientes et intelligentes esse, probat hodie veritatem doctrinae suae. Calumniabantur Iudaei Christi doctrinam tanquam mosaicae legi contrariam, eo quod miracula operabatur in sabbato, maxime vero quia in die sabbati sanavit languidum in piscina ;[26] hoc est quod ait : *Unum opus feci et omnes miramini... quia totum hominem sanum feci in sabbato.*[27] Christus autem hanc eorum calumniam confutat : An non, inquit, circumciditur homo in sabbato ? Si per circumcisionem non solvitur sabbatum, cur solvetur per operationem miraculorum ? Cur igitur *mihi indignamini, quia totum hominem salvum feci in sabbato ?* Ah ! *Nolite iudicare secundum faciem, sed rectum iudicium iudicate.*[28]

Haec est vera sapientia: Deum cognoscere et diligere eiusque legem servare.

Probat autem Christus veritatem doctrinae suae, ut per eam nos credentes vere sapientes et intelligentes efficiamur, sapienti Christo quam similes, sicut stellae soli in coelo. Nos quidem, fratres, Christi fidem profitemur, sequimur Christi doctrinam ; videamus an vere sapientes facti sumus. De Christo hodie haec legimus : quod *ascendit in templum* in die festo *et docebat;* quod doctrinam suam et quicquid erat in eo agnoscebat a Deo ; quod non quaerebat gloriam suam, sed gloriam Dei ; quod cupiebat ut omnes facerent voluntatem Dei divinamque legem servarent. Haec profecto vera est sapientia : Deum cognoscere: *Scio eum, quia ab ipso sum et ipse me misit;*[29] Deum colere, hoc est in templum in die festo ascendere, Deum diligere, omnia bona a Deo cognoscere, divinam legem servare et Dei gloriam pro viribus quaerere.

Designatur Christus in S. Scriptura. Aureum candelabrum Zachariae Christum designabat,

V. Zacharias propheta 4 capite suarum *Revelationum* refert se vidisse aureum candelabrum cum septem lucernis.[30] Angelus autem declarans ei divinum hieroglyphicum dixit : *Hoc est verbum Domini ad Zorobabel...: Non in exercitu nec in robore, sed in spiritu Domini.*[31] Christus autem procul dubio Verbum Domini est, *Verbum caro factum.*[32] Ipse ergo est candelabrum cum septem lucernis ; qui etiam apud eundem Prophetam lapis est cum septem oculis,[33] et in *Apocalypsi* stat in medio septem candelabrorum aureorum et

26) Cf. Io 5, 1-16. 27) Ibid. 7, 21-23. 28) Ibid. vr. 24. Vulg.: *Iustum iudicium*, etc.
29) Ibid. vr. 29. 30) Cf. vr. 2. 31) Ibid. vr. 6. Vulg.: *In spiritu meo.*
32) Io 1, 14. 33) Cf. 3, 9.

in medio septem stellarum ; [34] est etiam agnus cum septem oculis septemque cornibus et liber septem sigillis signatus, [35] nam eius sapientia incomprehensibilis est. Hinc mirantur Iudaei : *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Significat aureum istud candelabrum sapientiam Christi, quae aurum est; infinitus thesaurus est sapientia, nec ullo terreno thesauro comparanda. [36] Habet autem septem lucernas, nam Christus vel consideratur quatenus homo, vel quatenus Deus. Si quatenus homo : vel ut homo simpliciter, vel ut homo deificatus. Ut homo simpliciter consideratur in triplici statu : naturae, gratiae et gloriae ; ut homo deificatus : ut est caput naturae, gratiae et gloriae, rex mundi, pontifex Ecclesiae et princeps ac imperator paradisi, monarcha universi. Tandem consideratur ut verus Deus. Septem ergo modis consideratur Christus et secundum unumquenque competit ei magna, mirabilis et plane divina sapientia, vere incomprehensibilis.

et specialiter eius incomprehensibilem sapientiam quatenus Deus est et quatenus homo.

Praeterea, in universo septem sunt quae cadunt sub cognitione intellectus : Deus, qui mundus est ter maximus, μακρόκοσμος ; [37] magnus mundus, omnia quae coeli ambitu et peripheria continentur, sive visibilia sive invisibilia sint ; tertio, homo quoad utranque substantiam, cum omnibus suis potentiis, viribus et actibus operibusque vel internis vel externis, universaque humana respublica ; quarto, Ecclesia Dei et omnia quae ad ipsam spectant : Sacramenta, Scripturae, virtutes, dona et gratiae Spiritus Sancti ; quinto, *synagoga satanae* [38] cum omnibus, quae ad ipsam spectant : vitiis, peccatis, maleficiis, impietatibus spiritualibus et corporalibus, internis et externis ; sexto, gloria paradisi felicitasque aeterna omnium electorum Dei, in coelesti regno ; et tandem, septimo, poena inferni et cruciatus perpetui ac infiniti omnium reproborum in igne ἀσβέστῳ, [39] inextinguibili, in gehenna. Omnia autem haec Christus et singula adamussim perfectissime novit usque ad minima quaeque ; hinc aureum candelabrum est cum septem lucernis ardentibus.

Christus enim perfectissime novit omnia quae in universo cadunt sub cognitione intellectus.

VI. Sic voluit Christus [habere] omnes thesauros sapientiae et scientiae Dei simulque omnes thesauros caritatis, sanctitatis et boni-

34) Cf. 1, 12-16. 35) Cf. ibid. 5, 2-6. 36) Cf. Sap 7, 7-14. 37) Ms.: *Macrocosmos.* 38) Apc 2, 9; 3, 9. 39) Cf. Mt 3, 12; Mc 9, 42-44; Lc 3, 17. Ms.: *Asbesto.*

Significat etiam eius infinitam caritatem, qua motus hodie ascendit in templum ad Patrem adorandum,

tatis divinae. Voluit Christus externis, corporalibus mundanisque bonis pauperrimus esse, internis vero, spiritualibus et divinis supra omnes creaturas ditissimus; ut anima ipsius candelabrum esset non ligneum, sed aureum, semper ardens et semper lucens, sicut de Ioanne Christus dixit quod *erat lucerna ardens et lucens:* [40] ardens flamma caritatis et lucens splendore claritatis in doctrina et praedicatione veritatis. Sic Christus ostenditur hodie *ardens et lucens:* ardens caritate divina; hinc ascendit in templum gemina caritate inflammatus, ut Patrem Deum adoraret, veneraretur et coleret divinum exhibendo honorem, et ut hominibus praedicaret salutemque afferret.

parvipendens etiam vitae periculum.

Quoniam vero *perfecta caritas foras mittit timorem,* [41] venit in templum absque ullo timore inimicorum, qui eum interficere et cupiebant et quaerebant. [42] Sic Christus ex ardore caritatis parvipendit vitae pericula. Candelabrum ardens et lucens doctrina et praedicatione veritatis: *Et docebat, et mirabantur Iudaei,* mirabantur doctrinam: *Quomodo... litteras scit, cum non didicerit?* Et mirabantur factum: *Nonne hic est quem quaerunt* Iudaei *interficere?... Ecce palam loquitur et nihil ei dicunt. Nunquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus,* [43] verus Messias in Lege et Prophetis promissus?

Lampas magna candelabri illius Christum significat, lucernae autem minores fideles.

VII. Si quis autem diligentius et oculatius aureum hoc candelabrum contempletur, videbit quod in vertice unam tantum magnam lampadem habebat, et iuxta vel supra eam erant septem lucernae, quarum unaquaeque habebat duo infusoria, per quae a magna lampade infundebatur oleum in lucernas minores. Iuxta candelabrum autem erant duae olivae oleis plenae, ita ut triticeae spicae viderentur, quae oleum purissimum et auro simillimum infundebant in candelabrum. [44] Magna autem lampas Christus est, caput Ecclesiae, lucernae autem fideles. Plena est oleo lampas magna: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis,* plenum caritatis et scientiae, *et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* [45] Hinc est quod magna lampas in minores lucernas oleum infundebat per duo infusoria, nam infundit in intellectum claram cognitionem per illuminationem fidei, et in voluntatem ferventem amorem per caritatis ardorem. Duae autem

40) Io 5, 35. 41) 1 Io 4, 18. 42) Cf. Io 7, 1. 43) Ibid. vrr. 25-26.
44) Cf. Zach 4, 11-12. 45) Io 1, 14-16.

olivae sunt Moyses et Elias, qui cum Christo in gloriosa transfiguratione visi sunt, [46] quando aureum istud candelabrum visum fuit *ardens et lucens*. Duas enim olivas interpretatur Angelus duos filios olei, idest oleo sacro unctos, duos principes assistentes Domino *universae terrae*, idest ministrantes ei. [47] Quare candelabrum significat Dominum *universae terrae*, idest Christum. Lex autem et Prophetae testimonium perhibent Christo plenitudinis gratiae et veritatis, quod super ipsum requiescit *Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus*, [48] quod ipse est *Sol iustitiae*, [49] quod in ipso benedicendae erant omnes gentes. [50]

duae olivae legem et Prophetas de Christo testimonium perhibentes.

Nos igitur, ut Christo similes simus, oportet esse lucernas ardentes et lucentes fide et caritate, cognitione et amore Dei; ut cum Christo ex caritate ascendamus in templum ad diem festum celebrandum et fidei confessione ibi luceamus; sed ascendamus *die festo mediante*. Constabat tunc dies festus, sicut et nunc, partim quidem religione spirituali partim vero mundana ambitione et fastu, in pompis, epulis, ludis et similibus vanitatibus. Hanc autem mixturam non diligit Dominus virtutum et vitiorum, quae vita est Samaritanorum, qui et verum Deum et idola Gentium, falsos deos colebant, [51] et vita Israelitarum, qui simul Deum et Baal colere volebant. [52] Dimidiare igitur oportet hunc diem et separare divinam religionem ab omni mundana ambitione et vanitate. Sic enim *lucerna ardens et lucens* tenebras fugat, si quicunque vera fide et caritate praeditus est, vera Dei cognitione et amore plenus omne vitium et occasiones etiam vitiorum malorumque omnium declinat et fugit.

Nos igitur oportet esse lucernas Christo similes, lucentes fide et ardentes caritate.

VIII. Quoniam vero Christus candelabrum est *ardens et lucens*, gratia et veritate plenus, caritate et sapientia, hodie quatenus ardens ascendit in templum et docet. Ascendit in templum ex caritate Dei, docet ex caritate proximi, quaerens populi salutem. Hoc autem facto suo docet Christus, quod Deus supra vitam nostram diligendus nobis est, nam cum vitae periculo Christus propter divinum honorem ascendit in templum. Sic omnes sancti Martyres Deum supra seipsos dilexerunt, vitas enim suas propter Deum prodegerunt. Deinde quod

Exemplo suo Christus docet Deum supra vitam nostram diligendum esse

46) Cf. Mt 7, 3; Mc 9, 3; Lc 9, 30. 47) Cf. Zach 4, 14. 48) Is 11, 2-3.
49) Mal 4, 2. 50) Cf. Gal 3, 8-17. 51) Cf. 4 Rg 17, 1 sqq. 52) Cf. 3 Rg 18, 16-21.

et proximum etiam, praesertim cui ex officio incumbit salutem animarum quaerere.

proximus etiam nobis diligendus est, ut eum, in quo ipsi possumus et ille eget, iuvemus et salutem animae ipsius quaeramus etiam cum vitae periculo aliquando; maxime vero hoc agendum est cui ex pastorali officio incumbit. Sic Christus cum vitae periculo populum docebat in templo et *clamabat... docens et dicens: Et me scitis et unde sim scitis,* et *est verus qui misit me, quem vos nescitis.* [53]

Verbis etiam docet omnia bona nostra a Deo recognoscenda esse,

Sapientiae autem Christi, qua candelabrum lucens est, in hodierno Evangelio multa documenta habemus. Primum, quod omnia bona nostra recognoscenda sunt a Deo: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me,* sicut lumen lunae et coeli universi solis lumen est: *Quid... habes,* homo, *quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* [54]

animum purgandum a pravis affectibus,

Secundum, quod ad cognoscenda divina mysteria purgandus est animus a pravis affectibus: *Si quis voluerit voluntatem eius facere, qui misit me,* hic *cognoscet de doctrina* mea *utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar.* [55] Oculus humore peccante infectus non potest videre et de coloribus rectum iudicium facere, sicut nec cum ocularibus coloratis, viridibus, rubeis, violaceis, flavis et similibus non possumus rerum imagines ut sunt videre. Affectus nimius excaecat oculos mentis, hinc Cupido bendatus [55a] oculis pingitur; [56] nubes impediunt ne clarum coelum videatur nec sol in meridie.

gloriam Dei non propriam esse quaerendam,

Tertium est, quod semper quaerenda est gloria Dei, non propria, si volumus vitam ducere sine peccato: *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit; qui autem quaerit gloriam eius, qui misit me, hic verax est et iniustitia in illo non est.* Ambitio enim animum maculat; haec angelos maculavit in coelesti paradiso [57] et homines in terrestri; [58] haec omnia opera bona inficit Deoque ingrata efficit et merito omni destituit.

divinam legem semper servandam,

Quartum est, quod servanda semper est divina lex: *Nonne Moyses dedit vobis legem? et nemo ex vobis facit legem. Cur me quaeritis interficere?* Sic nunquam transgredienda est divina lex in aliquo, sed Deo semper et in omnibus obediendum est.

53) Io 7, 28. 54) 1 Cor 4, 7. Vulg.: *Si autem accepisti,* etc. 55) Io 7, 16-17. Vr. illum in istum inseruit. 55a) Cf. Du Gange *Lexicum Mediae et Infimae Latinitatis* sub hac voce. 56) Cf. Natalis Comes *Mythologiae,* lib. 4, cp. 14, pag. 344-350. 57) Cf. Is 14, 12-15; S. Thomas *S. Theolog.,* 1a, q. 63, a. 2-3. 58) Cf. Gn 3, 1-7.

Quintum, quod ex bono opere facto ad Dei gloriam et [59] proximi utilitatem non est sumendum scandalum ; hoc est quod ait : *Unum opus feci et omnes miramini . . . mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato ?* Scandalum enim sumebant Iudaei quoniam Christus miracula operabatur in sabbato, quasi non liceret sabbatis benefacere. [60]

nunquam scandalum sumendum ex bono opere facto,

Sextum est, quod licet sabbatis, hoc est diebus festis, benefacere ad Dei gloriam et utilitatem proximi : *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem . . . et in sabbato circumciditis hominem. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi,* cur *mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato ?* [61] Licet ergo in sabbatis benefacere.

quod certe facere licet etiam diebus festis,

Septimum est, quod fugienda sunt iudicia temeraria : *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate,* idest : Iudicate non secundum apparentiam, sed secundum veritatem rerum. Larvatum hominem ne, mox visa turpi larva, dicatis turpem esse et deformem, sed larvam prius auferte et tunc proferte iudicium ; non est enim proferendum iudicium, nisi res certa vel scientia vel experientia cognita sit, caecus nanque de coloribus et surdus de vocibus ac sonis iudicare non potest. Sicut autem non est iudicandus homo de sapientia vel iustitia, scientia vel arte ex vestitu vel statura aut corporis forma et figura, sic, inquit Christus : *Nolite iudicare secundum faciem,* nam aliquando rex mutato regali habitu incedit, sicut rex Israel mutato habitu descendit in proelium. [62]

fugienda iudicia temeraria.

Septem autem haec documenta septem sunt lumina divini huius candelabri. Nos felices, si divina haec documenta memoria retinentes, opere compleamus vel saltem satagamus !

IX. *Iam die festo mediante, ascendit Iesus in templum et docebat.* De Christi doctrina et sapientia tria docet hodie Ioannes. Primo, mirabilem magnitudinem et excellentiam: *Mirabantur Iudaei . . . Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit ?* Secundo, originem: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me;* et modum ac viam aperit ad cognoscendam originem doctrinae Christi, quod vere a Deo sit,

Tria docet hodiernum Evangelium de Christi sapientia et doctrina: excellentiam, originem, efficaciam.

59) Ms.: *Ex.* 60) Cf. Mt 12, 12; Mc 3, 4; Lc 6, 9. 61) Io 7, 22-23.
62) Cf. 3 Rg 22, 30.

sicut sapientia Salomonis et doctrina omnium Prophetarum : *Si quis voluerit voluntatem eius facere, qui misit me, hic cognoscet de doctrina mea utrum ex Deo sit.* Tertio, efficaciam et fructum : *De turba autem multi crediderunt in eum.* [63] Sic sanatae sunt aquae Iericho. [64]

Deus tanta sapientia animam Christi ditavit ad ostendendam potentiam suam.

Quaerendum autem nobis est ad quid Deus talem tantamque doctrinam in Christi anima collocarit, ut in ea reposuerit omnes thesauros sapientiae et scientiae suae. Dicendum quod ob multa. Primo quidem, ad ostendendam potentiam suam. Sapientiam menti humanae infundere sine mediis et instrumentis sensuum impossibile est non solum hominibus, sed etiam Angelis. Solus Deus hoc potest. Hinc sapientiam infudit animae Christi in primo instanti suae creationis et conceptionis absque ullo sensuum ministerio, sicut Salomoni infudit ; infinitam autem potentiam ostendit Deus, quoniam infinitam contulit sapientiam ; hominem fecit scientia et sapientia Deo per omnia aequalem : *In quo sunt omnes thesauri,* etc. [65]

bonitatem et liberalitatem;

Secundo, ad ostendendam bonitatem suam infinitamque animi benignitatem et liberalitatem, qua voluit hominem sibi aequalem scientia et sapientia facere ; ad repellendam etiam antiqui serpentis calumniam, qua primis parentibus persuasit quod ex invidia Deus prohibuerat esum ligni scientiae boni et mali : *Scit enim Deus quod . . . quocunque die comederitis ex eo . . . eritis sicut dii scientes bonum et malum.* [66]

ad perficiendum intellectum Christi omni scientia;

Tertio, ad perficiendum intellectum Christi. Humanus intellectus capax est infinitae scientiae, potest animus noster infinita cognoscere, sicut infinita diligere et desiderare. Quare voluit Deus animum Christi omni scientia, quam desiderare poterat, abundantissime implere; hoc est quod ait : *Verbum caro factum est . . . plenum gratiae et veritatis,* idest scientiae, quae *veritas* dicitur, quoniam scientiam necesse est veram esse rei cognitionem. Sic Christi animus plenus fuit omni scientia, [67] omnium rerum cognitione, quam homo suapte natura potest desiderare et appetere.

ad utilitatem quoque nostram,

Quarto, ad utilitatem nostram, quam Isaias expressit dicens: *Dominus . . . iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* [68] Iudex autem, legifer et rex sapientia indiget. Hinc

63) Io 7, 31. 64) Cf. 4 Rg 2, 19-22. 65) Col 2, 3. 66) Gn 3, 5.
67) Ms.: *Scientiam.* 68) 33, 22.

Deus sapientiam contulit Moysi [69] et Salomoni; Iosepho etiam ad salvandum mundum a morte venturae famis divinam contulit sapientiam, unde dictus est *salvator mundi.* [70] Sic ait : *Ipse salvabit nos.* Dedit sapientiam Christo tanquam iudici, ut eum timeremus, sicut omnis populus timuit Salomonem, audito iudicio quod fecit de duabus meretricibus ; [71] tanquam legislatori et magistro, ut ei crederemus, nam oportet addiscentem credere; tanquam regi, ut ei obediremus. Ob nostram igitur utilitatem Deus talem tantamque Christo sapientiam contulit, ut tanquam sol nos illuminaret, tanquam aureum candelabrum in ecclesiae tabernaculo perpetuo diu noctuque arderet, tanquam vas plenum sale pessimas aquas Iericho sanaret. Fides nonnisi scientiae adhibetur, ei enim credimus quem scire arbitramur id quod dicit ; sic sapienti medico credit infirmus quem existimat plurimum in sua professione valere ; sic discipulus credit magistro, quoniam eum scire existimat. Ut igitur nos Christo plena fide crederemus, Deus contulit ei infinitum thesaurum sapientiae et scientiae.

idest ut Christum iudicem timeremus,

cique tanquam legislatori et magistro plena fide crederemus.

X. *Hunc scimus unde sit; Christus autem cum venerit,* etc. *Et me scitis et unde sim scitis . . . Sed est verus qui misit me, quem vos nescitis. Ego* autem *scio eum.* [72] De duplici scientia agit sacrosanctum hodiernum Evangelium : de scientia Christi : *Ego scio eum ;* et de scientia mundi : *Hunc scimus unde sit.* Quare est veluti mare aeneum plenum aquis copiosissimis [73] scientia Christi, mare maximum est, sed eius aquae dulcissimae et optimae sunt ; scientia autem mundi mare parvum est, sed eius aquae sunt amarissimae ac pessimae : *Sapientes sunt ut faciant malum, bene autem agere nescierunt.* [74] Scientia mundi *inimica est Dei.* [75] Invenit argumenta contra Christum : *Hunc scimus unde sit; Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit;* ergo, inquiunt, Christus non est Christus. Sic philosophi paralogizantes nunc mundi creationem negarunt, nunc divinam providentiam, nunc animorum immortalitatem, nunc etiam Deum ipsum : *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* [76] Sic, ut plurimum, gentilis philosophia contraria

Agit hodiernum Evangelium de duplici scientia: Christi et mundi.

Scientia mundi est doctrina satanae; doctrina autem Christi est ipsa divina veritas.

69) Cf. Ex 4, 12. 70) Cf. Gn 41, 15 sqq. 71) Cf. 3 Rg 3, 16 sqq.
72) Io 7, 27-29. 73) Cf. 3 Rg 7, 23-26; 2 Par 4, 2-5. 74) Ier 4, 22. Vulg.: *Ut faciant mala, bene autem facere,* etc. 75) Rom 8, 7. Vulg.: *Deo.* 76) Ps 52, 1.

est christianae divinaeque theologiae. Scientia mundi doctrina est satanae, sicut sapientia Christi Dei doctrina est : *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me;* et omnes homines vel sunt discipuli et scholares Christi, vel satanae.

Si ergo discipuli Christi esse volumus, in schola Evangelii semper nos proficere oportet.

Nos, quatenus christiani et fideles, Christi discipuli sumus. Sed videamus quidnam in Christi schola profecerimus. Evangelium Christi vera et optima grammatica est, docens bene loqui ; rhetorica, docens [77] bene orare ; logica, docens discernere vera a falsis bona. Sic omnem docet scientiam. Videamus quidnam profecerimus in hac schola. Nam in hora mortis examinandi sumus : si vere docti inventi fuerimus, magno cum honore recipiemus doctoratus insignia, gradum et dignitatem; alioquin magna cum confusione indigni declarabimur doctoratus honore. Studeamus igitur et sacrae huic doctrinae operam demus. Satagamus in dies singulos semper magis magisque proficere in hac schola Christi ut, cum venerit hora examinis, mereamur recipere honorem, non confusionem : *Qui... docti sunt fulgebunt sicut splendor firmamenti;* [78] *Erunt omnes docibiles Dei,* [79] omnes docti a Deo. [80]

Deus vult nos omnes vere sapientes esse in schola Christi;

XI. Cupit nos omnes Deus vere sapientes esse tanquam optimos Christi discipulos. Hoc est quod iussit in lege ne Hebraei suillam carnem gustarent, [81] quoniam sus insipientiae hieroglyphicum est, unde ortum fuit proverbium illud : « Sus Minervam », sive : « Sus cum Minerva certamen suscipit ». [82] Nullum enim animal est indocilius ac disciplinae incapacius, nullum magis brutum; unde optime dixisse videntur Cicero libro 5 *De Finibus,* [83] Varro libro 2 *De Re Rustica* [84] et Plinius libro 8, cp. 51, [85] quod anima pro sale data est ei ad servandam carnem ne putresceret. Comedere autem carnem suillam est ignorantia et insipientia delectari, inscitiam affectare. Deus autem ait : *Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent!* [86] Salomon Deo rem gratissimam fecit postulans sapientiam et scientiam salutarem, nam haec causa est omnium bonorum.

hoc mystice significavit interdicendo Hebraeis esum carnis suillae, quia sus figura est insipientiae;

77) Ms.: *Loquens*, loco: *Docens*. 78) Dn 12, 3. Vulg.: *Qui... docti fuerint... quasi splendor*, etc. 79) Io 6, 45. 80) Cf. Is 54, 13. 81) Cf. Lv 11, 7; Dt 14, 8. 82) Cf. Cicero *Epist.*, lib. 9, epist. 18, vol. 3, col. 150; *Acad.*, lib. 1, vol. 4, col. 8; Festus *De Verborum Significatione*, pag. 120, apud Paulum Diaconum, (P. L. 95, 1667); P. Mannuccius *Adagia*, col. 65-66. 83) Non in *De Finibus*, sed in *De Natura Deorum* hoc invenitur, lib. 2, vol. 4, col. 328. 84) Cp. 4, pag. 85. 85) *Hist. Nat.*, pag. 93. 86) Dt 32, 29.

Sciendum autem quod etiam vulpes prohibuit Deus ne comederentur, nam neque ruminant neque findunt ungulas. [87] Sapientia carnis Deo minime placet, qua multi sapientes sunt ut faciant malum, ut Ieremias ait: *Stultus populus meus me non cognovit; filii insipientes sunt et vecordes; sapientes sunt ut faciant malum, bene autem agere nescierunt.* [88] Imo Paulus ait quod *sapientia carnis inimica est Deo,* [89] et: *Sapientia... huius mundi stultitia est apud Deum;* [90] et Divus Iacobus ait quod sapientia, quae non est desursum, *terrena* est, *animalis* et *diabolica,* [91] mortiferum venenum est, nam Paulus ait quod *prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita.* [92] Est autem prudentia spiritus de qua Dominus ait: *Estote... prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae.* [93] Sed *filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* [94] Terra Philisthaeorum multis abundabat vulpibus, unde Samson trecentas cepit vulpes ad comburendas segetes illorum; [95] sic mundus vulpibus abundat. Sapientia carnis et astutia multi sunt Archilochi vulpe callidissima multo callidiores. [96]

vulpinam etiam prohibuit, quia vulpis figura est astutiae mundanae.

IV. ALIA HOMILIA

Iam die festo mediante, ascendit Iesus in templum et docebat; et mirabantur Iudaei... Quomodo hic litteras scit, etc. [1]

I. Sicut regina Saba admirata fuit usque ad stuporem sapientiam Salomonis, [2] sic hodie synagoga admiratur sapientiam Christi. De sapientia Salomonis duo in Sacris Litteris demonstrantur: magnitudo mirabilis et origo divina, quoniam fuit non humanitus acquisita, sed divinitus infusa. [3] Similiter in hodierno Evangelio de Christi sapientia duo haec demonstrantur: magnitudo mirabilis: *Docebat, et*

Ostenditur in hodierno Evangelio magnitudo mirabilis et origo divina sapientiae Christi

87) Cf. Lv 11, 26. 88) 4, 22. 89) Rom 8, 7. 90) 1 Cor 3, 19. 91) 3, 15. 92) Rom 8, 6. 93) Mt 10, 16. 94) Lc 16, 8. 95) Cf. Idc 15, 4-5.
96) Archilochus in suis *Apologis* vulpem ubique callidissimam introduxit; hinc adagium: « Archilochi vulpes » in eos dicitur qui pro quavis re consilium expeditissime capiunt. P. Mannuccius *Adagia*, col. 1988.

1) Io 7, 14-15. 2) Cf. 3 Rg 10, 1-13; 2 Par 9, 1-12. 3) Cf. 3 Rg 3, 5-12; 2 Par 1, 7-12.

mirabantur Iudaei, et origo divina: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* [4]

Sapientiae Salomonis magnitudinem ostendit Divina Scriptura referens quod cognovit omnes rerum naturales proprietates, omnia naturae arcana atque secreta, quod sapientior fuit cunctis sapientissimis philosophis; [5] sed magnitudinem sapientiae Christi ostendit Evangelium tacendo, ait enim quod *docebat et mirabantur*, sed non dicit quidnam doceret, significans quod ineffabilis est sapientia Christi.

vere ineffabilis.

Saepe quidem de Christi sapientia loquuntur Divinae Litterae. Per Ieremiam ait Deus: *Suscitabo David germen iustum, et regnabit rex et sapiens erit*, [6] ubi appellatur Christus *filius David*, similis Salomoni, quoniam Salomon figura et imago fuit Christi: *Ecce plus quam Salomon hic.* [7] Per Isaiam ait: *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde.* [8] Sed quid est quod ait, cum de sapientia Christi loquatur: *Exaltabitur ... elevabitur et sublimis erit valde?* Ad ostendendam magnitudinem et excellentiam sapientiae Christi.

Saepe Divina Scriptura loquitur de excellentia sapientiae Christi.

II. Non est capax scientiae nisi intellectus. Est autem intellectus triplex: humanus, angelicus et divinus; hac nanque tres naturae praeditae sunt intellectu. Multa scientia praeditus est intellectus humanus, magna rerum cognitione, ut patet in scientiis rationalibus: grammatica linguarumque peritia, rhetorica, poetica, logica, in artibus liberalibus post mechanicas, in scientiis mathematicis, naturalibus, moralibus, metaphysicis et theologicis disciplinis. Hae enim sunt septem partes ac veluti septem genera humanae scientiae. Supra humanam vero scientiam est angelica multo maior, nam intellectus humanus in hoc statu est instar oculi nycticoracis, angelicus autem oculus est aquilinus. Minimus Angelorum maiori scientia et sapientia praeditus est quam omnes simul homines. Scientia humana est claritas aeris, sed angelica claritas purissimi coeli. Supra autem angelicam sapientiam divina reperitur infinitis gradibus excellentior atque perfectior. Angelica sapientia luna plena est, sed divina lux est solaris.

Multa scientia pollet humanus intellectus,

maiore intellectus angelicus,

sed maxima et infinite perfectior est scientia divini intellectus.

Ait ergo: *Ecce intelliget servus meus ... sapiens erit;* sed quanta

4) Io 7, 16. 5) Cf. 3 Rg 4, 29 sqq. 6) 23, 5. 7) Mt 12, 42; Lc 11, 31.
8) 52, 13.

praeditus sapientia? *Exaltabitur* super omnes homines, *elevabitur* super omnes Angelos, *sublimis erit valde*, aequalis in sapientia Deo. Hoc est quod Ioannes in *Apocalypsi* ostendit quod nulla creatura reperta est in coelo aut in terra quae posset aperire librum divinae sapientiae nec legere eum, nisi solus Christus. [9] Sic ait: *Intelliget... exaltabitur... elevabitur... sublimis erit valde.*

Triplici hac scientia praeditus est Christus, quia ipse est sapientia Dei,

Hinc idem Isaias ait: *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis.* [10] Quid est *admirabilis, consiliarius,* nisi admirabili sapientia praeditus? Sed quali et quanta? *Deus, fortis,* ipsamet Dei omnipotentis sapientia et scientia. Propterea idem Vates [ait] quod sciet *reprobare malum et eligere bonum,* [11] quod solius Dei est: *Eritis sicut dii scientes bonum et malum.* [12] De eadem autem sapientia Christi verba faciens ait: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis.* [13] Super eum requiescet Spiritus divinus, verus Deus, qui *fons* est omnis *sapientiae* [14] et scientiae.

sicut vaticinatus fuerat Isaias

Sic etiam Paulus magnitudinem sapientiae Christi ostendit, dum eum *Dei virtutem et... sapientiam* appellat, [15] dum ait quod in eo *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei; [16] de qua iam alibi dixerat: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius!* [17]

et Divus Paulus ostendit.

Merito igitur mirabantur Iudaei audientes divinam Christi doctrinam: *Ascendit... in templum et docebat; et mirabantur Iudaei.* Quibus verbis ostenditur Christus non solum sapiens, sed etiam *fons sapientiae*, sicut sol non solum lucidus est, sed etiam fons lucis. *Docebat:* hic sapientiam omnem docuit: *Plenum gratiae et veritatis... et de plenitudine eius nos omnes accepimus;* [18] hic docuit omnes Angelos in coelo, omnes homines in terra: *Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* [19] nam ipse est qui dat omnibus lumen intellectus; hic docuit omnes Prophetas, omnes theologos, omnes etiam philosophos. Si qua veritas reperitur in universa philosophia vel peripatetica vel platonica, aut antiquiori: pythagorica, zoroastrica, trismegistica, ab hoc emanavit fonte. Sicut enim totius

Et hodie revera ostenditur Christus non tantum sapiens, sed etiam *fons sapientiae*,

qui docuit Angelos et homines omnem scientiam,

9) Cf. 5, 2-5. 10) 9, 6. 11) 7, 15. 12) Gn 3, 5. 13) Is 11, 2. 14) Eccli 1, 5. 15) 1 Cor 1, 24. 16) Col 2, 3. 17) Rom 11, 33. 18) Io 1, 14-16. 19) Ibid. vr. 9.

quia fons est totius luminis spiritualis et intellectualis.

luminis corporalis unus est fons, sol corporeus, ita totius luminis spiritualis et intellectualis sol hic divinus est fons unicus ac singularis : *Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Fons quidem singularis est theologiae ; sed a theologia emanavit philosophia, multo enim antiquior est theologia quam philosophia. Moyses theologus fuit, theologiam docuit ; sed nullus extat philosophus aut scriptor ethnicus Moyse antiquior. Ab ipso didicit Mercurius Trismegistus, a quo postmodum Pythagoras et Plato, ut Iamblicus refert libro *De Mysteriis Aegyptiorum.* [20] Sic a Moyse divino theologo emanavit humana philosophia ; sed hic Moysen docuit.

Si ergo discipuli eius esse volumus, plenam fidem ipsi praebere debemus.

III. *Ascendit... in templum et docebat.* Magister est sapientissimus. Fidem a nobis exigit, nam addiscentem credere oportet, alioquin discipulus erit indisciplinatus et indisciplinabilis. Pythagoras ob magnae sapientiae opinionem a discipulis id obtinuit, ut firmissima fide teneretur quicquid doceret, eiusque auctoritas pro potissima demonstratione haberetur : « Ipse dixit », [21] hoc tantum sufficiebat ad cuiusque rei probationem; uti nunc in peripatu Aristotelis auctoritas et sententia pro demonstratione habetur, ita ut naturalis philosophia nunc potius fides sit quam scientia, non enim definitioni aut demonstrationi nititur, sed auctoritati. Nam in universa Aristotelis philosophia nec una quidem reperitur demonstratio, quae vere secundum ipsius canones et decreta demonstratio dici potest ; et tamen summi isti philosophi in his quae Dei sunt, nonnisi rationes et demonstrationes quaerunt ; in naturali philosophia tanquam bubali per nares trahuntur Aristotelis auctoritate, et in supernaturali theologia quaerunt rationes et demonstrationes? O inanem, insipidam, fatuam hominum stolidorum sapientiam !

Divina Scriptura demonstrationibus non probat quod refert,

Dicas mihi, philosophaster : Si homo a nativitate caecus credere nollet reperiri in coelo solem, lunam et stellas, nec coelum ipsum, tu quibus demonstrationibus aut rationibus eum convinceres et urgeres? Ergo quia haec caeco demonstrari non possunt, ideo non sunt? Deinde historia non requirit demonstrationem aut rationem, ita ut historicus

20) Cp. 1, pag. 1. 21) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 8, pag. 344; Cicero *De Natura Deorum*, lib. 1, vol. 4, col. 173; P. Mannuccius *Adagia*, col. 891-892.

probare teneatur quod dicit, sed tamen quae gesta sunt fideliter et veraciter narrat : tali tempore, tali loco, talem ob causam gestum fuit tale bellum a talibus principibus ; talis creatus fuit rex, imperator, aut Papa ; talis civitas condita fuit ; talis accidit casus. Sacra autem Scriptura fere tota historia est, divinorum operum enarratio, et in Divinis Litteris quaeritur mathematica demonstratio ? In historia quaeritur demonstratio ? Insipientia est. Credere igitur oportet, historia fidem exigit ; fatuus esset iure censendus qui ab historico naturales requireret rationes et demonstrationes. Quod si humanae credimus auctoritati, cur non divinae ? Si hominibus credimus, cur non Deo ? cur non Christo ?

quia divinae auctoritati innititur.

Iudaeis de Christi doctrina dubitantibus ac haesitantibus : *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit ?* ait ipse : *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere,* hic *cognoscet de doctrina* mea *utrum ex Deo sit.* [22] Quibus verbis insinuat Christus quod dubitatio circa fidem non oritur, nisi a mala voluntate et animo depravato, ad carnis vitia valde propenso. Hi sunt qui dubitant de animae immortalitate, de gloria paradisi, de poenis inferni, de Sacramentis Ecclesiae, qui depravato sunt animo, quibus vitia magis quam virtutes placent, qui epicuream vitam ducere cupiunt ; hoc est quod ait : *Si quis voluntatem* Dei *facere voluerit,* idest bene vivere, virtutis studiosum esse, divinam servare legem; si quis bona conscientia praeditus fuerit, bono animo affectus, *hic cognoscet de doctrina* mea.

Docet hodie Christus dubium circa fidem nonnisi a mala voluntate oriri;

Nam sicut lux placet sanis oculis, displicet autem infirmis, sic utique veritas animo puro et candido gratissima est, impuro autem, obscuro, ingrata valde ; sano gustui et non male affecto palato placet panis cibusque suavis, displicet autem male affecto amarusque videtur sapor optimus. Et sicut fur nollet reperiri iudicem iustum scelerum ac facinorum punitorem, non carceres, non patibula, sic quicunque malo animo sunt affecti nollent esse inferni carcerem, tormenta poenarum perpetua, ministros divinae iustitiae tortoresque daemones, nec ipsum quidem iudicem Deum : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus,* [23] ut sic liberius possent absque ullo conscientiae scrupulo

impuro enim animo veritas semper ingrata est, placet autem puro.

22) Io 7, 15-17. 23) Ps 52, 1.

vitiis carnis habenas laxare et instar effrenis equi per vitiorum viam, nullo remorante freno, pro libito currere. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet* veritatem.

Deus tanta sapientia Christum replevit ut mundum regeret,

IV. *Ascendit... in templum et docebat; et mirabantur Iudaei.* Duplici ex causa Deus tali tantaque sapientia Christum replevit. Una est ut regeret mundum, altera ut salvaret mundum. Dedit Deus sapientiam Salomoni ad optime regendum Israelis regnum et sapienter iudicandum; Iosepho autem dedit sapientiam ad salvandum mundum ne fame periret, [24] et Moysi ad liberandum populum a servitute Aegypti. [25] Imo [26] duplici ex causa etiam ipsi Salomoni Deus sapientiam contulit: ad gubernandum regnum et ad aedificandum templum nomini Domini. [27] Mundus hic universus regnum Dei est. Regebat ipse coelum et terram naturamque universam, sicut qui magna arte horologium construxit, ipse etiam regit ne dissolvatur.

mundus enim regnum Dei est quod Filio suo dono dedit,

Nunc autem Deus mundum universum Filio dono dedit, sicut David Salomoni universum regnum, nihil penitus sibi reservans. [28] Hinc Christus ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* [29] Veluti si opifex horologium daedalico artificio constructum filio det ut eius curam gerat, artem etiam docet qua illud regat, sic utique Deus dans mundum universum unico Filio suo, Christo, docuit etiam omnem artem atque scientiam ad regendum eum concinnandumque, si qua ex parte dissolveretur. Sic Dominus *imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna,* [30] sic saturavit famelicos, [31] illuminavit caecos, [32] mundavit leprosos, [33] mortuos suscitavit [34] et in die iudicii ipse universum hoc horologium dissolvet, ac iterum renovatum multo pulcrius recomponet.

et ad illud regendum multa sapientia pollere oportet;

Est mundus hic veluti magna navis, ad quam regendam et gubernandam magna opus est arte, magna peritia nauticae artis. Christus autem a Deo gubernator institutus est navis.

Dedit etiam Christo talem tantumque thesaurum sapientiae ad salvandum mundum veluti ad salvandum infirmum, ad quod multa

24) Cf. Gn 41, 14 sqq. 25) Cf. Ex 4, 11-12. 26) Ms.: *Quod* adicitur.
27) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq.; 1 Par 29, 1. 19. 28) Cf. 3 Rg 1, 32-48. 29) Mt 28, 18.
30) Ibid. 8, 26; Mc 4, 39; Lc 8, 24. 31) Cf. Mt 14, 15-21; 15, 32-38; Mc 8, 19-20.
32) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35 sqq.; Io 9, 1-7. 33) Cf. Mt 8, 1-3; 11, 5; Lc 17, 12-14. 34) Cf. Mt 9, 18-25; 11, 5; Lc 7, 11-15; Io 11, 41-44.

opus est arte et scientia ad cognoscendam complexionem infirmi, causas morbi, optima remedia, rationem curandi et sanandi restaurandique deperditas vires. Ad salutem consequendam opus est fide, nam : *Sine fide... impossibile est placere Deo.*[35] Sapientia autem exquisitaque scientia et doctrina magnam dat homini auctoritatem, ita ut facile credatur sapientum dictis. Ad hoc misit Deus Moysen et Prophetas divina sapientia praeditos, ut eorum dictis homines facile adhiberent fidem. Videns autem quod creata sapientia parum profecit parumque promovit negotium humanae salutis, tandem Christo homini totum communicavit increatae sapientiae thesaurum, ut sic sanarentur aquae Iericho, sale hoc posito in novo vase,[36] sicut in fine hodierni Evangelii legimus : *De turba autem multi crediderunt in eum.*[37] Ut autem facilius fidem nostram conciliare sibi posset Christus, non solum sapientiam suam dedit ei ad praedicandum, verum etiam virtutem ad operandum miracula, sicut olim Moysi dedit divinam hanc potestatem,[38] et hanc ob causam dixit Dominus se esse Salomone maiorem : *Ecce plus quam Salomon hic,* quoniam Salomon non habuit potestatem operandi miracula sicut Christus.

et etiam ut mundum salvaret fide, non enim creditur nisi sapienti;

et quia creata sapientia parum profecerat, Christo communicavit increatae sapientiae thesaurum.

De turba... multi crediderunt in eum. Ecce aedificatum templum Ecclesiae, nam quid est Ecclesia nisi multitudo fidelium ? *Multi crediderunt in eum.* Sed reperimus in hodierno Evangelio et credentes in Christum et dubitantes de doctrina Christi: *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit ?* Suspicabantur ne forte a daemone esset Christi doctrina, sicut ei dicunt : *Daemonium habes: quis te quaerit interficere ?*[39] Hinc declarat Christus originem sapientiae suae a Deo esse : *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* O utinam non multi adhuc reperiantur dubitantes, etc.

Hinc Christus hodie declarat originem sapientiae suae a Deo esse.

V. *Ascendit... in templum et docebat,* ut nos doctos efficeret ac sibi similes, sicut sol stellas illuminans eas sibi similes reddit. Cupit nos Christus sibi similes in sapientia esse, in veritatis cognitione, hinc ait : *Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent ! Gens absque consilio est et sine prudentia.*[40] *Utinam saperent* praeterita, *in-*

Vult Christus ut omnes veram sapientiam habeant,

35) Hebr 11, 6. 36) Cf. 4 Rg 2, 19-22. 37) Io 7, 31. 38) Cf. Ex 4, 1-17.
39) Io 7, 20. 40) Dt 32, 28-29. Ordine inverso affert hos vrr.

ut divinas veritates cognoscant et novissima sua provideant;

telligerent praesentia, *novissima providerent*, futura! *Saperent* ad cognoscendam divinam bonitatem, beneficia accepta, bona amissa et mala commissa magna ingratitudine! *Haeccine reddis Domino, popule stulte et insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit... et fecit et creavit te?* [41] *Utinam saperent et intelligerent* praesentia, vitae brevitatem, mundi vanitatem, peccati iniquitatem, peccandi facilitatem, carnis fragilitatem, salutis pericula ob tentationes continuas, perpetuas! Tandem *novissima providerent*, mortis necessitatem, divini iudicii severitatem, poenae aut gloriae aeternitatem secundum meritorum exigentiam! Haec est sapientia, quam a nobis requirit Deus, quam Christus in nobis desiderat.

haec est enim vera vita.

Ascendit... in templum et docebat, sacram utique sanctamque doctrinam, quam nos utinam disceremus! *Lignum* enim *vitae est his qui apprehenderint eam;* [42] arbor est radices quidem habens amaras, sed fructus suavissimos; amaras, inquam, radices habet, quoniam omnis ad scientias aditus difficilis est, sicut ille ait:

« Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit », [43]

sed postmodum iucundissima est litterarum possessio.

Sed ad hanc adipiscendam requiritur docilitas spiritus, diligens studium et assiduus labor.

VI. *Ascendit... in templum et docebat*, sacram utique divinamque Scripturam, salutarem doctrinam, quam utique nos addiscere satagamus, nam hoc utique Deus desiderat; ait enim: *Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent! Saperent* praeterita, *intelligerent* praesentia, *providerent* futura! Ad acquirendam autem sapientiam atque doctrinam tria requiruntur: natura, doctrina et exercitatio; natura docilis, nam invita vel crassa pinguique Minerva nihil fit, [44] « asinus ad lyram »; [45] doctrina ex optimo magistro audita; exercitatio tandem, diligens studium assiduusque labor, nam improbus labor omnia vincit consummatque eruditionem, sed delectatio perficit opus.

41) Ibid. vr. 6. 42) Prv 3, 18. 43) Horat. *De Arte Poetica*, vrr. 412-413.
44) « Crassa vel pingui Minerva ». Proverbium est de hominibus ingenii rudioris et impoliti. Cf. Horat. *Satyr.*, lib. 2, sat. 2, vr. 3. « Invita Minerva », idest reluctante et infesta hac dea artium omnium praeside. Proverbium in eos qui aliquid tentant refragante ingenio, repugnante natura, non favente coelo. Cf. Horat. *De Arte Poetica*, vr. 385; P. Mannuccius *Adagia*, col. 63. 66-67. 45) Proverbium in indociles bonarum artium atque intractabiles. Cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 245.

Mea doctrina non est mea. Videtur veluti illud adagium : « Festina lente », expressum hieroglyphico ancorae cum obvoluto delphino,[46] quo monentur omnes, ut quicquid agunt prudenter agant finemque respiciant, ut fugiant praecipitantiam et socordiam in gerendis negotiis. Sic videtur contraria loqui et paradoxa : *Mea doctrina non est mea.* Sed: *Quid . . . habes*, homo, *quod non accepisti ?*[47]

46) Proverbium idem quod praecedens significans. Cf. Svetonius *Duodecim Caesares*, cp. 25, pag. 150; Pierius Valerianus *Hieroglyphica*, lib. 27, pag. 276; P. Mannuccius *Adagia*, col. 619-622. 47) 1 Cor 4, 7.

FERIA QUARTA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

Christus caecum hodie illuminat, ut ostendat se lucem mundi esse et verum Deum.

I. Sicut optimus sculptor per viam transiens, si forte lapidem videat vivum quidem et marmoreum vili loco in terra positum, inter lutum, faeces et stercora, sciens se posse ex illo arte et sapientia sua elaborato statuam aliquam regis imperatorisque simulacrum efficere, sistit gradum, contemplatur lapidem, mundat illum a sordibus, acceptoque scalpro [1] et malleo, vivum educit ex lapide vultum; sic hodie Christus, summus sculptor universi, pertransiens hodie et videns caecum hunc a nativitate vilissimo loco positum: *Sedebat et mendicabat,* [2] sciens posse se in eo ad honorem et gloriam summi Patris sui miraculum operari illuminando illum divina sua virtute, facere id utique voluit, dicens quod caecus natus erat *pro gloria Dei,* [3] *ut manifestentur opera Dei in illo,* [4] ut ostenderet se lucem mundi esse, idest vivum verumque Deum : *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi,* [5] lux omnes illuminans tenebras, sicut sol noctem fugat. Consideranda sunt nobis divinae huius lucis mysteria.

Praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate. Et interrogaverunt eum discipuli eius : Rabbi, quis, etc. [6]

II. Mundum hunc magnum, qui veluti magnus est homo, sicut homo parvus est mundus, [7] caecum Deus creavit : *In principio creavit*

1) Ms.: *Scalpiro.* 2) Io 9, 8. 3) Ibid. 11, 4. 4) Ibid. 9, 3. 5) Ibid. vr. 5. 6) Pericope huius diei Io 9, 1-38. Cf. Missale Rom. 7) Cf. Mercurius Trismegistus *Asclepius*, cp. 3, pag. 482; Plato *De Legibus*, lib. 1, t. 2, pag. 645. Philo Iudaeus: « Hoc est quod quidam ausi sunt universo mundo aequare hominem, cum viderent utrunque constare ex corpore et rationali anima, ut permutatis nominibus hominem quidem mundum parvum, mundum vero magnum hominem dicerent ». *Quis Rerum Divinarum Heres*, t. 1, pag. 433; Macrobius: « Physici mundum magnum hominem et hominem brevem mundum esse dixerunt ». *Comment. in Somnium Scipionis*, lib. 2, cp. 12, pag. 145. Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 2, cp. 17, col. 80-82; lib. 24, cp. 30, col. 1371-1372.

Deus coelum et terram. Terra autem erat inanis et vacua et tenebrae erant super faciem abyssi. [8] Non erant in coelo tunc sol, luna, astra, quae veluti oculi sunt magni huius hominis. Et ecce in sacrosancto hodierno Evangelio homo, parvus mundus, caecus et caecus a nativitate : *Praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate.* Sed non reliquit Deus mundum in primigenia illa caecitate : *Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et dixit Deus : Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona.* [9] Sic hodie Christus caecum hunc illuminat, nam inquit : *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi,* lux utique illa prima. *Lucem* se dicit hodie Christus, dicere volens se Deum esse, nam : *Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae.* [10] Imo manifeste se Deum dicit, dum ait hominem hunc caecum natum esse *ut manifestentur opera Dei in illo.* Et ad probandam divinitatem suam Dominus miraculum istud operatur ; nam, cum dixisset Dominus Iudaeis in templo loquens de divinitate sua : *Antequam Abraham fieret, ego sum,* [11] alludens ad illud *Exodi: Ego sum qui sum,* [12] Iudaei ipsum tanquam blasphemum lapidare voluerunt : *Tulerunt ... lapides ut iacerent in eum; Iesus autem abscondit se et exivit de templo;* [13] *et praeteriens ... vidit hominem caecum a nativitate* miraculumque istud operatus fuit ad comprobandam veritatem divinitatis suae. Deus autem cum Moysi dixit : *Ego sum qui sum,* in lucida flamma apparuit, quae lux potius erat quam ignis ; hinc non comburebatur rubus, [14] quod quidem designabat Deum lucem esse.

Christus se dicit hodie lucem mundi, idest verum Deum,

et ad probandam divinitatem suam miraculum operatur.

III. Saepe Deus in Divinis Scripturis dictus est *lux.* Regius Vates ait : *Dominus illuminatio mea, Dominus lux mea.* [15] Michaeas similiter ait : *Dominus lux mea;* [16] *Deus lux est.* Isaias [17] autem saepissime : *Populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis;* [18] *Dedi te in foedus populi* et *in lucem gentium;* [19] *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.* [20] Et Ioannes saepissime Christum *lucem* vocat, ad ostendendam divinitatem eius : *In ipso*

Saepe Deus in Divinis Litteris dictus est *lux,*

8) Gn 1, 1-2. 9) Ibid. vrr. 2-4. Vulg.: *Spiritus Dei... Dixitque Deus,* etc.
10) 1 Io 1, 5. 11) Io 8, 58. 12) 3, 14. 13) Io 8, 59. 14) Cf. Ex 3, 2.
15) Ps 26 (hebr. 27), 1. 16) 7, 8. 17) Ms.: *Christus,* loco: *Isaias.* 18) 9, 2.
Vulg.: *Populus qui ambulabat,* etc. 19) Ibid. 42, 6. 20) Ibid. 49, 6.

quia spiritus est.

vita erat, et vita erat lux hominum; [21] *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem;* [22] *Lux in tenebris lucet;* [23] *Ego sum lux mundi;* [24] *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* Dicitur Deus *lux*, quoniam Deus spiritus est, [25] sicut lux spiritualis, non corporea est, quia omnipotens est omnium rerum creator et conservator, sicut lux auctrix est generationis omnium rerum ; ubi enim radius solis non penetrat, nil penitus generatur. Dicitur *lux* propter claritatem sapientiae, quoniam Deus ipsamet sapientia est, sicut lux ipsamet claritas. Dicitur *lux* propter communicationem bonitatis suae, lux enim benignissima est seipsamque totam omnibus communicat. Dicitur *lux* propter pulcritudinem, lux enim pulcritudo est mundi, sine qua nullus in universo spectatur ornatus. Dicitur *lux* propter perfectionem gloriae et felicitatis suae. In mundo omnia egent luce : elementa, coeli astra, omnia quae coeli ambitu continentur, [26] ipsa nullius eget ; sic omnia egent Deo, ipse autem sibi sufficiens est, nullius eget. [27] Dicitur *lux* propter infinitam nobilitatem suam ; lux enim in mundo corporeo summum tenet nobilitatis locum : ea nobiliora sunt corpora quae copiosiori luce nobilitantur. Sic in lapidibus pretiosis, sic in metallis, sic in animalium sensibus. Visus enim sensuum nobilissimus est, quia in luce consistit. Sic in astris sol nobilissimus planetarum astrorumque est, quoniam lucidissimus omnium est.

et etiam propter claritatem sapientiae, communicationem bonitatis, pulcritudinem et perfectionem gloriae suae.

Hoc sensu Christus etiam dicitur hodie *lux*.

Sic Christus ait : *Ego sum lux mundi ; Quandiu sum in mundo, lux sum mundi*, lux illuminans *omnem hominem venientem in hunc mundum.* [28] Quamvis autem Christus vere lux sit mundi etiam ratione naturalium bonorum, quia *omnia per ipsum facta sunt,* [29] specialiter tamen *lux* dicitur ratione gratiae et ratione gloriae. Ratione gratiae : *Populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam;* et ratione gloriae, hinc idem Isaias ait : *Erit tibi Dominus in lucem sempiternam et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus et luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* [30] Hinc Ioannes inquit quod in coelesti Ierusalem non vidit solem, quoniam, inquit, *claritas Dei illuminabit eam, et lucerna eius est Agnus.* [31] Hoc

sed specialim ratione gratiae et gloriae, sicut Isaias declarat.

21) 1, 4. 22) Ibid. vr. 9. 23) Ibid. vr. 5. 24) Ibid. 8, 12. 25) Cf. ibid. 4, 24. 26) Cf. Est 13, 10. 27) Cf. Ps 15, 2; 49, 7-13; Act 17, 25. 28) Io 1, 9. 29) Ibid. vr. 3. 30) 60, 19-20. 31) Apc 21, 23. Vulg.: *Illuminavit*, etc. *Illuminabit* lect. cod.

est quod apud Isaiam legimus: *Propter Sion non tacebo et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius, et salvator eius ut lampas accendatur. Et videbunt gentes iustum tuum et cuncti reges inclitum tuum,* [32] sive *iustitiam tuam et gloriam tuam,* uti hebraice est. Sion Ecclesiam et Ierusalem paradisum designat, iustitia gratiam Ecclesiae et gloria felicitatem paradisi. Utriusque auctor est Deus: כִּי שֶׁמֶשׁ וּמָגֵן יְהוָה אֱלֹהִים חֵן וְכָבוֹד יִתֵּן יְהוָה: [33] *Sol et scutum Dominus Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.* [34] Ratione gratiae dicitur *splendor: Donec egrediatur ut splendor iustus tuus,* auctor iustitiae, et ratione gloriae dicitur *lampas: Et salvator tuus,* auctor salutis, *ut lampas accendatur,* resplendens in paradiso tanquam sol; ratione utriusque dicitur *lux: Ego sum lux mundi.*

a quo etiam appellatur *splendor* ratione gratiae, et *lampas* ratione gloriae.

IV. Hodie tamen praecipue ratione gratiae *lux* dicitur et luminis fidei, siquidem lumen fidei tribuit hodie huic caeco: *Tu credis in Filium Dei? . . . Credo, Domine! Et procidens adoravit eum.* [35] Divina opus virtute fuit ad caecum hunc corporaliter illuminandum, divina multo magis ad eum illuminandum in spiritu.

Sed hodie dicitur *lux* tanquam auctor gratiae et fidei.

Divinam virtutem ostendit Christus illuminando eum in carne, nam hoc est quod ait: *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est,* [36] idest: Oportet me miracula operari ad manifestationem divinitatis meae. Et miraculum quidem istud vere divinum opus fuit, nam: *A saeculo non est auditum quod aperuerit quis oculos caeci nati,* [37] et illuminare collyrio luti, quod aptum est ad excaecandum videntes, non ad illuminandos caecos. Hoc autem fecit Dominus, ne calumniari possent Iudaei miraculum istud dicentes quod in Beelzebub factum sit. [38] Nam, dato quod possent daemones caecum illuminare, non tamen nisi occultis virtutibus naturalium rerum sibi notis adhibitis et applicatis; non enim creandi aliquid ex nihilo virtutem habent. Sed illuminare caecum luto contrario collyrio, accendere ignem

Magnam quidem virtutem ostendit Christus caecum corporaliter illuminando,

nam lutum adhibuit,

32) 62, 1-2. 33) Ms.: *Chi scemesc umagen iehovah elohim hen vecabot iitten iehovah.*
34) Ps 83 (hebr. 84), 12. 35) Io 9, 35-38. 36) Ibid. vr. 4. 37) Ibid. vr. 32. Vulg.: *Quia quis aperuit,* etc. *Aperuerit* lect. cod. 38) Cf. Mt 9, 34; 12, 24-27; Mc 3, 22-23; Lc 11, 15-18.

infundendo aquam super ligna, ut Elias fecit,[39] hoc solius divinae est potestatis.

et absens illuminavit;

Deinde absens non praesens corpore Dominus miraculum istud operari voluit, sicut Eliseus Naaman syrum mundavit a lepra in aquis Iordanis,[40] ad maiorem divinitatis suae ostensionem, nam solus Deus est qui, ubique praesens, ubique operari potest. Corporalis ergo illuminatio huius caeci magnum miraculum fuit.

sed maiorem spiritualiter illuminando per fidem.

Sed multo maius spiritualis illustratio per fidem. Quae Christus hic egit, ad corporalem illuminationem minime necessaria fuerunt, potuit enim solo verbo hunc illuminare, sicut illuminavit Bartimaeum filium Timaei in Iericho;[41] sed [ad] spiritualem illuminationem summe necessaria sunt. Septem egit Christus ad illuminandum hunc caecum: praeterit, videt, spuit, facit lutum, linit super oculos, mittit ad lavandum et tandem corporaliter illuminatum invenit a synagoga eiectum eique manifestat seipsum. Et septem nominibus dicitur appellaturque Dominus in sacrosancto hodierno Evangelio: primo, a discipulis *Rabbi;* secundo, a seipso *Deus: Ut manifestentur opera Dei;* tertio, *lux mundi: Quandiu sum in mundo, lux sum mundi;* quarto, a caeco: *Ille homo qui dicitur Iesus;*[42] quinto: *Quia propheta est;*[43] sexto, *homo Dei: Scimus... quia peccatores Deus non*[44] *audit, sed si quis cultor Dei est et voluntatem eius facit, hunc exaudit;*[45] *Si non esset* homo *a Deo, non poterat facere quicquam;*[46] septimo, tandem, *Filius Dei.*[47]

Septem egit ad hoc, et septem nominibus appellatur.

Specialim dicitur Rabbi, quia ipse est vere doctor sapientiae coelestis,

V. *Rabbi* dicitur hodie Dominus, idest magister, doctor sapientiae coelestis et veritatis divinae. Sic solvit hodie quaesitum Apostolorum: *Quis peccavit, hic aut parentes eius, ut caecus nasceretur?*[48] Caecitas, inquiunt,[49] poena peccati est. Num potuit hic peccare antequam nasceretur? Sed si sic natus est propter peccatum parentum, quomodo verum est quod filius non portabit iniquitatem patris?[50] Sed Christus altissime respondit: *Neque hic peccavit neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo.*[51] Potest, inquit, Deus etiam innocentes affligere ad gloriam suam, quia omnium rerum absolutus est

39) Cf. 3 Rg 18, 34-38. 40) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 41) Cf. Mc 10, 46 sqq.
42) Io 9, 11. 43) Ibid. vr. 17. 44) Ms.: *Non* bis ponitur. 45) Io 9, 31. Vulg.: *Si quis Dei cultor est et voluntatem*, etc. 46) Ibid. vr. 33. Vulg.: *Nisi esset hic a Deo*, etc. 47) Cf. ibid. vr. 35. 48) Ibid. vr. 2. 49) Ms.: *Inquit.*
50) Cf. Dt 24, 16; 4 Rg 14, 6; Ier 31, 29-30; Ez 18, 1-20. 51) Io 9, 3.

Dominus, sicut pastor, qui ovium dominus est, haedum agnumque occidere pro sua commoditate potest, absque ulla iniustitia. Infantes autem iuste multas calamitates et mortem ipsam patiuntur propter peccatum originale, propter quod omnes omnium malorum Deo debitores sumus. [52] Quod si non omnia infligit mala, misericordiae opus est ; si autem aliqua exigit, iustitia est, ut creditor cum debitoribus facit.

nam hodie docet Deum etiam innocentes affligere ad gloriam suam,

Deinde bona omnia, etiam naturalia, Dei dona sunt, [53] non ex debito sed ex mera benignitate sua. Quare cum de bonis suis liceat ei facere quod vult, potest cui magis libet donare et etiam negare.

quia ipse est dominus bonorum omnium;

Adhuc ad evitandum maius malum eligendum est minus et pro maiori bono relinquendum est minus. Immittit saepe Deus mala corporis ad evitanda mala animae. Vult nos dispendium pati in carne, ut non patiamur in spiritu. Multo maius bonum est gloria Dei quam hominis vita, sanitas et integritas temporalisque felicitas, et saepe Deus temporalibus nos privat bonis ut donet aeternis ; privat nos parvis ut donet magnis ; privat corporalibus ut donet spiritualibus, sicut factum est hodie in caeco isto illuminato non tantum corpore, sed etiam mente et spiritu.

ad evitanda mala animae et donanda bona aeterna aufert temporalia.

Haec est doctrina Christi, coelestis huius magistri. Novit omnia secreta Dei, scit omnium rerum certissimas reddere causas. Hoc autem quia Deus est; solus enim Deus omnia novit et omnia operari potest, solus Deus infinita potentia, sapientia et bonitate praeditus suapte natura est. Deus autem trinus cum sit, ipse non Pater, non Spiritus Sanctus est, sed Filius Dei : *Tu credis in Filium Dei ?* Filius procedens a Patre sicut radius et lux a sole : *Ego sum lux mundi.*

Vere coelestis magister, quia novit omnia secreta Dei, cum sit verus Deus

Sed Deus iste pro salute mundi factus est homo : *Ille homo qui dicitur Iesus,* Salvator ; homo autem sanctissimus, vere divinus : *Si quis Dei cultor est et veritatem eius facit, hunc exaudit . . . Nisi esset hic a Deo.* Et tandem *propheta,* divinae legis praedicator divinorumque miraculorum effector. Sic septem ista nomina exprimunt Christi personam.

pro salute mundi factus homo et propheta veritatis.

Sed quid egit Christus ad illuminandum hunc caecum ? *Praeteriens: Exivit de templo,* et *praeteriens: Exivi a Patre et veni in mundum,* [54] *vidit* oculis misericordiae suae *hominem caecum,* hominem divina gratia

52) Cf. Gn 3, 1 sqq. 53) Ms.: *Sua,* loco: *Sunt.* 54) Io 16, 28.

In iis autem quae egit multa mysteria significantur.

et lumine fidei privatum, qui *sedebat* ad portam templi, extra templum, *et mendicabat;* [55] *spuit in terram* [56] praedicando coelestem sapientiam, maxime vero Divini Verbi incarnationem; *fecit lutum ex sputo:* [57] *Verbum caro factum est.* [58] Deus factus est homo, homo autem passus, crucifixus, mortuus et sepultus. Quid vilius luto? *Praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam;* [59] *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis.* [60] *Linivit... super oculos* [61] caeci praedicans et docens haec divina mysteria; misit *ad natatoriam Siloe,* [62] instituit Sacramenta, maxime vero Baptismi sacramentum, ubi fides datur, quod fidei sacramentum dicitur. [63] Et tandem manifestat seipsum in vero cultu: *Tu credis in Filium Dei?... Credo, Domine! Et procidens adoravit eum.*

Lutum significat tum peccatum tum beneficium creationis et incarnationis,

VI. Considerandum autem nobis est quid est quod Dominus luto voluit caecum hunc illuminare. Potest lutum istud designare peccatum, quo nil vilius in mundo est. Hoc luto Nathan Davidem illuminavit; [64] hoc lutum Prophetae super oculos ponebant annunciando scelera et peccata. Potest designare beneficium creationis, nam: *Formavit... Dominus.. hominem de limo terrae;* [65] et tandem beneficium incarnationis Dei, per cuius praedicationem salvatus est mundus: *Nam,* ut inquit Paulus, *quoniam... non cognovit mundus in... sapientia per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam crucis salvos facere credentes.* [66]

natatoria Siloe fidem figurat mentes illuminantem, lutum enim per se magis excaecat,

Posuit autem Christus lutum super oculos huius caeci et misit *ad natatoriam Siloe,* ut ibi lavaretur et visum reciperet; quo si non abiisset Christo obediendo et credendo, procul dubio caecus et multo caecior remansisset, nam lutum excaecat magis quam illuminet. Sic Iudaei non credentes Christo in multo maiori caecitate remanserunt. Sic enim Dominus ait: *In iudicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant,* [67] amittentes verum fidei lumen.

55) Cf. ibid. 9, 8. 56) Ibid. vr. 6. Vulg.: *Expuit in terram.* 57) Ibid. 58) Ibid. 1, 14. 59) 1 Cor 1, 23. 60) Ps 21, 7. 61) Io 9, 6. 62) Ibid. vr. 7. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Ad natatoria.* 63) Concilium Tridentinum, sess. 6, *De Iustif.*, cp. 8. 64) Cf. 2 Rg 12, 1-14. 65) Gn 2, 7. 66) 1 Cor 1, 21. Vulg.: *Quia in... sapientia non cognovit... per stultitiam praedicationis,* etc. 67) Io 9, 39. Vulg.: *In iudicium ego in hunc mundum veni,* etc.

Sic apud Isaiam legimus. Cum enim vidisset Divus Vates Deum in humana forma, quod est mysterium divinae incarnationis, audivit Deum dicentem: *Vade, dic populo huic: Auditu audietis et non intelligetis, videndo videbitis et non scietis. Incrassa cor populi huius et aures eius aggrava et oculos eius claude, ne forte videat oculis... et auribus... audiat et corde... intelligat et convertatur, et sanem eum.* [68] Facit Dominus sicut ignis: indurat lutum molle et mollificat ceram duram; sicut sol qui lumen obscurare quodammodo videtur, cum oriens illuminat obscurum aerem; sic, inquam, Iudaei luto hoc multo magis excaecati sunt, Gentiles autem illuminati, qui prius caeci erant, sine lege, sine fide, sine Deo.

Ideo cum fidem repellit, homo magis excaecatur.

VII. Sed nobis, o fratres, quoties Dominus lutum hoc super oculos ponit! Si lutum peccatum est, si creationis beneficium est, si beneficium incarnationis, passionis et mortis Christi, quoties a praedicatoribus ponitur nobis lutum hoc super oculos! Sed quia *ad natatoriam Siloe* ire nolumus, non illuminamur, sed semper magis ac magis excaecamur. Vultis videre, fratres, an caeci simus, [69] vel illuminati a Christo? Divus Petrus ait quod *cui* virtutes omnes *praesto non sunt, caecus est et manu palpans;* [70] caecus est qui fide viva et caritate praeditus non est: *Credo, Domine! Et procidens adoravit eum.* Ubi est caritas nostra? ubi fides? ubi pietas, religio, devotio animi erga Deum? Consideremus statum huius caeci ante illuminationem et post illuminationem, et videbimus quisnam noster sit status. Caecus hic antequam a Christo illuminaretur, *sedebat,* extra templum *et mendicabat.* Sed postquam a Christo illuminatus fuit, in Christum credidit: *Et procidens adoravit.* Prius *sedebat,* sed extra templum, otiabatur, torpescebat otio a bonis operibus, a cultu et servitute Dei, *et mendicabat.* Quid [est] mundo servire et temporalia quaerere nisi mendicare? Sed vita fidelium est credere et adorare *in spiritu et veritate.* [71]

In caeco isto signa habemus quibus cognoscere possumus an illuminati vel excaecati simus.

O fratres, mammonae potius servimus quam Deo, [72] temporalia potius quam aeterna quaerimus, carnalia magis quam temporalia bona. Ergo adhuc caeci sumus. Frustra igitur pro nobis Christus mortuus erit?

Caveamus ne frustra pro nobis Christus mortuus sit.

68) 6, 9-10. Vulg.: *Et dices... Audite audientes et nolite intelligere, et videte visionem et nolite cognoscere. Excaeca cor,* etc. 69) Ms.: *Ac caeci simul.* 70) 2 Petr 1, 9. Vulg.: *Non praesto sunt,* etc. 71) Io 4, 23. 72) Cf. Mt 6, 24; Lc 16, 13.

Frustra pro nobis Christus lutum hoc fecerit? Videte lutum: *Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens... Humiliavit semetipsum... usque ad mortem, mortem autem crucis:* [73] ecce lutum vilissimum in oculis mundi, homo suspensus in patibulo. Dicam, fratres, frustra pro nobis Christus mortuus erit, frustra lutum hoc super oculos nostros positum sit, frustra captivaverimus *intellectum in obsequium Christi?* [74] Ex Christi adventu in mundum, ex eius incarnatione, vita, passione et morte nos nihil nisi maiorem excaecationem, maiorem, inquam, damnationem acquirere volumus?

sed agamus quae ipse docet, si salvari volumus;

Abeamus *ad natatoriam Siloe* et lavemur: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis;* [75] obediamus Christo si salvari volumus. Mittit Christus caecum hunc ad lavandum se *in natatoria Siloe*, ubi Salomon unctus fuit rex in fonte Geon, [76] unde oritur fluvius Siloe. [77] Alludit Dominus ad vaticinium Isaiae: *Pro eo quod abiecit populus iste aquas Siloe, quae cum silentio vadunt, et assumpsit magis Rasin et filium Romeliae, propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum.* [78]

qui enim ei credere, servire et obedire renuit, diaboli mancipium constituitur.

Abiecit populus Israel esse sub domo David, defecit ab ea sub Roboam filio Salomonis; hinc facile incidit in idololatriam, coluit vitulos aureos in Bethel, [79] ac propterea ductus fuit a rege Assyriorum in captivitatem. [80] Sic Iudaei, quia Christo credere noluerunt, in captivitatem ducti sunt perpetuam. Qui Christo servire renuit, diaboli mancipium constituitur et ruinam incurrit aeternam: *Pro eo quod abiecit populus iste aquas Siloe, quod interpretatur missus,* [81] abiecit imperium Christi, *iugum... suave... et onus... leve,* [82] *et assumpsit... Rasin,* quod est voluntas, [83] servire propriae voluntati, proprio amori, hinc tradetur in manus diaboli, qui per regem Assyriorum designatur.

Docet hodie Christus mala non semper immissa esse in punitionem peccati,

VIII. *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* Veluti sol luce divinae sapientiae illuminans hominum mentes, sic Christus hodie ignaras instruxit discipulorum mentes splendoreque sapientiae suae illustravit. Nam quaesierunt Apostoli videntes caecum: *Rabbi, quis*

73) Phil 2, 6-8. 74) 2 Cor 10, 5. 75) Is 1, 16. 76) Cf. 3 Rg 1, 45.
77) Cf. Alph. Tostatus *Comment. in Librum 3 Rg.*, q. 36, t. 9, pag. 19. 78) 8, 6-7. Vulg.: *Quae vadunt cum silentio*, etc. 79) Cf. 3 Rg 12, 1 sqq. 80) Cf. 4 Rg 17, 1-23.
81) Io 9, 7. 82) Mt 11, 30. 83) Sic latine hoc nomen interpretatur.

peccavit, hic aut parentes eius, ut caecus nasceretur? Sciebant Apostoli quod in mundo peccatum est omnium malorum causa; quod si non peccasset Adam, totus hic mundus esset terrestris paradisus; quod nec mors, nec infirmitas, quae mortem praecurrit eique portam aperit, ulla reperiretur in mundo. Existimabant ergo nullum esse in mundo malum quod non esset in poenam alicuius peccati, sicut etiam Dominus paralytico in piscina sanato dixit: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* [84]

Deus enim potest temporalibus malis etiam innocentes in hoc mundo affligere,

Et haec quidem Apostolorum quaestio similis videtur ei quae in universo libro *Iob* disputatur. Amici enim Iob existimabant ipsum ob sua peccata a Deo percussum atque in summam infelicitatem redactum, [85] quoniam Deus, cum iudex sit mundi, non potest contra iustitiam sine culpa peccati infligere poenam supplicii. At vero Iob contrariam tuebatur sententiam, quod Deus potest in hoc mundo temporalibus malis etiam innocentes affligere secundum consilium voluntatis suae; [86] et sic tandem Deus pro ipso Iob sententiam tulit declaravitque quod ipse Iob, cum esset vir sanctissimus, nequaquam ob sua peccata gravissima illa adversitate pressus fuerat. [87] Sic etiam innocens et iustus Abel a fratre occisus fuit. [88] Ioseph pincernae Pharaonis ait: *Memento mei, cum bene tibi fuerit... ut suggeras Pharaoni ut educat me de isto carcere, quia furtim sublatus sum et hic innocens in lacum missus sum.* [89] Hoc est quod Christus ait: *Neque hic peccavit neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo,* hoc est: caecitatis quidem huius peccatum in causa nequaquam extitit, sed gloria Dei, veluti si medicus, confecta optima theriaca et antidoto contra quodvis etiam potentissimum venenum efficacissimo ac saluberrimo, quo magis innotescat virtus illius antidoti, venenum dabit alicui ex servis suis, quo sumpto, dabit salutare remedium. Venenum quidem dari solet ex odio et in vindictam alicuius iniuriae; at medicus non ad alium finem dabit servo venenum, nisi ad ostendendam virtutem saluberrimam optimi antidoti. Sic ait: *Ut manifestentur opera Dei in illo.*

velut Iob, Abel et Ioseph patriarcham,

ad ostendendum gloriam suam et probandam virtutem iustorum.

84) Io 5, 14. 85) Cf. 4, 1-5, 1 sqq.; 8, 1 sqq.; 11, 1 sqq.; 15, 1 sqq. 86) Cf. ibid. 6, 1-7, 1 sqq.; 9, 1-10, 1 sqq.; 12, 1-14, 1 sqq. 87) Cf. ibid. 42, 7 sqq. 88) Cf. Gn 4, 8. 89) Ibid. 40, 14-15. *Furtim* legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis*. In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Furto sublatus sum.*

Mala quae patimur obveniunt voluntate Dei, qui ita disposuit post peccatum,

IX. Sed si caecus iste mundum designat, qui nascitur in caecitate peccati originalis, sine fide et gratia Dei, unde in fonte Siloe illuminatus est caecus iste, quia in fonte Baptismi iustificatur homo a peccato originali divinoque lumine illustratur, quid est quod Christus ait : *Neque hic peccavit neque parentes eius, ut caecus nasceretur?* An non ob peccatum parentum nostrorum nascimur caeci, privati originali iustitia, amicitia et gratia Dei omnibusque bonis spiritualibus? Et quidem verum est quod non peccavit mundus cum adhuc non esset, ita ut privationem hanc gratiae divinae meruerit cum adhuc non esset, sed parentes nostri peccaverunt. Sed profecto non peccatum illud suapte natura, sed divina voluntas in causa extitit huius caecitatis. Cur enim, si modo *filius non portat iniquitatem patris* nec *pater... iniquitatem filii*, sed *anima quae peccaverit ipsa morietur,* [90] tunc ob peccatum unum primorum parentum totus damnatus est mundus? Profecto quia Deus sic voluit. Sed ad quid? *Ut manifestentur opera Dei,* opera potentiae, sapientiae, bonitatis, iustitiae, misericordiae et caritatis Dei in redemptione et salute electorum et perditione ac damnatione reproborum, qui salvari noluerint.

ad ostendendam gloriam suam in redemptione mundi.

II. ALIA HOMILIA

Audivit Iesus quia eiecerunt eum foras. Et cum invenisset eum, dixit...: Tu credis in Filium Dei?... Quis est, Domine, ut credam? [1]

Christus caecum hunc corporaliter illuminando ostenditur verus Deus, naturae auctor

I. Sicut Deus prius formavit corpus hominis et deinde animam infudit, [2] sic Christus hodie prius illuminat caecum hunc corporaliter et postea spiritualiter: *Tu credis in Filium Dei?... Et vidisti eum, et qui loquitur tecum ipse est.* Et *ait: Credo, Domine! Et procidens adoravit eum.* [3] Ostendit Dominus, dum caecum hunc hodie corporaliter illuminavit, magno miraculo formatis oculis ipsius, se illum esse qui ab initio hominem formavit. Si sculptor summa cum diligentia et arte statuam aliquam efformans, partem eius aliquam imperfectam

90) Ez 18, 20. Vulg.: *Non portabit*, etc. Ordine inverso affert hunc vr.

1) Io 9, 35-36. 2) Cf. Gn 2, 7. 3) Io 9, 37-38.

relinquat, ut videat si quis sit qui eam perficere possit, tandem, comperto quod nemo inveniatur qui id possit, si imperfectam eam partem, ad quam perficiendam multo maior requiritur artis peritia et diligentia, ipse perficiat, ostendet utique se totius statuae fuisse primum artificem. Et quidem totum corpus nostrum summa cum arte a Deo formatum fuit, maxime vero oculus, qui totius corporis pars nobilissima et delicatissima est. Summa cum arte et exquisitissima cum diligentia compositi sunt oculi hi nostri, lucernae corporis nostri, [4] et nescit adhuc universa philosophia quomodo fiat visio, an per intromissionem specierum, an per extramissionem visualium radiorum. [5] Ostendit igitur hodierno miraculo Christus se Deum esse naturae auctorem, qui hominem de terra formavit. [6]

et hominis verus creator;

Nec tantum naturae auctorem se hodie Christus ostendit, sed etiam fontem gratiae. Hoc est quod caecum illuminandum mittit *ad natatoriam Siloe, quod interpretatur Missus.* [7] Non enim absque mysterio Evangelista interpretatus est nomen huius piscinae, sed ad insinuandum quod piscina ipsa Christum significabat. Erat autem piscina ista vas aquarum viventium, quae scaturiebant ex fonte Geon. [8] Sic sacrosancta Christi humanitas vas est omnium gratiarum Dei; nam: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis... et de plenitudine eius omnes nos accepimus... gratiam pro gratia; quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* [9] Sic Christus fons et vas est aquarum viventium, sicut sol fons et vas luminis.

spiritualiter autem illuminando ostenditur fons gratiae.

II. Et profecto miraculum hodiernum luce clarius Christi divinitatem ostendit, si consideremus factum, modum et mysterium. Factum quidem est suapte natura opus supernaturale, nam universa natura non potest illuminare caecum, sicut nec mortuum resuscitare. Hinc caecus ipse illuminatus ait: *A saeculo non est auditum quod illuminaverit quis oculos caeci nati.* [10] Deinde illuminavit hunc Christus non praesens sed absens corpore, et illuminavit medio contrario,

Divinitas Christi clarius elucescit si considerantur factum, suapte natura supernaturale,

4) Cf. Mt 6, 22; Lc 11, 34. 5) Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 3, cp. 28, col. 151. 6) Cf. Gn 2, 7. 7) Io 9, 7. Cf. not. 62 praec. hom., pag. 390. 8) Cf. not. 77 praec. hom., pag. 392. 9) Io 1, 14-17. Vulg.: *Nos omnes*, etc. 10) Ibid. 9, 32. Vulg.: *Quia quis aperuit oculos*, etc.

veluti si ad accendendum ignem quis adhiberet aquam, sicut Elias;[11] luti enim facti ex sputo emplastro et collyrio illuminavit eum, quod quidem aptum magis est ad excaecandum videntes quam ad illuminandum caecum. Hoc autem fecit ad designandum mysterium spiritualis illuminationis; nam potuisset quidem Christus hunc solo verbo, sicut Bartimaeum prope Iericho,[12] illuminare, at vero ad insinuandum mysterium *fecit lutum ex sputo et linivit... oculos*[13] caeci misitque ad lavandum se *in natatoria Siloe.* Mysteria autem haec in fine Evangelii declarantur; cum enim Christus invenisset caecum hunc iam corpore illuminatum, ait: *Tu credis in Filium Dei?* At caecus: *Quis est, Domine, ut credam in eum?* Tunc Christus: *Et vidisti eum, et qui loquitur tecum ipse est.* Caecus vero: *Credo, Domine! Et procidens adoravit eum.* Ecce lutum super oculos: *Tu credis in Filium Dei?* hoc est divinae incarnationis mysterium; et ecce illuminatio mentalium oculorum: *Credo, Domine! Et procidens adoravit eum.* Sic caecus natus corpore et spiritu, hodie a Christo corpore et spiritu pariter illuminatus est sicque *totum hominem* illuminavit *in sabbato.*[14]

modus, illuminavit enim absens et lutum adhibuit,

et mysterium, nam sanavit caecum ut se ostenderet verum Filium Dei.

III. Quoniam vero hodiernum miraculum spiritualis illuminationis mysterium est, videndum nobis et considerandum est quisnam est qui illuminat, quem illuminat, quomodo et ad quid illuminat.

Qui illuminat Christus est, ait enim: *Ego sum lux mundi,*[15] *quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;*[16] Dei Filius est, Dei Verbum, Deus verus, solus enim Deus suapte natura miracula operari potest.

Quattuor considerantur: *a*) qui illuminat Christus est, Verbum Dei;

Qui autem illuminatur homo est, caecus a nativitate, qui quidem quamvis universum genus humanum significet, specialiter tamen gentilem populum designat. Cum enim Christus exiisset de templo, cum eum Iudaei lapidare voluerunt eo quod seipsum faceret Deum dicens: *Antequam Abraham fieret ego sum,*[17] egressus, inquam, Christus de templo hunc caecum a nativitate invenit.[18] Templum enim illud synagogam significabat; caecus autem extra templum designat hominem infidelem qui est extra Ecclesiam Dei. Hinc Christus hodierno Evangelio

b) qui illuminatur homo est, gentilem populum figurans,

11) Cf. 3 Rg 18, 31-39. 12) Cf. Mc 10, 46 sqq. 13) Io 9, 6. 14) Ibid. 7, 23. 15) Ibid. 8, 12; 9, 5. 16) Ibid. 1, 9. 17) Ibid. 8, 58 sqq. 18) Ibid. 9, 1.

veluti mysterium aperiens ait: *In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant;* [19] hoc est: ut fideles Iudaei fiant infideles, abnegato Christo, et infideles Gentiles fiant fideles credendo in Christum: *Auferetur a vobis regnum Dei.* [20] Caecus igitur iste infidelem populum designat mundumque natum in tenebris infidelitatis et umbra mortis. [21]

Bone Deus, quali caecitate mentis affectus erat mundus cum Christus mundo apparuit, cum Iesus iste praeteriit! Voluit enim Christus in mundo hoc viator et peregrinus esse, non civis huius mundi; hinc ait: *Praeteriens: Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.* [22] Sed *praeteriens . . . vidit hominem caecum a nativitate.* [23] Sicut enim nascitur homo absque ulla scientia et cognitione Dei, sine fide et gratia Dei, ita Christus mundum hunc reperiit tenebris undequaque circumfusum erantque huiuscemodi tenebrae aegyptiis illis multo palpabiliores. [24] An non caecus omnino esset qui solem in meridie non videret, sed tenebras pro luce acciperet noctemque pro die? Eo caecitatis devenerat mundus, ut pro vero Deo diabolum adoraret verumque Deum taliter ignoraret, ut negaret etiam, nam: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus;* [25] ac si caecus, eo quod solem minime videat, dicat solem coelumque minime reperiri, cum tamen verum sit quod *invisibilia* Dei *a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas.* [26] Sic enim multi philosophi ex rerum naturalium contemplatione devenerunt in cognitionem Dei, quem statuerunt primam causam omnium rerum.

qui magna caecitate laboravit usque ad adventum Christi,

nam verum Deum non tantum ignorabat, sed et negabat, imo diabolum adorabat;

Sed quia, inquit Apostolus, *non cognovit mundus per sapientiam Deum,* ex contemplatione rerum naturalium et lumine naturalis philosophiae, *placuit Deo per stultitiam crucis salvos facere credentes.* [27] Hoc est luto caecum illuminare. Quid enim vilius luto? Et quid humilius et abiectius crucifixo? An non tanquam *lutum platearum* [28] conculcatus fuit Christus a Iudaeis? Hoc tamen luto vilissimo per fidem Christi crucifixi voluit Deus caecum mundum illuminare. Sic per fidem Christi mundus ab idolis ad Deum verum

c) quomodo illuminat, lutum enim virtutem fidei Christi crucifixi significat, qua mundus ad Deum conversus fuit;

19) Ibid. vr. 39. 20) Mt 21, 43. 21) Cf. Lc 1, 79. 22) Io 16, 28. 23) Ibid. 9, 1. 24) Cf. Ex 10, 22. 25) Ps 52, 1. 26) Rom 1, 20. 27) 1 Cor 1, 21. Vulg.: *Per stultitiam praedicationis*, etc. 28) 2 Rg 22, 43; Is 10, 6; Mich 7, 10.

d) ad quid illuminat, idest ut caecus in ipsum Christum crederet.

conversus est, per fidem Christi mundus Deum cognoscit, adorat et colit. Sic per stultitiam mundus factus est sapiens, qui per sapientiam factus erat stultus. Haec enim est vera sapientia: Deum cognoscere et adorare. Ad hoc enim Christus hodie caecum illuminavit ut [in] ipsum crederet et credens adoraret: *Credo, Domine! Et procidens adoravit eum.*

Conversio mundi ad verum Deum maximum miraculum fuit, quia facta per viros humillimos et simplicissimos.

IV. Et quidem magnum miraculum est quod caecus iste mundus illuminatus sit, devenerit in cognitionem veri Dei; hoc enim nullus Prophetarum facere potuit, vix enim Moyses unum tantum Hebraeorum populum ad cognitionem et cultum Dei reducere potuit, cum tamen haberet tunc populus fidem Dei per sacramentum circumcisionis. Sed multo maius miraculum est quod luto illuminatus sit, idest per fidem Christi crucifixi, nam mundo summa stultitia videbatur credere hominem cum latronibus crucifixum tanquam scelestissimum,[29] verum Deum esse. At vero maximum miraculum est quod Christus absens corpore caecum hunc illuminavit, quod, inquam, Christus corpore absens a mundo, cum post mortem et resurrectionem suam in coelum ascendisset,[30] mundum per Apostolos suos, viros quidem humillimos simplicissimosque piscatores, converterit ad veri Dei cognitionem et cultum. Si praesens ipse vivensque Dei Filius id egisset, magnum utique fuisset miraculum; at multo maius extitit quia absens tale ac tantum miraculum operatus est. Hoc est enim quod Christus Apostolis suis dixit in die ascensionis suae: Ite, *praedicate Evangelium omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;*[31] et iterum: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; ite ergo, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*[32]

Sic per fidem mundus renovatus et illuminatus fuit.

Sic Deus mundum in novam creaturam convertit, sicut hodie caecus iste [in] novum hominem conversus est. Prius enim, cum caecus esset, *sedebat,* sed extra templum Dei, *et mendicabat;*[33] at vero illuminatus a Christo reliquit veterem vitam, exuit *veterem hominem cum actibus suis*[34] novumque induit hominem, *qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.*[35] Factus fuit caecus illuminatus prae-

29) Cf. Mt 27, 35-38; Mc 15, 25-27; Lc 23, 33; Io 19, 18. 30) Cf. Mc 16, 1 sqq.; Lc 24, 1 sqq.; Act 1, 1-11. 31) Mc 16, 15-16. 32) Mt 28, 18-19. Vulg.: *Euntes ergo docete,* etc. 33) Io 9, 8. 34) Col 3, 9. 35) Eph 4, 24.

dicator et constantissimus acerrimusque veritatis Christi defensor, veluti alter Paulus, qui ipse quoque luto humilitatis illuminatus fuit a Christo ; prostravit enim eum Christus caecumque corpore effecit, sicut mente caecus erat ; sed postea in fonte Baptismatis utrunque lumen recepit statimque Christum praedicare coepit, admirantibus ac stupentibus Iudaeis, [36] affirmans et dicens : *Quoniam hic est Christus,* [37] *hic est* vere *Filius Dei.* [38]

Caecus illuminatus divina sapientia illustratur,

V. Mirati sunt hodie Iudaei videntes caecum hunc a nativitate illuminatum; sic mirati fuerunt sapientiam Apostolorum Christi, cum audirent eos linguis loquentes post acceptum Spiritum Sanctum. [39] Praedicat hodie caecus illuminatus Christi miraculum : *Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit* ex sputo *et linivit oculos meos et dixit mihi: Vade, lava in natatoria Siloe . . . Et abii et lavi et vidi.* [40] Praedicat miraculi veritatem etiam coram Pharisaeis Christi inimicissimis : *Lutum . . . posuit super oculos* meos, *et lavi et video.* [41] Credit et confitetur Christum prophetam esse, nam : *Corde . . . creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* [42] Defendit etiam fidem Christi, nam dicentibus Pharisaeis : *Nos scimus quia hic homo peccator est,* respondit : *Si peccator est, nescio; unum scio quia, caecus cum essem, modo video.* [43] Rationibus etiam comprobat Christi fidem : *In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit oculos meos. Scimus autem quia peccatores Deus non audit, sed si quis cultor Dei est et voluntatem eius facit, hunc exaudit. A saeculo non est auditum quia quis aperuit oculos caeci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quicquam.* [44] Efficacibus utique rationibus probat Christi fidem, dictante Spiritu Sancto. Vera, inquit, miracula divina virtute facere non possunt nisi Prophetae sancti Dei ; hic fecit inauditum miraculum ; ergo sanctus Dei propheta est.

praedicator intrepidus miraculi fit contra Pharisaeos,

et ardens defensor fidei Christi;

nam lumen fidei facit hominem sapientem

Lumen igitur fidei hominem facit sapientem et forti constantique animo praeditum. Sic videmus in Apostolis Christi, quorum sapientia quidem enituit in praedicatione Evangelii, fortitudo autem in patientia

36) Cf. Act 9, 1-21. 37) Ibid. vr. 22. 38) Ibid. vr. 20. 39) Cf. ibid. 2, 1-7.
40) Io 9, 11-12. Vulg.: *Et unxit oculos . . . vade ad natatoria Siloe et lava. . . et video. Et vidi* legitur in veteribus editionibus Vulg. Cf. *Biblia Lovaniensis.* 41) Ibid. vr. 15.
42) Rom 10, 10. 43) Io 9, 24-25. 44) Ibid. vrr. 30-33. Vulg.: *Dei cultor est,* etc.

et fortem, ut libenter persecutiones pro Christo patiatur.

persecutionum, quas passi sunt ab inimicis Christi propter praedicationem Evangelii. Omnes enim pro Christi nomine martyria gravissima passi sunt, sicut hodie caecus iste ob fidem Christi a synagoga eiectus fuit a Pharisaeis ; nam : *Iam... conspiraverant Iudaei, ut si quis confiteretur eum esse Christum, extra synagogam fieret.* [45] Sic caecus a synagoga eiectus fuit.

Sed, o felicem et beatum qui propter Christum a mundo eicitur ! Hunc enim eiectum invenit et consolatus est Christus. Qui autem Christum invenit, thesaurum utique omnium bonorum invenit, quoniam Christus lux mundi est, Filius Dei, verus Deus, infinitus thesaurus omnium bonorum. O inventio ! Beatus qui invenitur a Christo !

Christus ostendit potentiam, sapientiam et bonitatem in caeci istius illuminatione corporali et spirituali.

VI. Et profecto Christus hodie erga hunc caecum ostendit potentiam, sapientiam et bonitatem suam in illuminatione tum corporali tum spirituali. In corporali quidem potentiam, quia caecum a nativitate, luto, absens corpore, illuminavit ; sapientiam vero in mysteriis, quia oculos eius luto linivit et ad lavandum misit in natatoriam Siloe, ad designandum Baptismi sacramentum ; bonitatem, quia magnum ei beneficium contulit ex sese, absque ullo merito, ex mera bonitate sua. Neque enim hic petiit oculorum lumen, sicut Bartimaeus. [46] In spirituali item illuminatione potentiam, qua forti constantique animo donavit ad confitendam veritatem miraculi et ad perferendas ob veritatem graves persecutiones ; sapientiam, qua illum illustravit ad comprobandam rationibus veritatem miraculi, dedit enim ei os et sapientiam cui non potuerunt adversarii contradicere ; [47] bonitatem, qua illum a synagoga eiectum invenit et consolatus est. Cum autem invenisset eum Iesus, dixit ei : *Tu credis in Filium Dei ?... Credo, Domine ! Et procidens adoravit eum;* credens in Christum chelidonius [48] adoravit eum prostratus in terram. Adorandus est autem Deus *in spiritu et veritate,* quoniam : *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* [49]

45) Ibid. vr. 22. Vulg.: *Eum confiteretur,* etc. 46) Cf. Mc 10, 47-51. 47) Cf. Lc 21, 15. 48) Ms.: *Caelidonius,* et infra. In Lexicis a nobis consultis non invenitur hoc adiectivum. Forte derivatur a celidonia, quae est herba quaedam ex qua per distillationem aqua deducitur contra quasdam oculorum infirmitates. De huius herbae virtute cf. Plinius *Hist. Nat.,* lib. 8, cp. 27, pag. 86; lib. 25, cp. 8, pag. 290; cp. 12, pag. 293.
49) Io 4, 24.

Sed si nos, o fratres, vere in Christum credimus, cur non procidentes adoramus *in spiritu et veritate?* Adoratio haec signum est fidei. Si ignoto principi occurras, nec eum principem esse agnoscas aut credas, eum profecto, ut par est, minime honorabis debita reverentia. At si manifestet seipsum dicens : Ego sum regis filius; si credas, statim eum adorabis. Sic hodie chelidonius statim ut Christum cognovit esse Filium Dei, *procidens adoravit.* Prius enim non agnoscebat, nam ait : *Quis est Domine, ut credam in eum?* Erat enim Christus princeps incognitus ; sed ut Christus ei manifestavit seipsum : *Et vidisti eum et qui loquitur tecum ipse est,* statim *procidens adoravit.* Nos quid est, inquam, si credimus, quod minime adoramus ?

Vera fides docet Deum adorare *in spiritu et veritate,*

Dicetis : Quomodo nos Christum non adoramus ? Audite : *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies;* [50] nam : *Nemo potest duobus dominis servire . . . Non potestis Deo servire et mammonae,* [51] Deum simul et aureum vitulum adorare. [52] Quandiu igitur mammonae servimus, Deum minime, ut par est, adoramus. Fratres mei, caecus iste postquam [a] Christo illuminatus fuit, non sedit amplius mendicans extra templum, sed uni soli Deo servivit et adoravit. Nos autem mundo servimus et temporalia bona mendicamus : divitias, honores, dignitates, delicias et voluptates. Quaerimus quietem in mundo, non quasi peregrini et viatores cum Christo, qui *praeteriens vidit,* sed tanquam cives mundi huius volumus habere hic civitatem permanentem et futuram minime inquirimus. [53] Vita autem caeci illuminati non fuit amplius sedere et mendicare, sed Christum adorare : *Credo, Domine! Et procidens adoravit eum,* utique tanquam verus adorator *in spiritu et veritate.*

hoc est illi soli servire, non mundo et temporalibus bonis.

Post verba confessionis et adorationis caeci illuminati : *Credo, Domine! Et procidens adoravit eum,* dixit Dominus : *In iudicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant.* Unde Dominus figuratus est per columnam, quae semper manebat super tabernaculum Domini in deserto, quae quidem noctu in tenebris ignis erat illuminans, sed in die nubes obumbrans, [54] nubes enim non illuminat, sed obumbrat terram. Manet columna haec super tabernaculum Domini, quoniam Christus caput est et princeps Ecclesiae, [55]

Christus causa est caecitatis et illuminationis.

50) Mt 4, 10; Lc 4, 8. 51) Mt 6, 24; Lc 16, 13. 52) Cf. Ex 32, 1-6. 53) Cf. Hebr 13, 14. 54) Cf. Nm 9, 15 sqq. 55) Cf. Eph 1, 22; 5, 23; Col 1, 18; 1 Petr 5, 4.

illuminat tenebras: *ut qui non vident videant;* obumbrat diem: *Qui vident caeci fiant.* Sic Christus excaecavit Iudaeos et illuminavit Gentiles: *Populus, qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam.* [56] Sic apud Isaiam legimus quod, cum plena dicta est a Seraphim omnis terra gloria Domini, tunc *domus repleta est fumo* [57] et Vates praecipitur populum excaecare. [58]

Homo est excellentissimum opus Dei et omnium creaturarum perfectissimo,

VII. *Praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate.* Gradum sistit Christus et caecum hunc intuetur. Si autem rex iter faciens gradum sistat ad aliquid magna cum diligentia contemplandum, profecto res illa necesse est ut sit dignum visu spectaculum. Sed quidnam spectandum vidit Christus in caeco isto? *Praeteriens... vidit hominem caecum.* Caecitas nonnisi magna miseria, perpetuus carcer ac tenebricosa sepultura hominis vivi. Sed *vidit hominem;* non parva res homo est, si dignus est Christi summi regis contemplatione. *Vidit hominem,* qui imago et simulacrum divinum est, parvus mundus, universi ἀνακεφαλαίωσις, [59] princeps et finis creaturarum Dei, alter veluti deus in mundo, magnus sacerdos, qui Deo in divino hoc templo ministrat. Est homo excellentissimum opus Dei et omnium operum perfectissimum; Deus enim in creatione mundi semper ad perfectiora processit.

Deus tamen hunc caecum voluit esse a nativitate,

Fuit autem proprium Dei considerare omnia opera sua. *Vidit* lucem, *vidit* mare, *vidit* terram, *vidit... cuncta quae fecerat, et erant valde bona,* [60] sicut pictor excellentissimus depingens regis imaginem quae [ad] vivum referat regem, omnes et singulas partes picturae illius diligentissime considerat, ut nullus penitus in ea inveniatur defectus qui iure possit reprehendi, sic Deus diligentissime omnia opera sua consideravit; nam mundus hic, magnus cum sit homo, sicut homo parvus mundus, magna quaedam Dei imago est, sicut homo parva imago. [61] At quis nesciat quod homo Dei opus est? Christus autem verus Deus? Homo igitur iste caecus Christi opus erat. Vidit igitur Christus hominem hunc et contemplatus eum est tanquam opus suum, cui data opera noluit a nativitate oculos dare, ut postea

ut postea Christus eum illuminando probaretur verus eiusdem opifex.

56) Is 9, 2. Vulg.: *Populus qui ambulabat,* etc. 57) 6, 3-4. Vulg.: *Plena est fumo.*
58) Cf. ibid. vrr. 1-10. 59) Ms.: *Anachephaleosis.* 60) Gn 1, 4 sqq.
61) Cf. not. 7 praec. hom., pag. 384.

dans ei oculos, inde probaretur verus ipsius opifex, pictor huius imaginis, sculptor huius simulacri; contemplatus est opus suum, vidit defectum statimque supplevit. *Vidit hominem* non videntem, sed *caecum;* videt ipse, qui *est Deus vivens* [61*] et videns; nos caeci sumus, quia opera nostra non consideramus.

In Scriptura caecus figurat negligentes in servitio Dei.

Sed mirum est quod legimus: *Quis caecus, nisi servus meus?* [62] Quomodo nemo magis caecus est quam qui servit Deo? Utique quia non consideramus opera quae pro Dei servitio facimus. Si pictor pingat imaginem Christi aut Divinae Virginis ponendam in ecclesia alicuius villae, non magna utetur diligentia; at [si] opus faciat ponendum in sacello regali vel papali, summa diligentia utetur. O res summa miratione digna! Facit Deus opus pro homine, *et vidit cuncta quae fecerat,* summa cum diligentia considerat opera quae facit pro homine, et homo inconsiderate facit opera in servitium Dei! Haec magna est caecitas: *Quis caecus, nisi servus meus?*

Adorare Christum significat humilem et religiosam vitam ducere in obsequium Christi;

VIII. *Tu credis in Filium Dei?... Credo, Domine! Et procidens adoravit eum.* Si peteret Christus ab unoquoque nostrum: *Tu credis in Filium Dei?* Responderet unusquisque: *Credo, Domine!* Sed quid est quod non omnes procidentes adoramus Christum? Haec est vita hominis christiani: procidere et adorare, humiliare seipsum et exaltare Christum. Imo haec est vita etiam Sanctorum in coelis; hinc legimus in *Apocalypsi* quod viginti quattuor seniores mittebant coronas suas ante pedes suos et procidentes adorabant Christum. [63] Angelorum quoque haec vita est, nam inquit I o a n n e s quod *omnes Angeli stabant in circuitu throni... et ceciderunt... in facies suas et adoraverunt Deum.* [64] Sic sancti illi Magi, in quibus Ecclesia Gentium praefigurata fuit, cum invenissent Christum, *procidentes adoraverunt eum.* [65]

sed quia fides nostra debilis valde est,

Cur igitur, si nos vere credimus, non procidentes adoramus Christum, non humilem et religiosam vitam ducimus? Quia fidem habemus, sed mortuam. Ad vivendum non sufficit habere cibum et potum, opus est manducare et bibere cibumque retinere in stomacho, digerere; infirmo non sufficit habere medicinam, sed sumere opus est. Quid

61*) Dn 14, 24. 62) Is 42, 19. 63) Cf. 4, 4-10. 64) Ibid. 7, 11.
65) Mt 2, 11.

prodest militi, cum ab inimico impetitur, ensem habere in vagina et non educere illum ad defendendum seipsum et offendendum invasorem inimicum ? Nos fidem habemus, sed vix cogitamus unquam quae credimus. Hinc sic vivimus ac si nihil crederemus ; et quoniam non ruminamus, propterea immunda animalia secundum legem sumus.[66] Propterea inquit Ieremias: *Desolatione desolata est... terra, eo quod non est qui recogitet corde.*[67] Animalia illa sacra apud Ezechielem plena erant oculis ante et retro, omni ex parte.[68] Sic si homo vult esse currus Dei, necesse est ut totus plenus sit oculis considerationis ac meditationis praeteritorum, praesentium et futurorum operum Dei, et nostrorum etiam factorum. Caecus iste, postquam oculos accepit a Christo, *procidens adoravit eum.* Nos felices si illuminatos mentis oculos haberemus !

nec humiliter nec religiose vivimus.

IX. *Lutum fecit ex sputo et linivit... super oculos eius.*[69] Hoc collyrio Christus illuminavit caecum, quod aptius est ad excaecandum videntes. Sed sic ostendit Christus divinitatem suam, quae supra naturam est. Natura enim operari non potest nisi mediis convenientibus et aptis ad finem consequendum : si vult accendere ignem, non adhibet aquam et effundit super ligna, sed ligna sicca quaeruntur ad accendendum ignem ; et ad accendendam lucernam adhibetur oleum non vinum, ellychnium bombycinum, non virides radices herbarum. Sed Deus non eget mediis ad operandum qui ex nihilo omnia fecit : accendit perpetuam mundi lucernam, solem, absque oleo et ellychnio ; fabricavit magnum hoc mundi palatium templumque divinitatis sine lignis et lapidibus, absque ulla praeiacente materia.[70]

Hoc mirabili facto ostendit Christus se Deum esse, qui non eget mediis naturaliter idoneis ad operandum,

Sic Christus tanquam divinus medicus absque ullis medicamentis nedum multis infirmis sanitatem,[71] sed etiam mortuis vitam in ictu oculi dedit.[72] Hodie vero aliud se posse ostendit, nempe mediis contrariis uti ad consequendum finem, veluti si medicus vellet sanare infirmum et daret ei toxicum et venenum, quod aptum est potius occidere quam sanare, vel si veneno infecto loco antidoti et theriacae potentius daret venenum morsibusque viperinis exponeret. Et tamen

quin imo contrariis utitur ad consequendum finem,

66) Cf. Lv 11, 26. 67) 12, 11. Vulg.: *Quia nullus est*, etc. 68) Cf. 1, 18; 10, 12. 69) Io 9, 6. Vulg.: *Fecit lutum*, etc. 70) Cf. Gn 1, 1 sqq. 71) Cf. Mt 8, 17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 14, 14; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 72) Cf. Mt 9, 18-25; 11, 5; Lc 7, 11-15; Io 11, 41-44.

sic Christus facit hodie, sicut Elias rogabat Deum ut ignem accenderet ad comburendum sacrificium, et ipse aquam super ligna copiosam semel, bis et tertio infundi fecit, ita ut natarent ligna in aqua; et tamen Deus ignem de coelo misit et ligna illa non tantum accendit, sed etiam uno momento cum carnibus sacrificii, imo cum lapidibus altaris consumpsit; [72a] et sicut volebat Deus dare Abrahae numerosam posteritatem, et dedit ei uxorem sterilem sterilisque permansit usque ad decrepitam senectutem; deinde, cum nonagenaria esset, dedit ei filium; [73] sterilitas autem et senectus media sunt contraria ad sobolem procreandam. Volebat exaltare Ioseph patriarcham mundique principem constituere, et prius humiliat efficitque vile mancipium in carcere, in compedibus et catenis; [74] volebat ut Pharao rex Aegypti liberum dimitteret Israelem, et mittit pro legato Moysen, pastorem humilem, qui vix loqui sciebat [75] eumque ineloquentiorem facit, unde ait: *Non sum eloquens... et ex quo locutus es ad servum tuum impeditioris et tardioris linguae sum;* [76] volebat liberare Hebraeos de servitute Madianitarum, qui contra Hebraeos numerosissimas ac pene innumerabiles copias collegerant, et ad hoc eligit Gedeonem virum agricolam, nec vult ut cum exercitu pergat contra Madian, sed tantum cum trecentis viris inermibus. [77] Sic saepe ostendit Deus posse contrariis mediis consequi quod cupit. Propterea Christus hodie luto caecum illuminavit.

ut saepissime demonstravit.

X. Est autem hodiernum hoc miraculum triplici ratione supra modum mirabile. Primo, ratione facti, quia: *A saeculo non est auditum quod aperuerit quis oculos caeci nati;* secundo, ratione modi, quia: *Lutum fecit ex sputo et linivit... oculos* caeci; tertio, ratione agentis, quia Christus non praesens corpore, sed absens miraculum hoc operatus fuit, nam ad piscinam Siloe, Christo absente, lumen oculosque recepit.

Miraculum hodiernum mirabile est ratione facti, modi et agentis;

Quoniam vero corporalis haec illuminatio spiritualis illuminationis symbolum extitit, nam Christus hunc, quem prius corpore illuminarat, mente illuminat dicens: *Tu credis in Filium Dei?* nam: *Vidisti eum*

figurat autem illuminationem mundi infidelis,

72a) Cf. 3 Rg 18, 30-38. 73) Cf. Gn 15, 3-5; 16, 1; 18, 10-14; 21, 1-2. 74) Cf. ibid. 39, 1-20; 41, 37-45; Ps 104, 17-22. 75) Cf. Ex 3, 1-14. 76) Ibid. 4, 10. 77) Cf. Idc 7, 7-25.

quae mirabilis fuit *a*) ratione facti,

et qui loquitur tecum ipse est; similiter spiritualis mundi infidelis illuminatio triplici ex capite mirabilis supra modum fuit. Primo, ratione facti ; maius enim miraculum est illuminare oculos mentis a caecitate infidelitatis et ignorantiae Dei divinarumque rerum, quam caecitatis tenebras ab oculis corporis tergere. Sicut enim non potest quis caeco a nativitate, qui nunquam lumen vidit, demonstrare quidnam sit lux, ita nec infideli potest fidei veritas demonstrari.

mundus enim illuminatus fuit a maxima caecitate spirituali, quam nullus Prophetarum curare potuit;

Erat mundus adeo caecus ut noctem poneret pro die, tenebras pro luce, ut diabolum pro vero Deo adoraret et turpissima vitia, homicidia, adulteria, stupra diis suis gratissima sacrificia existimaret, pro summa religione ducens filios et filias suas daemoniis sacrificare et in sacrificiis Priapi et Veneris turpissimas libidines publice exercere,[78] Deum verum autem omnino ignorabat. Nunc autem, sicut caecus corpore illuminatus videt solem, lunam, astra, coelum, mare, terram *et omnia quae in eis sunt,*[79] sic mundus cognoscit Deum, non tantum creatorem coeli et terrae universique regem et rectorem, sed etiam auctorem naturae, fontem gratiae, patrem gloriae Deumque unumque et trinum confitetur ; cognoscit etiam voluntatem Dei, quae Deo placent, quae displicent, quae verae sunt virtutes, quae vitia, quae bona opera, quae mala ; cognoscit virtutum et vitiorum praemia et poenas, temporalia et aeterna ; novit quid credendum, quid sperandum, quid diligendum, quid agendum, quid fugiendum ; videt in coelo Deum, Angelos, Sanctos, gloriam paradisi, vitam aeternam ; in terra Ecclesiam, Sacramenta, opera Christi merita et exempla Sanctorum ; sub terra infernum, daemones, supplicia, animas damnatorum, poenas Purgatorii. Sic illuminatus est mundus, mirabile opus quod nec Moyses, nec Elias, nec Patriarchae, nec Prophetae facere potuerunt.

b) ratione modi, quia illuminatus praedicatione Crucifixi;

Sed si mirabile opus est, multo mirabilior est modus, quia luto illuminatus est caecus iste. Quid vilius luto ? *Praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum Gentibus autem stultitiam;*[80] et quoniam *non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit* ei *per stul-*

78) De his turpibus et crudelibus sacrificiis, cf. Tertullianus *Apologeticus*, cp. 9, (P. L. 1, 314-327); Minucius Felix *Dialogus*, cp. 24, ibid. 3, 312-315; Alph. Tostatus *Comment. in Exodum*, cp. 20, q. 50, t. 2, pag. 362-363; *In Deuteronomium*, cp. 7, q. 3, t. 5. pag. 63; *In Tertium Regum*, cp. 15, q. 11-12, t. 9, pag. 236-238.

79) Ps 95, 12; 145, 6.

80) 1 Cor 1, 23.

titiam crucis salvos facere credentes. [81] Credere quod homo infami patibulo tanquam latro et scelerosus suspensus cum latronibus sit Filius Dei et verus Deus, nil hac fide stultius videbatur mundo, et tamen hoc luto illuminatus est mundus.

Tandem, ratione agentis. Non praesens Christus, sed absens miraculum istud operatur. Si Christus in persona Evangelium Gentibus praedicasset operatusque apud Gentes fuisset miracula, quae apud Iudaeos fecit, non fuisset mirum si Gentes credidissent in eum. At nonnisi Iudaeis praedicavit Christus, Gentibus autem nonnisi post eius ascensionem in coelum praedicatum fuit Evangelium. Christus ergo absens corpore illuminavit hunc caecum luto ad piscinam Siloe : Ite, *docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* [82]

c) ratione agentis, quia illuminatus Christo in coelis sedente.

XI. *Tu credis in Filium Dei?* Proprium Dei est non tantum facere, sed etiam perficere opera sua : *Dei perfecta sunt opera;* [83] hinc non tantum legimus quod *creavit Deus coelum et terram*, sed etiam quod perfecit : *Perfecti sunt coeli et terra et omnis ornatus eorum; complevitque Deus die septimo opus suum.* [84] Sic Christus perfecta miracula faciebat, omnes infirmos, quos sanabat corpore, sanabat et mente : *Totum hominem sanum feci in sabbato.* [85] Cum autem caecum hunc corpore tantum illuminasset, voluit illuminare et mente ut perfectum esset miraculum. Sic pii omnes non solum satagunt bene agere, bona opera facere, sed etiam perficere. Sic Salomon complevit templum Domini anno septimo ; [86] sic David nunquam quievit, donec arcam Dei in domum suam, in locum quem ei paraverat induxit. [87] Mali autem nonnisi quae carnis et mundi sunt perficere satagunt, civitatem et turrim Babel, a quo opere nonnisi Deo impediente desistunt. [88]

Christus sanans corpora sanabat etiam spiritus, quia perfecta miracula faciebat.

Tu credis in Filium Dei? Illuminavit Christus hunc caecum, illuminatum exercuit, exercitatum gravi adversitate consolatus est. Illuminavit mirabili et secretissimo artificio lutum ponens super oculos ipsius. Lutum in manu Christi lux est ; serpens in manu Moysi virga est virtutis Dei. [89] Lutum hoc multa significat : primo, mysterium in-

Lutum hoc mystice significat incarnationem et passionem Christi.

81) Ibid. vr. 21. Vulg.: *Per stultitiam praedicationis*, etc. 82) Mt 28, 19.
83) Dt 32, 4. 84) Gn 2, 1-2. 85) Io 7, 23. Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 3, q. 44, a. 3, ad 3. 86) Cf. 3 Rg 6, 38. 87) Cf. 2 Rg 6, 1-18. 88) Cf. Gn 11, 1-8.
89) Cf. Ex 4, 2-3.

carnationis et passionis Christi ob infinitam humilitatem Filii Dei, qua exinanivit semetipsum; [90] secundo, mysterium creationis nostrae, nam : *Formavit... Dominus Deus hominem de limo terrae,* [91] consideratione autem beneficiorum Dei mens illuminatur; tertio, significat vilitatem conditionis nostrae, maxime in morte; hoc luto voluit Deus illuminare hominem post peccatum : *Donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris;* [92] quarto, significat vilitatem peccati; hoc luto Nathan illuminavit oculos David, [93] et propterea Deus saepe improperat peccata et scelera per Prophetas; quinto, significat tribulationes; hoc luto Deus saepe illuminavit populum hebraeum a caecitate idololatriae immittendo tribulationes; [94] sexto tandem, significat virtutem humilitatis, quae basis et fundamentum est totius spiritualis aedificii : *Credo, Domine! Et procidens adoravit eum.*

beneficium creationis nostrae, mortem, vilitatem peccati, tribulationes, virtutem humilitatis.

Statim autem ut divina Christi virtute magno miraculo caecus iste illuminatus est, mota est contra eum fortuna et tempestas persecutionis : *Omnes qui volunt pie vivere in Christo Iesu persecutionem patiuntur.* [95] Sicut ante corporalem illuminationem posuit Christus materiale lutum super oculos ipsius, in quo probata est ipsius patientia, nec quicquam reclamavit cum Naaman syro, [96] sic ante spiritualem illuminationem posuit super oculos ipsius spirituale lutum persecutionis, qua a Iudaeis maledictus iniuriisque affectus, de synagoga eiectus fuit. [97] Populus Dei in Aegypto in principio conversionis suae gravissimam a Pharaone persecutionem perpessus fuit [98] et post transitum maris ad aquas Mara tentatus fuit. [99] Sed Deus amarissimas illas aquas dulcissimas effecit et insuper manna de coelo illis pluit. [100] Ita Christus consolatur hodie afflictum suum coronatque eum, quoniam legitime certavit. Sicut Deus Samsonem lassum a pugna contra Philisthaeos, qua ex eis mille occidit, consolatus fuit aperiens fontem ex mandibula asini, [101] et Eliam lassum ab itinere, post persecutiones Iezabelis consolatus fuit apparens ei in spelunca montis Horeb, [102] et post diuturnam peregrinationem in deserto populum suum in terram

Omnes servos Christi multa pati oportet, quia proprium Dei est prius humiliare et dein exaltare.

90) Cf. Phil 2, 7. 91) Gn 2, 7. 92) Ibid. 3, 19. 93) Cf. 2 Rg 12, 1-14. 94) Cf. Ps 77, 56-64; 104, 35-42. 95) 2 Tim 3, 12. Vulg.: *Qui pie volunt... patientur.* 96) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 97) Cf. Io 9, 28-34. 98) Cf. Ex 5, 6 sqq. 99) Cf. ibid. 15, 22-25. 100) Cf. ibid. 16, 4 sqq. 101) Cf. Idc 15, 14-19. 102) Cf. 3 Rg 19, 1-14.

promissionis introduxit, [103] Davidemque post multas persecutiones Saulis regem constituit, [104] sic illuminatum post tribulationem consolatus est. Hoc enim proprium Dei est.

XII. *Lutum fecit ex sputo et linivit... oculos eius et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloe... Et abiit et lavit et venit videns.* [105] Multis Deus usus est mediis ad illuminandas caecas hominum mentes ab initio saeculi. Hodie luto et aqua usus est. Ad illuminandum Paulum etiam caecitate usus est, excaecavit enim illum prius et postea illuminavit; [106] sicut etiam in caeco hoc hodierno fecit, nam prius lutum ponens super oculos ipsius veluti magis excaecavit. Voluit illuminare Aegyptios, ut verum Deum cognoscerent, tenebris palpabilibus, Hebraeos autem clarissima luce. [107] Sicut coelesti stella Magos illuminavit, ut Christum natum agnoscerent et procidentes adorarent. [108] Alios caecos Christus solo verbo illuminavit, ut Bartimaeum in Iericho dicens: Respice. Et statim vidit. [109]

Multis mediis utitur Deus ad illuminandas mentes, sicut multis usus est ad illuminandos caecos;

Hunc autem luto humiliationis voluit illuminare. Vide, homo, si quando Deus lutum ponit tibi super faciem tuam, si faciem tuam implet ignominia, hoc ideo facit ut quaeras nomen Dei. [110] Non posuisset Dominus super oculos hominis istius lutum, nisi caecus fuisset, et nisi tu in peccati caecitate viveres, non immitteret tibi Deus tribulationes. Nathan lutum posuit super faciem David, cum illum arguit de peccato suo. Utinam tu caecum hunc imiteris! Patienter permisit ut Christus lutum poneret super oculos suos, deinde ad Christi vocem abiit et lavit in natatoria Siloe, et sic divinitus factum est ut aquae illae non tantum lutum, sed etiam tenebras ab oculis tergerent. Sic tu, cum sentis manum Dei quae lutum tribulationis et humiliationis ponit super faciem tuam ad curandam caecitatem tuam, cognosce causam facti, quod peccati caecitas est; sustine patienter, *vade ad natatoriam Siloe,* ad Poenitentiae sacramentum, quod veluti alter Baptismus est, quia sic Deus, remota causa, removebit effectum et lutum et caecitatem absterget. Sicut legimus de David; statim enim ut cognovit peccatum

hodiernum illuminavit lutum adhibendo,

quod figurat humiliationem et tribulationem immissam ob peccatum.

103) Cf. Ios 1, 1-5. 104) Cf. 1 Rg 27, 1; 2 Rg 12, 7-8. 105) Io 9, 6-7. Vulg.: *Abiit ergo et lavit,* etc. 106) Cf. Act 9, 1-18. 107) Cf. Ex 10, 21-23. 108) Cf. Mt 2, 2-11. 109) Cf. Mc 10, 46 sqq.; Lc 18, 35 sqq. 110) Cf. Ps 82, 17.

suum et confessus fuit Nathan prophetae, audivit : *Dominus ... transtulit peccatum tuum: non morieris.* [111]

Variis modis Christus multos caecos illuminavit,

Multos caecos legimus a Domino illuminatos, sed non omnes uno et eodem modo. Alios Dominus solo verbo illuminavit, sic enim Bartimaeus ille filius Timaei prope Iericho illuminatus fuit, dicente Domino : *Respice, fides tua te salvum fecit.* [112] Alios legimus illuminatos solo tactu, ut illi duo caeci quos, post suscitationem filiae archisynagogi Iairi, [113] Dominus illuminavit tangens eorum oculos et dicens : *Secundum fidem vestram fiat vobis.* [114] Alios illuminavit non tantum tangens oculos, sed etiam expuens super oculos, ut caecus ille quem Dominus extra Bethsaidam eductum illuminavit, primo imperfecte, quia videbat homines veluti arbores, hoc est non plene discernens formas et figuras, et postea iterum tangens ipsius oculos perfecte illuminavit. [115] Tandem caecum hodiernum multis adhibitis caeremoniis illuminavit ad multa mysteria designanda, alioquin solo verbo et voluntatis nutu illuminare potuisset.

quia maxime ex caecorum illuminatione agnoscendus erat Messias *lux mundi.*

Sciendum autem quod ex caecorum illuminatione vel maxime agnoscendus erat verus Messias, iuxta divina Prophetarum oracula. Sic saepe I s a i a s ait ; primo quidem capite 29 : *Audient in die illa surdi verba libri et de tenebris et caligine oculi caecorum videbunt.* [116] Item capite 35 : *Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt.* [117] Capite 42 : *Dedi te in foedus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos caecorum et educeres ... de domo carceris sedentes in tenebris;* [118] et capite eodem : *Ducam caecos in viam quam nesciunt ... ponam tenebras coram eis in lucem.* [119] Hinc Dominus Ioanni per legatos quaerenti : *Tu es qui venturus es, an alium expectamus ?* respondit : *Caeci vident ... surdi audiunt.* [120] Et ad hoc Dominus hodiernum miraculum operatus fuit, ut agnosceretur Filius Dei, verus Messias : *Tu credis in Filium Dei ?* Hoc futurum erat speciale Christi opus, illuminare caecos. Hinc in hodierno Evangelio dicitur *lux mundi: Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* [121]

Si igitur hoc speciale Christi opus futurum erat caecum mundum illuminare, videamus, quaeso, fratres, an nos vere illuminati simus,

111) 2 Rg 12, 13. 112) Mc 10, 52. Vulg.: *Vade, fides tua, etc.* 113) Cf. Mt 9, 18-26. 114) Ibid. vr. 29. 115) Cf. Mc 8, 22-26. 116) Vr. 18. 117) Vrr. 4-5. 118) Vrr. 6-7. 119) Vr. 16. 120) Mt 11, 3-5; Lc 7, 19-22. 121) Io 9, 5.

ne simus tanquam statuae et idola, quae oculos habent et non vident, aures habent et non audiunt,[122] nam Isaias ait: *Educ foras*, idest eice, expelle, *populum caecum et oculos habentem; surdum et aures ei sunt.*[123] Hoc est: quisquis oculos habens non videt et aures habens non audit, in tenebras exteriores mittetur,[124] in tenebras quae sunt extra regnum Dei, quod totum lux est.

Si ergo hoc speciale Christi opus erat, videamus an nos caeci simus.

Signa caecitatis spiritualis sunt vitia sequi

Dicetis: Quomodo cognoscere possumus an vere spiritu caeci simus? Divus Petrus ait: *Cui... non praesto sunt haec*, scilicet virtutes sanctae, *caecus est et manu palpans.*[125] Vitia excaecant homines. Dominus per Oseam ait: *Fornicatio... vinum et ebrietas auferunt cor*, idest privant hominem recto iudicio et sano intellectu sanaque mente, excaecant homines; hoc est enim quod sequitur: *Populus meus in ligno suo interrogabit et baculus eius respondebit ei; spiritus enim fornicationis decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo.*[126] Caecum describit qui baculo veluti duce utitur ambulans per viam; baculum enim veluti interrogat quaenam sit bona et secura via, absque scandalo, et baculus veluti respondet ei. Baculus, cui mundus innititur, temporalis substantia est. Hinc in *Levitico* legimus: *Cum confregero baculum panis vestri;*[127] Et apud Isaiam ubi legimus: *Ecce... dominator Dominus exercituum auferet a Ierusalem et a Iuda validum et fortem, omne robur panis et omne robur aquae,*[128] hebraice legitur: *Auferet baculum et baculum, omnem baculum panis et omnem baculum aquae.* Qui igitur sic vivit ut nonnisi baculum hunc consulat et interroget, ut non faciat aut fugiat nisi quae sensus carnis et avaritia facienda vel fugienda suaserit, hic caecus est a Christo minime illuminatus. Sed, bone Deus, quid ait: *Populus meus*, non unus homo aut decem vel viginti aut centum, sed *populus meus in ligno suo interrogabit et baculus eius respondebit ei? Spiritus enim fornicationis*, idest idololatriae, *decepit eos*, sensus carnis et avaritia, quae *est idolorum servitus,*[129] et *quorum deus venter est.*[130]

et bona mundana quaerere.

122) Cf. Ps 113, 5-6; 134, 16-17. 123) 43, 8. 124) Cf. Mt 8, 12; 22, 13; 25, 30. 125) 2 Petr 1, 9. Vulg.: *Manu tentans.* 126) 4, 11-12. Vulg.: *Interrogavit. . . . annuntiavit ei, spiritus enim fornicationum*, etc. 127) 26, 26. Vulg.: *Postquam confregero*, etc. 128) 3, 1. 129) Eph 5, 5. 130) Phil 3, 19.

III. ALIA HOMILIA

Praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate, etc. [1]

Exhibetur hodie veluti quaedam tragicomoedia in sex actus distincta;

I. Summa cum diligentia Ioannes in hodierno Evangelio describit illustrissimum miraculum a Christo hodie patratum in testimonium divinitatis suae. Repraesentatur autem nobis in Evangelio quasi tragicomoedia quaedam mirabilis in sex [2] actus distincta, sicut Moyses mundi creationem, distinctionem et ornatum in sex actus et sex dierum opera digessit : [3] *Me oportet operari opera eius qui misit me.* [4]

primus actus, illuminatio caeci;

In primo actu intrat in scenam Christus in habitu peregrini; introducitur homo caecus a nativitate; disciпuli etiam adducuntur admirantes caecitatem et causam requirentes ; redditur causa : *Ut manifestentur opera Dei in illo;* [5] et tandem repraesentatur Christus sub persona medici mirabile collyrium componentis eoque caeci oculos inungentis ad eum illuminandum.

secundus, multi admirantes factum;

In secundo actu introducitur caecus iam illuminatus ; introducuntur vicini et multi, qui caecum eum noverant, admirantes factum : *Nonne hic est* caecus ille *qui sedebat et mendicabat? Alii dicebant: Quia hic est; alii...: Nequaquam, sed similis ei est; ipse autem dicebat: Quia ego sum;* [6] narratque miraculi historiam.

tertius, Pharisaei inquirentes;

In tertio actu introducuntur Pharisaei sedentes pro tribunali, inquirentes et examinantes factum, satagentes obscurare tam illustre miraculum, odio in Christum excaecati : *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit,* [7] quia sabbatum erat quando lutum fecit. [8] *Alii... dicebant: Quomodo potest homo peccator haec signa facere?* [9] Caecus autem illuminatus testatur factum et personam laudat, agnoscit beneficium, laudat benefactorem grato et generoso animo existens; hinc dicebat : *Quia propheta est.* [10]

1) Io 9, 1. 2) Ms.: *Sed.* 3) Cf. Gn 1, 1-2; 1-2. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 75, introduct. 4) Io 9, 4. 5) Ibid. vr. 3. 6) Ibid. vrr. 8-9. Vulg.: *Similis e ei; ille vero dicebat*, etc. 7) Ibid. vr. 16. 8) Cf. ibid. vr. 14. 9) Ibid. vr. 16. 10) Ibid. vr. 17.

In quarto actu introducuntur parentes caeci illuminati coram tribunali Pharisaeorum et examinantur de filii caecitate, verane an ficta fuerit, et si vera, quomodo lucem receperit. Illi testantur caecitatis veritatem, quod ipsorum filius vere caecus natus sit. De tribus interrogati ad tria respondent : Nos *scimus quia hic est filius noster et quia caecus natus est;* [11] auctorem autem miraculi ignoramus. Timore perculsi noluerunt dicere quod a Christo esset illuminatus, ne excommunicarentur : *Iam enim conspiraverant ... ut si quis confiteretur eum Christum esse, extra synagogam fieret.* [12] Ex timore ergo circa tertium mentiti fuerunt, ne vel in suspicionem devenirent Pharisaei quod in Christum crederent.

quartus, parentes caeci coram tribunali;

In quinto actu iterum caecus illuminatus ad tribunal Pharisaeorum vocatur tentaturque ut Christi fidem abneget ; ipse autem animo multo constantiori confitetur et defendit, ita ut propterea magnam passus sit persecutionem et martyrium ob Christi fidem, a Pharisaeis conviciis lacessitus, maledictus et excommunicatus. [13]

quintus, caecus a Pharisaeis maledictus;

In sexto tandem actu introducitur Christus cum caeco illuminato; consolatur eum ; cum illuminasset corpore, nunc mente illuminat : *Tu credis in Filium Dei ? ... Credo, Domine ! Et procidens adoravit eum.* [14] Sic Ioannes sacrae huic tragicomoediae finem imponit.

sextus, caecus Christum adorans.

II. Nobis autem tria specialiter pertractanda sunt circa hodiernum Evangelium. Primo quidem, ea quae miraculum praecedunt, sive auctorem ipsius miraculi declarando ; secundo, veritatem et magnitudinem ipsius miraculi ; tertio, mysterium ipsius miraculi, quod est illuminatio per fidem : *Tu credis in Filium Dei ? ... Credo, Domine ! Et procidens adoravit eum.*

Tria mysteria specialiter consideranda sunt.

Quoad primum, antequam Christus divinum hoc miraculum operaretur, instituit sermonem de sua divinitate. Altissime volat hodie aquila Ioannis, quoniam ad probandam veritatem divinitatis Christi, qua ait : *Antequam Abraham fieret, ego sum,* [15] miraculum hoc factum demonstrat. Hinc prius loquitur de Christi divinitate : *Ut manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit*

Christus hodie *lux* dicitur,

11) Ibid. vr. 20. 12) Ibid. vr. 22. Vulg.: *Si quis eum confiteretur esse Christum*, etc.
13) Cf. ibid. vrr. 28-34. 14) Ibid. vrr. 35-38. 15) Ibid. 8, 58.

quia coaeternus, coaequalis et consubstantialis Patri,

me.. *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* [16] Lux divinitatis hieroglyphicum est: *Deus lux est et tenebrae in eo non sunt ullae.* [17] Lux spiritualis est : Deus spiritus est. Lux omnia implet sua magnitudine : Deus infinitus est. Lux omnia in natura operatur, magnae virtutis est : Deus omnipotens [est]. Lux suapte natura clarissima est, omnia manifestat : Deus ipsa sapientia est omnia cognoscens. Lux pulcherrima est et optima, mundum hunc ornat deliciisque afficit : Deus est ipsamet bonitas et pulcritudo : *Ego sum lux mundi;* [18] Deus, inquit, sum, *lux* de qua idem Ioannes ait : *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* [19] Tria ostendit de luce hac : aeternitatem, puritatem et magnitudinem. *Erat lux:* haec est aeternitas ; *lux vera:* haec puritas : *Tenebrae in eo non sunt ullae; illuminat omnem hominem. Erat lux vera,* de qua idem ait : *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet.* [20] Ubi ostendit Ioannes Verbum, quod *lux* dicitur, coaeternum, coaequale et consubstantiale Deo. O infinitam lucis huius magnitudinem! *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus [est] esse se aequalem Deo.* [21]

lux mundi tum visibilis tum invisibilis,

Subiungit autem Ioannes de hac luce quod in mundo erat archetypo : *Et mundus per ipsum factus est,* μακρόκοσμος, [22] *et mundus eum non cognovit,* [23] μικρόκοσμος. Christus est lux mundi archetypi, quia sapientia Dei, [24] *splendor gloriae et figura substantiae eius;* [25] lux mundi tum visibilis tum invisibilis. Lux corporea in coelo et elementis a Christo est : *Dixit... Deus: Fiat lux et facta est lux;* [26] lux spiritualis in Angelis a Christo est, quoniam ipse est sol paradisi. [27] Lux mundi : *Lux hominum... illuminat omnem hominem.* Homo consideratur in triplici statu : naturae, gratiae et gloriae. In natura est lumen sensus interni et externi, et lumen intellectus et mentis ; in statu gratiae lumen fidei et supernaturalis scientiae ; in statu gloriae lumen visionis divinae, lumen cognitionis matutinae et vespertinae. [28]

quia ab ipso est omne lumen gratiae et gloriae.

Omne lumen a Christo est : *Ego sum lux mundi; Resplenduit facies eius sicut sol;* [29] Dominus Deus *illuminabit eam et lucerna eius est*

16) Ibid. 9, 5. 17) 1 Io 1, 5. 18) Io 8, 12. 19) 1, 9. 20) Ibid. vrr. 4-5. 21) Phil 2, 6. 22) Ms.: *Macrocosmos*, et infra: *Microcosmos*. 23) Io 1, 10. 24) Cf. 1 Cor 1, 24. 30; Col 2, 3. 25) Hebr 1, 3. 26) Gn 1, 3. 27) Cf. Apc 21, 23-24; 22, 5. 28) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 58, a. 6-7. 29) Mt 17, 2.

Agnus.[30] Non reperitur aliud lumen in paradiso: *Ego sum lux mundi.* In testimonium talis tantaeque veritatis caecum hunc hodie divinitus illuminavit duplici lumine: exteriori in oculis corporis, et interiori mentis per fidem: *Credo, Domine! Et procidens adoravit eum.*

Christus luci comparatur, quia verus Deus est, comparatur etiam luto, quia homo crucifixus est.

Lux sum mundi. Sic saepe dicitur Dominus in Sacris Litteris: *Dedi te in lucem gentium;*[31] *Surge, illuminare... quia venit lux tua;*[32] *Erit... Dominus in lucem sempiternam.*[33] Nihil in mundo hoc corporeo luce nobilius est; sic est divina natura. Sed lutum etiam hoc Christum significat, Verbum incarnatum. Quid vilius luto? *Exinanivit semetipsum... humiliavit semetipsum... usque ad mortem... crucis,*[34] factus Iudaeis scandalum et Gentibus stultitia, cum vere esset Dei virtus et sapientia, ut *per stultitiam crucis salvos faceret credentes,*[35] sicque cognosceremus thesauros divinae erga nos caritatis et misericordiae. Ex hac enim cognitione oritur fides, ex fide religio, hinc meritum divini cultus, cui debetur praemium vitae aeternae. Cognito Christo, ait: *Credo, Domine,* etc.

30) Apc 21, 23. Vulg.: *Illuminavit*, etc. *Illuminabit* lect. cod. 31) Is 49, 6. 32) Ibid. 60, 1. Vulg.: *Venit lumen tuum.* 33) Ibid. vr. 19. 34) Phil 2, 7-8. Vulg.: *Semetipsum exinanivit*, etc. 35) 1 Cor 1, 21-24. Vulg.: *Per stultitiam praedicationis salvos*, etc.

FERIA QUINTA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

Hodie ostenditur Christi imperium supra mortem tum corporis tum animae.

I. Excitatur homo gravi somno oppressus cum iacet veluti mortuus – somnus enim est mortis imago,[1] – apertis fenestris ut lux diurna et solaris ingrediatur ad feriendum eius oculos, vel voce clamando eiusque aures feriendo, vel tactu accedendo ac lectum dormientemque commovendo, sic enim Angelus dormientem Petrum excitavit ; astitit enim ei Angelus Domini *et lumen refulsit in habitaculo* carceris, *percussoque latere Petri, excitavit illum dicens: Surge velociter.*[2] Christus autem, cui mors levissimus somnus est, a somno mortis sic excitavit hodie mortuum adolescentem luce oculorum suorum, vidit enim defunctum extra civitatem efferri ; tactu, nam : *Accessit et tetigit loculum;* voce dicens : *Adolescens, tibi dico, surge,* et sic a somno mortis excitatus fuit : Statim *resedit qui fuerat mortuus.*[2a] Ubi clare conspicimus absolutum Christi imperium supra mortem ; imperiose enim praecipit et statim obeditur ; imperium autem habet supra mortem tum corporis tum animae.

Ibat Iesus in civitatem, quae vocatur Naim, et ibant cum eo discipuli eius et turba copiosa. Et dum appropinquaret, etc.[3]

Ex suscitatione filii viduae naimitidis

II. Elias, vir ille divinus, motus lacrimis viduae sareptanae, cui impia et crudelis mors unicum filium abstulerat et quasi fera pessima devoraverat,[4] tulit mortuum puerum, posuit super lectum suum, expandit se super eum tribus vicibus, oravit ad Deum et sua oratione mortuo

1) Ex Ovid. *Amorum.* lib. 2, eleg. 9, vr. 41. 2) Act 12, 7. Vulg.: *Excitavit eum,* etc. 2a) Lc 7, 14-15. Vulg.: *Qui erat mortuus.* 3) Pericope huius diei Lc 7, 11-16. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Cum autem appropinquaret,* etc. 4) Cf. Gn 37, 33.

vitam impetravit suscitatumque puerum tulit et dedit matri ; unde agnitus fuit verus propheta Dei.[5] Sic hodie Christus videns unicum filium venerandae huius viduae naimitis, misericordia motus accedit ad loculum suscitatque mortuum, unde verus agnoscitur Propheta divinus ; turbae enim admirantes atque stupentes, viso miraculo, dixerunt : *Propheta magnus surrexit in nobis et quia Deus visitavit plebem suam.*[6]

Christus agnoscitur verus Dei propheta et Messias;

Duo dicunt turbae : *Propheta magnus surrexit in nobis*, et : *Deus visitavit plebem suam.* Christus enim homo propheta et verus Deus est ; nam ad mortuum suscitandum non sufficit vis universae naturae, terrae, coeli et omnium quae in eis sunt, nec etiam ipsorum Angelorum virtus, sed supernaturalis et divina virtus requiritur ; solus Deus mundi creator id potest solo voluntatis nutu, solo verbo. Sic Christus.

Messias enim futurus erat homo propheta et verus Deus.

Sed Elias suscitavit mortuum illum orando : *Domine Deus . . . revertatur, obsecro, anima pueri huius in viscera eius. Et exaudivit Dominus vocem Eliae et reversa est anima pueri in viscera eius et revixit.*[7] Sed Christus imperando : *Adolescens, tibi dico, surge*, tanquam Deus omnipotens non tantum nominetenus, sicut Elias,[8] sed tanquam revera omnipotens Deus, imperium habens vitae et mortis, ut verus auctor, conservator et reparator naturae ; nec tantum naturae, verum etiam gratiae. Hinc enim adolescenti defuncto hodie Christus duplicem vitam donat : et corporalem et spiritualem, et naturalem et supernaturalem, et animalem et angelicam.

Christus solo imperio suscitavit mortuum ad vitam naturalem et supernaturalem.

III. Deus enim sicut hominem creavit duplici natura constantem,[9] ita duplicem vitam eum ducere voluit : et animalem et angelicam ; hinc duplicem formam contulit : animam, quae forma est corporis ad vitam naturalem ducendam, et gratiam Spiritus Sancti una cum ipso Spiritu Sancto, tanquam formam spiritus nostri ad ducendam vitam supernaturalem, angelicam et divinam. Et quoad utranque vitam Deus hominem condidit immortalem ut mori non posset, vel ut melius dicam, ut posset non mori, ut non cogeretur mori.

Homo duplici vita constat : animali et angelica, quoad et utranque immortalis creatus fuit.

Homo enim quadruplici via mori suapte natura potest : vel per infirmitatem, dissoluta harmonia humorum et dissoluta complexione

5) Cf. 3 Rg 17, 17-24. 6) Lc 7, 16. 7) 3 Rg 17, 21-22. Vulg.: *Pueri intra eum*, etc.
8) *Elias* enim interpretatur d i v i n u s s a l v a t o r. 9) Cf. Gn 2, 7.

Quoad vitam corporalem homo mori potest infirmitate, inedia, senectute, laedente extrinseco;

consistente in proportione et concordia contrariarum qualitatum. Vel mori potest ex defectu nutrimenti, unde extingui necesse est calorem vitalem, sicut extinguitur lampas deficiente oleo, sic fame sitique perit homo. Tertio, per decrepitam senectutem, quae provenit ex debilitate caloris naturalis; nam omne agens in agendo repatitur et patiendo debilitatur, sic naturalis calor fit in dies semper debilior et impotentior ad bene digerendum et semper in dies humor nutrimentalis, qui per digestionem subministratur et suppeditatur ne deficiat humor primigenius et radicalis, semper peior est et corruptior; hinc fiunt carnes et humores corruptiores, veluti si vas plenum sit optimo vino, ex quo tamen quotidie, si phialam attingas tantumdem aquae infundens in dolium, fit semper vinum illud imperfectius et tandem totum aquosum, ut non habeat amplius vim convertendi aquam in vinum. Quarto tandem, homo mori potest a laedente extrinseco peremptus: igne, aqua, ligno, ferro, lapide et aliis huiuscemodi gravissime laesus.

sed in paradiso terrestri Deus contra haec providerat iustitiam originalem,

Per has igitur quattuor portas ingredi poterat mors in paradisum terrestrem et hominem occupare suique iuris facere. Deus autem portas has clausit clavesque in manus ipsius hominis dedit ut, si ipse aperire noluisset, nunquam mors ingredi quovis pacto potuisset. Contra primum enim erat remedium iustitiae originalis, quae semper optimam illam complexionem veluti iustitiae aequalis ad pondus,[10] in qua Deus humanum corpus formaverat, perpetuo conservabat, adeo ut optima illa harmonia humorum et qualitatum dissolvi non posset.[10a] Contra secundum providerat Deus cibos optimos et copiosissimos in paradiso ne unquam homo fame perire posset aut siti, erat enim ibi flumen illud maximum optimarum aquarum,[11] ac sic clausa erat secunda haec mortis porta. Contra tertium posuit in paradiso lignum vitae,[12] cuius haec erat vis et proprietas a Deo divinitus indita ut primigenium radicalemque humorem integerrime restauraret,

optimos cibos,

arborem vitae,

10) De hac quaestione cf. Conimbricenses *De Generatione et Corruptione*, cp. 8, q. 2, a. 1. Dicitur *temperamentum ad pondus*, quando est omnino aequale, quasi aequo pondere libratum, in quo nimirum omnes quattuor qualitates: siccitas, humiditas, frigiditas, caliditas, paribus a medio intervallis coeunt et nunquam excedit ulla alteram. E contra dicitur *temperamentum ad iustitiam*, quando pondus hoc aequale non est, seu quando temperamentum concretum existit disparibus qualitatum portionibus. Cf. etiam Boyvin *Philosophia Scoti*, *Physicae*, part. 2, cp. 3, *De Elementorum Mixtione*, q. 4, t. 3, pag. 594, not. 3. 10a) Ms.: *Poterat*.
11) Cf. Gn 2, 10. 12) Cf. ibid. vr. 9.

cibus facillimae digestionis, optimi et perfectissimi succi ac nutrimenti, qui semper in eodem veluti perfectionis gradu conservabat tum vitalem naturalemque calorem tum primigenium et radicalem humorem, ut non cogeretur homo senescere, sed semper in eodem iuventutis flore perseverare, sicut in paradiso perpetuum ver fuisset cum autumni fructibus. Et tandem contra quartum, ne a laedente extrinseco moreretur dedit homini summam scientiam atque prudentiam, dedit ei custodiam angelicam et Deus ipse providentia sua ipsius hominis summam curam tanquam optimus pater habebat. Sic omnis aditus omnisque via morti praeclusa erat, in paradisum ingredi nullo modo potuisset nisi ipse homo sua sponte ei aperuisset aditumque dedisset.

summam scientiam homini collatam, custodiam angelicam et divinam providentiam.

Nec tantum corporeae morti Deus aditum omnem praeclusit, sed etiam spirituali. Peccare poterat homo vel per fragilitatem carnis, exaestuante concupiscentia, vel per ignorantiam mentis, vel per malitiam pravae voluntatis, vel tandem per diabolicas suggestiones et tentationes. Contra primum dedit iustitiam originalem, quae carnem spiritui subiectam tenebat sensumque rationi subditum, absque ulla contradictione, adeo quod non concupiscebat tunc caro adversus spiritum, [13] non repugnabat lex membrorum legi mentis et Dei ; [14] contra secundum dedit homini scientias omnes tum naturales tum supernaturales et divinas ; [15] contra tertium dedit gratiam Spiritus Sancti cum omnibus virtutibus et donis ipsius ; et contra quartum dedit homini magnam prudentiam cum optima scientia, dedit angelicam custodiam et divinum auxilium.

Quoad vitam spiritualem homo mori potest fragilitate, ignorantia, malitia, diabolica tentatione;

sed contra haec Deus dederat iustitiam originalem, scientiam supernaturalem, gratiam, angelicam custodiam et divinum auxilium,

IV. Verum enimvero, quoniam per quartam hanc portam ingressa est in hominem mors spiritualis, haec causa fuit corporalis mortis : *Ecce defunctus efferebatur.* [16] Homo per peccatum in spiritu mortuus de paradiso eiectus a Deo fuit. [17] Sic effertur defunctus adolescens extra Naim, quae i u c u n d i t a s interpretatur. Paradisus autem quid nisi iucunditas summe delectabilis est ? *Defunctus efferebatur filius unicus matris suae.* [18]

Defunctus hic figura est generis humani lapsi et e paradiso eiecti;

Universalis natura veluti mater nostra est, ex cuius visceribus et purioribus partibus Deus hominem formavit. Formatur enim homo

13) Cf. Gal 5, 17. 14) Cf. Rom 7, 23. 15) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1, q. 94, a. 3.
16) Lc 7, 12. 17) Cf. Gn 3, 23 sq. 18) Lc 7, 12.

mater autem flens figura coelestis Ierusalem plorantis ob peccatum hominis.

ex purioribus partibus elementorum, concurrentibus purioribus influxibus coeli una cum angelica mente et intelligentia, quae est suprema pars hominis, qua ab animalibus differt. Hinc suprema universi pars dicta est a Paulo *mater nostra : Illa autem, quae sursum est Ierusalem, libera est, quae est mater nostra.* [19] Haec mater est quae flet hodie unicum filium adolescentem defunctum. Si enim *gaudium in coelo est super uno peccatore poenitentiam agente,* [20] cum peccavit Adam seipsumque cum universo genere humano damnavit, non potuit non summa esse in coelo tristitia, quoniam defunctus hic unicus filius erat. Unum enim tantum hominem Deus creavit, non plures sicut Angelos in paradiso et stellas in coelo.

Si ante peccatum filii nati fuissent, genus humanum non periisset.

Et adolescens hic erat sine liberis ; mater cum eo universam quam sperabat posteritatem amiserat. Peccavit homo cum nondum filios in statu innocentiae procreasset, nam si in statu illo filii procreati fuissent, non periisset propter illud peccatum universum genus humanum, innocentes enim filii salvati fuissent. *Et haec vidua erat.* [21] Iam determinaverat Deus alium hominem se creare nolle, hinc summi causa doloris: *Adolescens ... filius unicus ... et haec vidua erat.* Sed cum vidisset Dominus matrem hanc nostram summo dolore affectam, *misericordia motus ... dixit ei :* Mulier, *noli flere.*

Tactu loculi passionem et mortem suam Christus significavit, quorum meritis homo salvatur.

Tunc *accessit et tetigit loculum et dixit: Adolescens, tibi dico, surge.* [22] Tactus iste loculi Christi passionem et mortem designat. Divus Ioannes inquit quod Christus *occisus est ab origine mundi.* [23] Sic ex praevisione infiniti meriti passionis et mortis Christi salvatus est homo, suscitatus est adolescens. Hinc in ipsius mundi origine legimus Abel adolescentem quidem, sed iustum Deoque placentem. [24] Christus igitur quatenus Deus est imperat morti : *Adolescens, tibi dico, surge ;* sed quatenus homo ob passionem et mortem suam meruit nobis revocationem ad vitam.

Iuvenis defunctus Christum etiam designat,

Nam et exemplar quoddam mortis Christi, qua nobis vitam meruit, cernimus hodie : *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae, et haec vidua erat.* Sic utique Christus iuvenis filius unicus matris viduae mortuus fuit ; sed talem habuit Christus potestatem imperiumque

19) Gal 4, 26. 20) Lc 15, 7. 10. Vulg.: *Gaudium erit in coelo,* etc. 21) Ibid. 7, 12. 22) Ibid. vv. 13-14. Vulg.: *Dixit illi ... et ait,* etc. 23) Apc 13, 8. 24) Cf. Gn 4, 4; Hebr 11, 4.

supra mortem, ut etiam seipsum suscitare potuerit : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud ;* [25] *Sicut . . . fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.* [26] Habuit Christus et vivus et mortuus potestatem supra mortem et suam et aliorum hominum ; hinc et vivus suscitavit adolescentem hunc et filiam archisynagogi [27] et Lazarum, [28] et mortuus suscitavit seipsum ; nec tantum seipsum, sed etiam multos alios, nam : *Multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt, et . . . venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis.* [29] Sicut Eliseus propheta non tantum vivus mortuum suscitavit, [30] sed etiam mortuus occisum hominem revocavit ad vitam, [31] sic Christus et vivus et mortuus mortuos suscitavit divinitatis suae imperio. Ipse enim figulus ille est [32] apud I e r e m i a m , qui confractum vas integrum iterum reficit. [33] Vas erat adolescens iste morte confractum, sed a Christo integritati restitutum : *Adolescens, tibi dico, surge.*

qui tamen potestatem habuit in mortem suam et aliorum.

V. Sed *accessit et tetigit loculum.* Mors poena peccati est ; non tollitur poena nisi auferatur culpa ; non sanatur vulnus nisi extrahatur venenata sagitta ; coniectus in carcerem ob debitum non dimittitur liber nisi soluto debito ; qui venenum sumpsit, nisi evomat illud vel digerat, sanari minime potest ; non liberatur captivus liberque in patriam abire permittitur, nisi soluto conventionis pretio vel taxata pecunia. Sic, inquam, peccati poena dimitti nullo modo potest, nisi prius peccatum remissum sit uti iustitia exigit.

Mors, cum sit poena peccati, auferri nequit nisi prius auferatur culpa.

Hoc est quod Christus accedit et tangit loculum : pro peccatis nostris pati voluit Christus mortem crucis, ut nobis vitam donaret. Peccaverunt parentes nostri oculis, auribus, lingua, manibus pedibusque videntes et contemplantes vetitum lignum, audientes serpentis verba et blasphemias contra Deum, loquentes cum ipso serpente, accedentes ad lignum, accipientes ex eo. [34] Christus autem hodie oculis videt mortuum adolescentem et matrem flentem, audit voces et lamentationes ipsius, loquitur matri filioque : Mulier, *noli flere ; Ado-*

Christus ergo loculum tangens significavit vitam se nobis daturum esse patiendo et moriendo pro peccatis nostris.

25) Io 2, 19. 26) Mt 12, 40. Vulg.: *Sic erit*, etc. 27) Cf. ibid. 9, 18-25; Mc 5, 22-42. 28) Cf. Io 11, 1-44. 29) Cf. Mt 27, 52-53. 30) Cf. 4 Rg 4, 32-37. 31) Cf. ibid. 13, 20-21. 32) Ms.: *Est* bis ponitur. 33) Cf. 18, 2-6. 34) Cf. Gn 3, 1-6.

lescens, tibi dico, surge ; ambulat eundo in civitatem, accedendo ad loculum, manibus tangit loculum ; voluit adamussim ad unguem exactissime Christus peccato primorum parentum plenissime satisfacere : *Tetigit loculum.*

Quattuor Moyses de homine enarrat: statum innocentiae, tentationem, lapsum et poenas peccati,

M o y s e s de homine quattuor praecipue enarrat : primo statum innocentiae, [35] secundo diabolicam tentationem, tertio commissionem peccati et quarto poenam ob peccatum a Deo inflictam, poenam autem multarum calamitatum et tandem ipsius mortis. [36] Haec autem videntur esse mysteria illa quattuor equorum, quos in spiritu I o a n n e s in *Apocalypsi* vidisse se refert : primo equum album, secundo rufum, tertio nigrum et quarto pallidum. Qui sedebat super primum equum habebat in manu arcum et coronam in capite ; qui sedebat super secundum habebat in manu gladium magnum ad tollendam pacem de terra ; qui sedebat super tertium habebat stateram ad mensurandum triticum et hordeum ad libram, quod signum magnae penuriae et caritatis est ; et qui sedebat super quartum vocabatur *mors, et infernus sequebatur eum.* [37] Primus equus est innocentiae status, qui non plenae felicitatis et perfectae beatitudinis, ut in coelesti paradiso erat, sed certaminis et proelii contra diabolum. Secundus equus rufus diabolum crudelem et sanguinolentum significat : *Ille homicida erat ab initio,* [38] hinc gladium magnum habet ad tollendam pacem de terra. Tertius peccatum, quod privatio gratiae est sicut nigredo et obscuritas privatio est albedinis et lucis ; peccatum autem omnium bonorum caritatem summamque penuriam et inopiam inducit. Quartus tandem pallidus mortem ipsam designat, quam sequitur infernus; nam duplex est mors : temporalis et aeterna, quae dicitur *mors secunda.* [39] Mors autem post peccatum posita est, quia peccati poena hominibus est: Per peccatum introivit mors, et sic *in omnes homines mors pertransiit;* [40] non peccasset autem homo, nisi tentatus a diabolo fuisset; mors ergo a peccato et diabolo pendet ducitque originem. Christus autem tangit loculum, lignum feretri, accipit crucem contra diabolum et peccatum, ac sic destruit mortem : *Adolescens, tibi dico, surge.* Et statim *resedit qui fuerat mortuus.*

quae figurantur quattuor equis *Apocalypsis.*

35) Cf. ibid. 2, 25. 36) Cf. ibid. 3, 6 sqq. 37) 6, 2-8. 38) Io 8, 44.
39) Apc 2, 11; 20, 14; 21, 8. 40) Rom 5, 12.

VI. Nec sine mysterio Christus sic loquitur : *Adolescens, tibi dico, surge ;* non : Adolescens, surge, vel : Defuncte, surge ; sed ad ostendendum se super omnes defunctos potestatem habere et, si indeterminate imperasset, multi simul mortui surrexissent – sicut si princeps ex regia indeterminate vocet aliquem servorum suorum, qui sunt [in] atrio vel vestibulo, omnes audientes simul respondebunt surgentesque ibunt ad eum, quoniam omnium dominus est, quare, si quem singulariter vult, determinate et singulariter illum vocat; – hinc Christus sic locutus est : *Adolescens, tibi dico, surge,* quoniam omnium defunctorum est dominus.

Imperiose loquitur Christus defuncto, ut ostendat se absolutum dominum mortis esse,

Non solum autem defunctorum in carne sed etiam in spiritu. Paulus adolescens erat et in spiritu defunctus, cum Christi Ecclesiam persequeretur; sed imperio suo illum Christus ad se vocavit.[41] Matthaeus sedens in telonio defunctus erat in spiritu ; vocavit autem illum suo imperio Christus : *Sequere me ;* et statim secutus illum fuit.[42] Nam si cogere Christus liberum hominis arbitrium non potest, movere tamen potentissime potest cum vult, tanquam naturae Deus, adeo ut vix possit homo divinae vocationis imperio non obedire sentiens potentissimam Dei vocem, qua veluti funibus amoris trahitur: *Adolescens, tibi dico, surge.*

non solum mortis corporeae, sed etiam spiritualis, sed ex hac suscitat non cogendo sed invitando.

O homo, non audis, non audis vocem Dei ? Mortuo ne es insensatior ac magis mortuus? Omnis homo, o frater, in spiritu vel vivus vel mortuus est ; inter vitam et mortem non datur remedium. Vide tu an vivus an mortuus in spiritu sis. Mortuus non videt, non audit, non loquitur, nil penitus operatur, nil sentit; nam etsi dormiens nil videt et nil operari videtur, tamen, cum vivat, sensum habet ; si eum excites, si pungas, si percutias, sentit; si clames sonoque et strepitu aures eius percutias, audit, etc.

Valde lugendi sunt qui hanc vocem audire nolunt.

Accessit Iesus *et tetigit loculum.* Actus misericordiae est : *Misericordia motus.* Hoc est quod Elias super puerum mortuum se inclinavit ;[43] non potuit Deus rigore iustitiae Legis Antiquae mortuum mundum suscitare, sicut Eliseus mortuum filium sunamitis mittens Giezi cum virga sua suscitare minime potuit, donec ipse ad mor-

Mors Christi opus fuit misericordiae infinitae.

41) Cf. Act 9, 1-7; Gal 1, 13-16. 42) Lc 5, 27-28. 43) Cf. 3 Rg 17, 21.

tuum venit et septies se super mortuum inclinavit.[44] Sic Christus operibus misericordiae suae vult mundum suscitare a morte peccati. Fuit autem summae et infinitae misericordiae opus ut Filius Dei pro mundi vita mori in cruce vellet.

II. ALIA HOMILIA

Ibat Iesus in civitatem . . . Naim et ibant cum eo discipuli eius et turba copiosa. Cum autem appropinquaret, etc.[1]

Tria consideranda sunt: mors post vitam, vita post mortem, auctor miraculi.

I. Circa miraculum hodiernum tria nobis consideranda sunt: mors post vitam: *Ecce defunctus efferebatur;*[2] vita post mortem: *Resedit qui fuerat mortuus et coepit loqui;*[3] et auctor miraculi Christus: *Propheta magnus surrexit in nobis et . . . Deus visitavit plebem suam.*[4] Primum quidem spectaculum valde horribile est, nam mors est ultimum terribilium:[5] *Tenebrae erant super faciem abyssi;*[6] sed alterum spectaculum supra modum gratissimum: *Dixit . . . Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona;*[7] *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum.*[8]

II. *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae.*[9] Mortis spectaculum ante oculos nostros proponitur hodie.

Mors stipendium est peccati, privatio omnium bonorum naturae et fortunae,

Est autem mors stipendium peccati,[10] partus fructusque peccati. Est mors exilium a mundo atque privatio omnium bonorum tum naturae tum fortunae; naturae quidem, nam defunctus adolescens erat in flore aetatis, cum homo solet esse sanus atque valde robustus nimiumque hilaris et iucundus; fortunae vero quia efferebatur extra civitatem ibique relinquebat omnia mundi bona: divitias, dignitates et delicias. Est mors crudelissima inimica humanae naturae, fera pessima, quae omnes devorat naturae filios;[11] sic matri huic hodie occidit unicum filium in aetatis flore eamque omni solatio destitutam

44) Cf. 4 Rg 4, 31-35.

1) Lc 7, 11-12. 2) Ibid. 3) Ibid. vr. 15. Vulg.: *Qui erat mortuus*, etc. 4) Ibid. vr. 16. 5) Aristoteles: « Omnium rerum nihil horribilius morte, nam omnium rerum est extremum ». *Ethicorum Nicom.*, lib. 3, cp. 9, t. 2, pag. 20. 6) Gn 1, 2. 7) Ibid. vrr. 3-4. 8) Io 1, 4. 9) Lc 7, 12. 10) Cf. Rom 6, 23. 11) Cf. Gn 37, 33.

reliquit, quoniam *vidua erat.* [12] Sic mors est impia et crudelis ; mors alchymia quaedam mihi videtur, quae aurum convertit in lutum.

Filius unicus matri est thesaurus incomparabilis omnique thesauro pretiosior. Attamen hodie mater sinit unicum filium e domo efferri et in sterquilinium sepulturae proici. Sic mors convertit aurum in lutum, statuam auream et argenteam in vilissimum pulverem, reges, imperatores et Pontifices convertit in terram ; convertit divitias in extremam paupertatem. *Accessit* Christus *et tetigit loculum;* [13] non locum, inquit, sed *loculum.* Vivo homini vix totus mundus est satis ; mortuum autem loculus capit. Mors videtur esse thesaurus omnium malorum, sicut privatio est omnium bonorum. Mors fovea est in quam omnes cadunt, laqueus quo omnes capiuntur aves, rete quo omnes pisces includuntur, mare ubi omnes naves naufragantur et submerguntur, falx secans omne foenum, securis omnem arborem a radicibus amputans, gladius versatilis ad portam paradisi omnes occidens, [14] aer infectus omnia corrumpens, ignis omnia comburens, pestis universalis, generale malum. Merito Ezechias, accepta per Isaiam mortis suae a Deo lata sententia : [15] *Dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives,* [16] conversa facie ad parietem amarissime flevit. [17] Haec est universale diluvium, [18] haec ignis comburens universam Pentapolim, [19] haec mare Rubrum, ubi omnes Aegyptii submersi fuerunt. [20]

generale malum, ignis omnia comburens.

III. *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae.* Contemplemur, fratres, spectaculum istud. Defunctus iste homo erat et homo nobilis, dives et honoratus, hoc enim funeralis pompa significat : *Turba civitatis multa cum illa.* [21] Iuvenis erat sanus, integer, robustus, pulcher et decorus valde, hoc enim matris fletus designat et inconsolabilis lamentatio : Mulier, *noli flere.* [22] Stent paulisper hodie qui loculum portant ; alloquamur cum Christo defunctum : Dicas nobis, quaeso, o defuncte adolescens, quo abiit vita tua in ipso iuventutis flore ? Quo abiit pulcritudo tua ? quo vires, quo sensus, quo divitiae, quo dignitates, quo deliciae, quo abierunt cogitationes cordis tui ? quo desideria, quo spes futurae gloriae et felicitatis ? Ubi nunc sunt

Multa in defuncto isto proponuntur consideranda.

12) Lc 7, 12. 13) Ibid. vr. 14. 14) Cf. Gn 3, 24. 15) Ms.: *Latam sententiam.* 16) Is 38, 1. 17) Cf. 4 Rg 20, 2-3; Is 38, 2-3. 18) Cf. Gn 7, 17 sqq. 19) Cf. ibid. 19, 24-25. 20) Cf. Ex 14, 24-28. 21) Lc 7, 12. 22) Ibid. vr. 13.

et primo omnium vanitas et certissimus finis.

machinae capitis tui turresque quas in aere fundabas? Ubi visus oculorum, ubi aurium auditus, ubi linguae eloquentia, ubi membrorum et totius corporis motus? Audite quid defunctus respondeat et dicat: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.*[23] Audis, o homo, audis quid dicat defunctus? *Vanitas vanitatum et omnia vanitas; Universa vanitas omnis homo vivens;*[24] *Defecerunt sicut fumus dies mei* et *sicut umbra declinaverunt.*[25] Vita humana *vapor est ad modicum parens,*[26] et tamen, o Deus, nos ita vivimus ac si nunquam essemus morituri, cum in mundo nihil sit morte certius eiusque hora nihil incertius.

Anima, cum sit immortalis, diffundit quodammodo etiam in corpus immortalitatem.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae. Sumus quidem, o fratres, omnes mortales, cum tamen nobis ipsis immortales videamur, quoniam anima nostra, suapte natura immortalis cum sit, diffundit quodammodo immortalitatem in corpus; est enim hoc carne mortale, spiritu vero immortale.[27] Non enim anima materialis est et corruptibilis, ortum habens ex materia, sed immortalis est, a Deo ortum habens; ait enim quod *formavit... Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae.*[28] Hinc Elias resuscitans filium viduae sareptanae ait orans: *Revertatur, obsecro, Domine, anima pueri huius in viscera eius;*[29] et Christus hodie defuncto adolescenti loquitur tanquam viventi, quoniam vere secundum animam vivebat. Sic Deus dicitur *Deus vivorum, non mortuorum.*[30]

Ita ergo vivendum est ut mereamur a Christo resuscitari ad vitam aeternam.

Quod autem anima in perpetuum vivat soluta a corpore, in Divinis quidem Scripturis luce clarius manifestum est. Felices qui sic vivunt, ut cum adolescente isto mereantur resuscitari a Christo ad vitam aeternam. Ad bene autem vivendum iugis memoria mortis eiusque meditatio, quae vera philosophia est,[31] plurimum confert. Ecce spectaculum: *Cum... appropinquaret portae civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae. Et haec vidua erat,* etc.[32]

IV. Induit Dominus homines[33] post peccatum pellibus animalium mortuorum,[34] ut iugiter mortem prae oculis haberent mortemque

23) Eccle 1, 2. 24) Ps 38, 6. 25) Ps 101, 4. 12. 26) Iac 4, 15. 27) Ms.: *Carne mortalis, spiritu vero immortalis.* 28) Gn 2, 7. 29) 3 Rg 17, 21. Vulg.: *Domine Deus meus, revertatur,* etc. 30) Mt 22, 32; Mc 12, 27; Lc 20, 38.
31) Cf. Plato *Phaedon*, vol. 1, pag. 67; Cicero *Tusc.*, lib. 1, t. 1, col. 181; Seneca: « Vivere tota vita discendum est mori ». *De Brevitate Vitae*, cp. 7, pag. 731, ubi Iustus Lipsius notat: Nam philosophia μελέτη θανάτου: meditatio mortis ». 32) Lc 7, 12. 33) Ms.: *Hominem.* 34) Cf. Gn 3, 21.

meditarentur, quam ob peccatum incurrerant, eo quod diabolus immortalitatem promiserat, ex qua promissione ortum [est] peccatum. [35] Nunquam peccat qui se semper cogitat moriturum. Erat in convivio apollineo Balthassar rex Chaldaeorum, epulabatur summa cum laetitia et exultatione ; sed videns manum scribentem in pariete : *Mane, thecel, phares,* nimium conturbatus fuit : [36] *Mane, numeravit Deus regnum tuum et complevit illud; Thecel, appensus es in statera et inventus es minus habens ; Phares, divisum est regnum tuum et datum est Medis et Persis.* [37] Nabuchodonosor videns statuam illam magnam ex auro, argento, aere, ferro et testa compositam a lapide cadente ab alto monte confractam contritamque et in pulverem ad nihilumque redactam, spiritu vehementer conturbatus fuit ; [38] similiterque cum vidit arborem excelsam maximamque, omni gloria circumdatam, divina sententia praecisam et ad nihilum redactam, perterritus magnopere fuit. [39]

Cogitatio mortis cohibet a peccatis.

Ecce defunctus efferebatur: ecce arbor praecisa, ecce statua confracta. Erat hic iuvenis valde nobilis et dives, hinc *turba civitatis multa cum illa;* principum enim funeralia magna comitantur hominum civiumque caterva. Homo erat aetate iuvenis : ecce testa et ferrum ; dives et potens : ecce tibiae ferreae ; famosus et nominatus : ecce aes resonans ; nobilis et illustris : ecce argentum ; magna praeditus dignitate et potestate tanquam princeps : ecce caput aureum. Sed omnia haec mors ad nihilum redigit : *Defunctus efferebatur.* Quem defunctum multa sequitur civitatis turba, quoniam *omnes morimur;* [40] mors enim fovea est in quam omnes cadunt, mare in quo omnes praefocantur, aer pestilens omnes inficiens, ignis omnes comburens, gladius omnes occidens, laqueus omnes capiens, tyrannus omnes homines captivos tenens.

quia in morte cernitur finis omnium mundi vanitatum.

V. *Turba civitatis multa cum illa. Omnes morimur.* « Hodie mihi et cras tibi ». [41] Considera et cogita, frater, te moriturum, quia forte hoc luto illuminabuntur oculi tui ut videas et salveris. [42] Quid putatis, fratres, quod si intellexissent parentes nostri vim divinorum verborum:

Satanas parentes nostros seduxit, quia mortem nondum noverant,

35) Cf. ibid. vrr. 4-19. 36) Cf. Dn 5, 1-6. 37) Ibid. vrr. 26-28. 38) Cf. ibid. 2, 31-36. 39) Cf. ibid. 4, 7-14. 40) 2 Rg 14, 14. 41) Vulgatissimum effatum ex Eccli 38, 23: *Memor esto iudicii mei, sic enim erit et tuum : Mihi heri, et tibi hodie.*
42) Cf. Io 9, 1-7.

nos autem promissionis eius falsitatem experimur.

Morte moriemini, [43] tam facile peccassent? Non intellexerunt vim verborum illorum, quia mortem nondum viderant nec experti fuerant. Sed puto ego quod cum Eva occisum mortuumque vidit Abel filium suum, [43a] cum primo mortis spectaculum ante oculos eius positum fuit, cum experientia cognovit quidnam mors esset, voluisset potius linguam suam momordisse quam pomum illud. Sed credidit iuxta fallacem promissionem serpentis non eventuram mortem: *Nequaquam... moriemini.* [44] Sed nos experimur promissionis illius falsitatem.

ergo resistere illi debemus cum falsis promissis demulcet ut ad peccatum inducat.

Sic modo Deus peccantibus aeternas poenas inferni comminatur. Diabolus autem ut ad peccatum inducat falsis promissis demulcet: *Nequaquam... moriemini.* Et tamen *omnes morimur et sicut aquae dilabimur... quae non revertuntur.* [45] Diabolus *mendax est et pater mendacii;* [46] Deus autem *verax est* [47] et ipsamet veritas. [48] Mors, mors ipsa corporalis quam experimur, quam oculis videmus et manu tangimus, ostendit falsissima satanae mendacia.

Contemplanda est mors ut sit animae vita, quae in resurrectione perfecta erit,

Contemplemur igitur, fratres, contemplemur mortem. Haec nostra sit philosophia, ut mors corporis nobis sit animae vita. Vita enim spiritus causa est vitae aeternae etiam ipsi corpori in resurrectione carnis. Ecce enim vita post mortem: *Adolescens, tibi dico, surge. Et* statim *resedit qui fuerat mortuus et coepit loqui, et dedit illum matri suae.* [49] Reduxit eum in pristinum statum ad possessionem omnium bonorum, quibus morte privatus fuerat.

quam peccato amissam Christus morte sua iterum homini acquisivit;

Post suscitationem adolescentis huius nulla fit amplius mentio mortis, quia post resurrectionem vita erit aeterna una semper cum gloria et felicitate perpetua; hoc enim significat Naim, p u l c r i t u d i n e m et decorem gloriae paradisi, quam homo per peccatum amisit. Passione enim et morte sua Christus pro peccato hominis satisfecit. Hoc est hodie: *Tetigit loculum,* lignum mortis, et accepit super se poenas peccati. Accepit hodie Christus mortem nostram super se et nobis dedit vitam suam. Si enim mors stipendium et poena peccati est, profecto Christus *peccatum non fecit nec dolus inventus est in ore eius,* [50] quomodo igitur mortem passus est? Utique pro peccato ho-

43) Cf. Gn 2, 17. 43a) Cf. ibid. 4, 8. 44) Ibid. 3, 4. 45) 2 Rg 14, 14. Vulg.: *Quasi aquae,* etc. 46) Io 8, 44. Vulg.: *Et pater eius.* 47) Ibid. vr. 26; Rom 3, 4. 48) Cf. Io 14, 17; 15, 26; 16, 13; 17, 17; 1 Io 5, 6. 49) Lc 7, 14-15. Vulg.: *Qui erat mortuus,* etc. 50) 1 Petr 2, 22. Vulg.: *Nec inventus est dolus,* etc.

minis. Hodie igitur Christus tangens loculum mortis lignum, accepit mortem nostram et nobis dedit vitam suam. Potuit enim Christus hoc facere ac si mors et vita vestes duae essent, altera quidem nigra et obscura, altera vero alba et candida. Christus candida veste indutus erat vitae immortalis ; hinc in gloriosa transfiguratione *vestimenta . . . eius facta sunt alba sicut nix;* [51] defunctus autem adolescens indutus erat veste nigra mortis. Hodie autem Christus accepit nigrum mortis vestimentum, quo ipse in cruce indutus fuit, et homini dedit vestimentum candidum vitae immortalis. Hoc est mysterium quod, moriente Christo, *tenebrae factae sunt super universam terram,* [52] eclipsato sole ; Christus enim sol est, lucem habitans inaccessibilem, [53] sed indutus tunc fuit nigro mortis vestimento. Hominem autem induit vestimento albo vitae immortalis; nam tunc, apertis monumentis, *multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt.* [54] Christus moritur et homines resurgunt.

accipiens enim mortem nostram dedit nobis vitam suam.

Quoniam vero Christi vita aeterna est, si Christus mortem nostram accipiens vitam suam nobis dedit, profecto vitam nobis contulit aeternam una cum sempiterna felicitate. Christi enim vita non solum aeterna erat, verum etiam beata. Sic Christus cum loculum tetigit lignum mortis, cum in ligno crucis pati et mori voluit, latroni, quem in spiritu resuscitavit, vitam et gloriam sempiternam dedit : *Hodie mecum eris in paradiso.* [55] Haec igitur est vita post mortem immortalis, aeterna, felicissima, beatissima in civitate Naim, in superna Ierusalem, in patria paradisi. Siquidem homo per peccatum spiritu mortuus a paradiso eiectus fuit : *Ecce defunctus efferebatur,* sepeliendus in inferno cum epulone; [56] sed per Christum resuscitatus in paradisum reductus est pristinoque statui redditus. Sic Christus destructor est mortis et auctor vitae aeternae, [57] sicut sol auctor est lucis perpetuae in mundo, tenebrarum autem destructor, auctor diei et destructor noctis.

aeternam et beatam in patria paradisi.

VI. Sed iam tempus est ut auctorem miraculi consideremus : *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus;* [58] *Propheta magnus surrexit in nobis . . . Deus visitavit plebem suam.* Sicut enim vidua sareptana ex miraculo suscitationis filii cognovit quod Elias magnus

Auctor miraculi Christus est.

51) Mt 17, 2. 52) Ibid. 27, 45. 53) Cf. 1 Tim 6, 16. 54) Mt 27, 52.
55) Lc 23, 43. 56) Cf. ibid. 16, 22. 57) Cf. 2 Tim 1, 10. 58) Lc 7, 13.

qui hodie agnoscitur homo propheta et verus Deus.

esset propheta Dei, ait enim, cum suscitatum filium ab Elia accepisset: *Nunc in isto cognovi quoniam vir Dei es tu et verbum Domini in ore tuo verum est,* [59] sic hodie universa civitas Naim cognovit ex hoc miraculo quod Christus verus et magnus esset propheta Dei. Sic *magnificabant Deum dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis et quia Deus visitavit plebem suam.* [60] Christus igitur in sacrosancto hodierno Evangelio dicitur *Dominus* absolute quatenus Deus est universorum dominus, et *propheta magnus* quatenus homo est. Ad mortuum enim suscitandum profecto requiritur infinita Dei potentia ac supernaturalis virtus. Sed quia mors est poena peccati, requiritur meritum satisfaciens pro culpa peccati. Hinc necesse fuit ut Christus non tantum homo aut Deus esset, sed simul Deus et homo.

Septem legimus Christum fecisse in mortui huius resuscitatione,

Sed quidnam egit Christus ad mortuum hunc suscitandum? Septem actiones Christi legimus in hodierno Evangelio : *Ibat in civitatem... Naim; cum... appropinquaret portae civitatis* vidit flebilem matrem ; *dixit...: Noli flere; accessit* ad loculum; *tetigit loculum,* et tandem suscitatum adolescentem *dedit matri suae.* Hae sunt septem lucernae ardentes super aureum candelabrum in tabernaculo Domini ad pellendas nocturnas tenebras. [61] Voluit Christus esse peregrinus in hoc mundo, viator tendens in patriam paradisi, quae civitas est Naim. Voluit appropinquare portae civitatis ; porta autem, per quam omnes necesse est ingredi, mors est : *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam.* [62] Voluit esse homo propter homines passibilis et mortalis, cum potuisset esse sicut nunc est in coelo immortalis et impassibilis. Potuisset venire in maiestate sicut visus fuit in gloriosa transfiguratione ; [63] sed propter homines ille, *qui, cum in forma Dei esset* aequalis Deo, voluit semetipsum exinanire formamque servi induere, [64] voluit esse sicut ceteri Prophetae ; hinc aiunt : *Propheta magnus surrexit,* etc.; voluit piis oculis miserias et calamitates videre: *Quam cum vidisset Dominus;* sic voluit ipse in propria persona visitare plebem suam, [64a] sicut pastor gregem suum et piissimus medicus infirmos. Vidit et *misericordia motus* est: erat Christi cor sicut vas plenum manna in arca Domini, [65] et *misericordia motus* miraculum

quae mystice designant quanta egerit pro salute nostra,

59) 3 Rg 17, 24. 60) Lc 7, 16. 61) Cf. Ex 40, 4. 22-23; Nm 8, 1-2.
62) Lc 24, 26. 63) Cf. Mt 17, 1-5; Mc 9, 1-6. 64) Cf. Phil 2, 6-7. 64a) Cf. Lc 1, 68. 65) Cf. Ex 16, 33-34, Hebr 9, 4.

operatus est; nam habebat virgam virtutis divinae [66] quae omnia potest: *Omnia quaecunque voluit Dominus fecit.* [67] Voluit Dominus propriis oculis videre miserabile obiectum, quo magis misericordia moveretur; sic vidit afflictiones, quas gens hebraea patiebatur in Aegypto, et misericordia motus misit Moysen ad eam liberandam. [68]

Non solum autem vidit, sed etiam dixit mulieri: *Noli flere*, et defuncto: *Tibi dico, surge:* praedicavit Evangelium regni et poenitentiam peccatorum. [69] *Accessit* ad loculum ut operaretur miraculum: innumera operatus est miracula pro salute nostra. *Tetigit loculum:* instituit Sacramenta gratiae, cuius virtute mortuus resuscitatur, peccator a peccato iustificatur. Tandem *dedit* filium *matri suae. Dedit:* infinita est [70] Dei liberalitas caritasque, qua *sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* [71] et Christus totum seipsum dedit morti pro salute nostra; dedit etiam totum seipsum nobis in sanctissimo sacramento Eucharistiae.

quanta etiam mirabilia operatus sit ad peccatores iustificandos,

Sicut autem primi parentes generi nostri multis usi sunt vel potius abusi sensibus ad peccandum: auribus audiendo verba serpentis contra Deum, oculis videndo lignum vetitum, unde orta concupiscentia fuit, pedibus accedendo ad arborem, manibus accipiendo vetitum fructum, lingua et palato loquendo cum serpente et comedendo vetitum fructum; [72] sic Christus hodie ad suscitandum hunc defunctum utitur pedibus et manibus, nam: *Accessit et tetigit loculum;* utitur oculis et auribus videndo afflictam matrem defuncti eiusque audiendo lamenta; lingua qua locutus est ad matrem dicens: Mulier, *noli flere*, et ad filium defunctum: *Adolescens, tibi dico, surge.*

omnibus sensibus utens ad salvandum, quibus parentes nostri abusi fuerant ad perdendum;

Sicut autem Elias ad suscitandum filium viduae sareptanae expandit se super eum totumque seipsum supra defuncti corpus extendit, [73] ita Christus ad mundum a morte suscitandum fecisse visus est quaecunque potuit. Tribus vicibus expandit se totum Elias supra defunctum, colligens seipsum ut parvo defuncto aequaretur; sic Christus exinanivit semetipsum et omnes thesauros potentiae, sapientiae et bonitatis suae expendit pro homine; totum enim seipsum dedit pro homine et pro salute mundi usque ad mortem laboravit,

et tandem totum seipsum tradens pro salute mundi, mortem ipsam sustinens.

66) Cf. Ex 4, 17. 67) Ps 113, 3 (bis); 134, 6. 68) Cf. Ex 3, 7-8. 69) Cf. Mt 4, 17. 23; 9, 35; Mc 1, 14-15. 70) Ms.: *Est* bis ponitur. 71) Io 3, 16. 72) Cf. Gn 3, 1-6. 73) Cf. 3 Rg 17, 21.

imo et mortem sustinuit, hoc est accedere et loculum tangere ad mortuum suscitandum.

Exhibetur in hodierno Evangelio specimen quoddam vitae, mortis et resurrectionis Christi.

VII. Videre mihi videor in sacrosancto hodierno Evangelio specimen quoddam vitae, mortis et resurrectionis Iesu Christi Domini nostri omniumque suorum fidelium. Vitae quidem, quia : *Ibat in civitatem... Naim, et ibant cum eo discipuli eius;* mortis vero, quia : *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae et haec vidua erat:* sic utique Christus iuvenili aetate mortuus est non ob suum, sed ob Adae peccatum. Resurrectionis autem : *Adolescens, tibi dico, surge:* sic Christus ut Deus seipsum hominem suscitavit. Vita igitur Christi peregrinatio in patriam paradisi fuit ; mors innocens et sancta, resurrectio vero divina.

Si ergo volumus bene mori cum Christo, necesse est ut cum Christo bene vivamus,

Nos autem, o fratres, si volumus bene mori, necesse est ut bene vivamus cum Christo, ut Christum sequamur et imitemur tum in vita tum in morte; nam : *Ibat Iesus... et ibant cum eo discipuli eius et turba copiosa.* Qui bene vivit vel semper bene moritur ; qui autem male vivit male moritur. Murus ad eam partem ruere solet qua pendet. Ut autem bene vivamus necesse est ut cum Christo peregrini simus. Christus sua sponte appropinquavit portae civitatis. Porta autem futuri saeculi mors est. Christus mortuus est *quia ipse voluit:* [74] *Potestatem habeo ponendi* animam meam et *iterum sumendi eam.* [75] Accessit ad portam paradisi, ubi collocaverat Deus gladium igneum atque versatilem, [76] quod mortis et infirmitatis hieroglyphicum [est]. Sic nos oportet, mortales cum simus, sponte appropinquare ad hanc portam supernae civitatis, ut ex desiderio gloriae coelestis desideremus potius mori quam fugiamus et horreamus ; sic enim Christus per seipsum abiit ad mortem. Ad bene moriendum necesse est ut cum Christo nos bene disponamus. Christus ante mortem suam paschalem agnum comedere voluit lotisque prius discipulorum pedibus [77] instituit sanctissimum Eucharistiae sacramentum ; [78] deinde cum discipulis suis sermonem habuit; [79] postea in hortum ad orandum perrexit ac in oratione perseveravit factus prae tristitia in agonia ibique ab Angelo confortatus fuit. [80]

hoc est scire se peregrinum in mundo, coelestem gloriam desiderare et ad bene moriendum se disponere.

74) Is 53, 7. 75) Io 10, 18. 76) Cf. Gn 3, 24. 77) Cf. Io 13, 1-5.
78) Cf. Mt 26, 26-28; Mc 14, 22-25; Lc 22, 19-20. 79) Cf. Io 14, 1-17, 1 sqq.
80) Cf. Mt 26, 36-44; Mc 14, 32-39; Lc 22, 39-44.

BREVIS ALLOCUTIO

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae. [1]

I. Contemplatio mortis vera magnaque philosophia est [2] et virtuti summe utilis. Hinc Deus, postquam parentes nostri peccando in mortis sententiam inciderunt, induit eos pellibus animalium mortuorum, [3] ut mortem ipsam semper prae oculis haberent : *Pulvis es et in pulverem reverteris.* [4]

Contemplatio mortis vera et utilissima philosophia est.

Mors omnia aequat, [4a] linea rectissima est, in pulverem reducit omne hominum genus. Lapis est ille qui percussit statuam Nabuchodonosor et sicut testam sic ferrum, aes, argentum et aurum aeque omnia reduxit in pulverem. [5] Dum manus aperta est, extensi digiti sunt alter altero maior ; at si claudatur manus, aequantur eorum summitates in planta. Mors gladius est ille concidens excelsam illam et maximam arborem Nabuchodonosor, quae totum videbatur implere sua magnitudine mundum tantumque radices eius reliquit in terra, ut post multa tempora renasci quodammodo iterum posset. [6] Sic nobis post mortem spes tantum resurrectionis relinquitur.

Mors omnia destruit, sed spes resurrectionis nobis relinquitur.

Ecce defunctus efferebatur. Siste gradum, contemplare mortis spectaculum. Multi cum vidissent Iezabelem a regali palatio per fenestram proiectam et a canibus devoratam, relictis tantum extremis partibus capitis manuumque et pedum, dicebant spectaculum illud intuentes : *Haeccine est illa Iezabel*, magna illa regina? Praedictum fuerat ab Elia propheta quod devoranda esset a canibus Iezabel. Sed ipsa id minime credebat et factu difficile admodum videbatur, ut talis tantaque regina eo duceretur ut devoraretur a canibus. Tamen, ut sanctus propheta Dei praedixerat, ita ad unguem accidit ei. [7]

Semper cogitare debemus nos morituros.

Fratres mei, cogitemus quod omnes morituri sumus. Lapis ille Danielis universam statuam et aurum et argentum et aes et ferrum redegit in pulverem. *Omnes morimur et sicut aquae dilabimur . . . quae non revertuntur.* [8] Vita haec nostra flumen est perpetuo fluxu currens

Vita nostra flumen est perpetuo fluxu currens ad mortis mare.

1) Lc 7, 12. 2) Cf. not. 31 praec. hom., pag. 426. 3) Cf. Gn 3, 21.
4) Ibid. vr. 19. 4a) Cf. Claudianus *De Raptu Proserpinae*, lib. 2, vr. 242.
5) Cf. Dn 2, 31-35. 6) Cf. ibid. 4, 7-14. 7) Cf. 4 Rg 9, 10. 32 sqq.
8) 2 Rg 14, 14. Vulg.: *Quasi aquae*, etc.

ad mare mortis, et sicut flumen Iordanis totum in mare Mortuum influebat, [9] sic universa haec vita nostra.

Nemo nisi divina virtute revocari potest de morte ad vitam.

II. Non solum autem dicit : *Sicut aquae dilabimur*, quae singulis momentis fiunt mari viciniores, sed addit : *Quae non revertuntur*, nam magno miraculo legimus divina opera Iordanem conversum esse retrorsum, [10] unde admirans Regius Vates ait : *Quid est tibi mare, quod fugisti et tu, Iordanis, quia conversus es retrorsum ?* [11] Sic magno miraculo adolescens iste hodie a Christo revocatus ad vitam fuit. Christus enim arca Dei est ob cuius praesentiam Iordanis conversus fuit retrorsum, sicut etiam magno miraculo, cum Ezechias proximus morti esset, vitam a Deo obtinuit quindecim annorum. [12] Conversus fuit Iordanis retrorsum, sed absque miraculo aquae istae non revertuntur. Sicut enim si quis vas aquae evertat aquamque effundat in terram, non potest amplius eam colligere et in vas reponere, sic si vas istud corporis nostri evertatur et effundatur aqua vitae, non potest amplius recolligi haec aqua et in vas reponi, nisi ex miraculo, ut hodie accidit huic adolescenti et aliis quibusdam, quos in Divinis Litteris a mortuis legimus suscitatos. [13]

Tactus loculi significat mortem Christi causam esse vitae nostrae.

III. Non sine magno autem mysterio factum est ut, tangente Christo lignum mortis, adolescens mortuus sit revocatus ad vitam, praesenteque arca Dei, Iordanis conversus sit retrorsum contra fluminis naturam. Sed hoc significat quod mors Christi causa est vitae nostrae ; revocandi enim omnes ad vitam sumus. Mors enim est poena peccati, Christus autem passione et morte sua delevit peccatum.

Passiones post redemptionem sunt exercitium virtutis,

Quod si omnes adhuc morimur et patimur etiam omnes corporales passiones, quas ante Christi mortem patiebatur mundus, Iordanis tamen retrorsum conversus est, nam non sunt haec amplius poena peccati, sed exercitium virtutis, quales fuerunt passiones et poenae Iob, viri sanctissimi, [14] et martyria omnium Sanctorum Dei.

nam per Christum ablata est poena peccati

Hoc autem forte mysterium est quod dicitur in hodierno Evangelio, quod *resedit qui fuerat mortuus.* [15] Non dicit quod surrexit, sed quod *resedit*, surrexit a medio corpore sursum. Constat homo duplici parte :

9) Cf. Ios 3, 16. 10) Cf. ibid. vv. 15-16. 11) Ps 113, 5. 12) Cf. 4 Rg 20, 1-6; Is 38, 1-5. 13) Cf. Mt 27, 52; Mc 5, 41-42; Io 11, 43-44; Act 20, 9-12.
14) Cf. Iob 1, 1-2, 1 sqq. 15) Lc 7, 15. Vulg.: *Qui erat mortuus.*

superior anima est, inferior corpus. Quod spectat ad animam, ablata est per Christum poena peccati Adae, reddita gratia iustificans et gloria beatificans; factus est homo per fidem Christi ex filio irae filius caritatis Dei.[16] Sed quod spectat ad corpus, adhuc iacet poenis et morti subiectus in exercitium virtutis, et ut sint haec temporalia mala medicina peccatorum vel praeservans a peccatis vel purgans iam commissa peccata; sufficit quod resuscitatus est homo mortuus, vivus datus est matri. Factus est homo per Christi gratiam, quae ex ipsius misericordia et merito passionis ipsius oritur, dignus vita et gloria aeterna.

et reddita gratia, sed remanent temporalia mala ut medicina peccati.

III. ALIA HOMILIA

Ibat Iesus in civitatem ... Naim; et ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae, et haec vidua erat etc.[1]

I. Occurrit hodie Samsoni fortissimus leo, sed occidit illum Samson et postea in illius ore favum mellis invenit,[2] unde proposuit aenigma: *De comedente exivit cibus et de forti egressa est dulcedo.*[3] Christus Samson est fortissimus, vere Samson, quod interpretatur s o l, qui fons vitae est in mundo hoc: *Quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen;*[4] mors autem leo fortissimus est, hinc Ezechias ait: *Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.*[5] Nil fortius morte in mundo; haec omnes vincit, omnes interficit. Sed Christus est morte potentior; mortem hodie superat et in ore leonis huius invenit favum dulcissimi mellis, vitam hominibus suavissimam; favus dulcissimus fuit hodie filius iam defunctus redditus afflictae matri vivus. Occurrit mors vitae et fonti vitae: *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum;*[6] occurrit nubes tenebrosa soli infinitae lucis.

Ostenditur hodie Christus tanquam fortissimus Samson contra mortem

Est autem Christus fons utriusque vitae: et corporalis et spiritualis, sicut diabolus causa fuit per peccatum utriusque mortis. Quoniam vero corporalis mors symbolum quoddam est spiritualis, operae

corporalem et spiritualem.

16) Cf. Eph 2, 3-7.

1) Lc 7, 11-12. 2) Cf. Idc 14, 5-8. 3) Ibid. vr. 14. 4) Ps 35, 10. 5) Is 38, 13. 6) Io 1, 4.

pretium erit in corporali hac morte spiritualem contemplari, qua homo vivens mundo mortuus est Deo.

Quadruplex est causa mortis spiritualis:

II. *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae.* Sicut corpus sine anima mortuum est, ita animus et spiritus noster sine gratia Spiritus Sancti – quae semper est cum ipso Spiritu Sancto, sicut radius cum sole et lumen cum lucerna ardente et flamma ignis, – mortuus est. Causa mortis corporalis vel infirmitas est, vel fames, vel senectus, vel extrinseca laesio homines occidens et interimens. Sic etiam mortis spiritualis quadruplex potest esse causa : vel infirmitas vitiorum, vel fames verbi Dei et defectus cibi spiritualis, vel defectus virtutis fidei, caritatis et gratiae Spiritus Sancti, vel tandem violenta tentatio diaboli qui noster inimicus est capitalis.

a) infirmitas vitiorum,

Defunctus hodiernus mortuus est ob primam causam, ob infirmitatem, non ob famem, quia dives erat, non ob senium, quia adolescens, non a laedente extrinseco, quia defunctus non occisus. Sic multi ob infirmitatem vitiorum moriuntur, maxime vero iuvenes, instigante carnis concupiscentia. Defunctus hic est quia adolescens et in civitate, *filius unicus matris suae,* quae *vidua erat.*

quae aliquando causa est mortis etiam corporalis.

Hae sunt potissimae causae mortis defuncti huius. Hae possunt esse causae corporalis etiam mortis : iuventus, fervor sanguinis, ardor carnalis concupiscentiae provocans ad libidinem et luxuriam; haec autem causa est immaturae mortis, nam animalia salacia sunt brevioris vitae. [7] Luxuria autem accendi et ardere vehementer solet in iuventute ratione florentis aetatis, maxime vero in civitate, ubi multa sunt incitamenta libidinis ob lasciviam et vanitatem impudicarum mulierum et ob malam societatem iuvenum petulantium, qui sunt veluti equi effrenes et semper ad libidinem hinnientes. Multo magis si iuventus sit libera et possit pro libito vivere, absque timore parentum, et adhuc magis si habeat ad expendendum; si iuvenis sit liber et dives, et tandem si molliter sit in deliciis educatus, hic facillimum est ut cum filio prodigo vivat luxuriose, [8] crapulis et libidinibus absque omni freno operam dando.

In hoc autem defuncto omnia haec reperiuntur. Erat iuvenis,

7) Cf. Aristoteles *De Longitudine et Brevitate Vitae*, cp. 5, t. 1, pag. 442. 8) Cf. Lc 15, 11-13.

in civitate, liber sine patre, dives, ut pompa funeralis ostendit, et delicate educatus, quoniam filius unicus erat. Hic status potuit ei esse causa immaturae mortis in primo iuventutis flore.

praesertim in iuvenibus divitibus

Quod si talis vitae status ob effrenem libidinem causa potuit esse mortis corporalis, multo magis causa est et potissima mortis spiritualis. Iuventus, adolescentia, in qua caro plurimum valet et spiritus debilis est, sine scientia, sine experientia, sine conscientia, absque maturo iudicio, tunc *caro* vehementer *concupiscit adversus spiritum* [9] et Ismael maior persequitur Isaac minorem, [10] Esau Iacob, [11] Cain occidit Abelem. [12] Maxime vero causa spiritualis mortis iuventus est si ei nec deliciae nec divitiae desunt et libera est ac sui iuris, uti adolescens iste. Sic fuit filius prodigus qui a Christo adolescens describitur, dives et sui iuris cum a patre discessit, ut viveret cum amicis et meretricibus luxuriose.

et delicate nutritis;

Quod si multis iuventus libera causa mortis spiritualis non est, multis est defectus cibi spiritualis, sacrae meditationis, orationis, lectionis sacrorum librorum. Pudere nos deberet quod, cum semper fere corpus bis in die cibemus ad satietatem, animam semper ieiunare velimus, et cum quod spectat ad corpus velimus ducere vitam epulonis, animam cum mendico Lazaro fame perire et necessitate mori sinamus. [13]

***b*) alia causa, defectus cibi spiritualis, idest orationis;**

Multi etiam pereunt ob defectum virtutis vitalis caloris caritatis in Deum et proximum. Nam sicut vita corporalis in naturali calore consistit, ita vita spiritualis in calore caritatis sine qua nemo apud Deum in spiritu vivit ; et sicut mors corporalis non est nisi extinctio caloris naturalis, ita mors spiritualis nihil aliud est nisi extinctio caloris caritatis.

***c*) tertia, defectus caritatis, quae est calor vitae spiritualis;**

Tandem multi pereunt victi tentatione diaboli, a laedente extrinseco, sumentes venenatam potionem, venenatum cibum, vel morsi a serpente antiquo, sicut Adam et Eva in paradiso, [14] non resistentes diabolicis tentationibus et suggestionibus, sicut restitit Christus in deserto bis et ter [15] ac semper cum tentatus fuit. Hae igitur sunt causae mortis spiritualis similes omnino causis mortis corporalis.

***d*) quarta, diaboli tentatio, cum non repellitur.**

9) Gal 5, 17. 10) Cf. Gn 21, 9; Gal 4, 29. 11) Cf. Gn 27, 41. 12) Cf. ibid. 4, 8. 13) Cf. Lc 16, 19-21. 14) Cf. Gn 3, 1-6. 15) Cf. Mt 4, 1-10; Lc 4, 1-12.

Causa conferens vitam spiritualem Christus est,

III. Sed cum viderimus de causis mortis, operae pretium est ut videamus et dicamus aliquid de causis vitae, non quidem conservandae, nam hae sunt sanitas et conservatio bonae complexionis, cibus salubris, conservatio vitalis caloris et cautela ab omni extrinseco laedente et officiente ; sed de causis conferentibus vitam. Sicut cum Deus, formato ex terra homine, *inspiravit in faciem eius spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem,* [16] causa vitae Christus hodie in sacro Evangelio proponitur : *Adolescens tibi dico, surge. Et statim resedit qui fuerat mortuus.* [17] Adam primus homo causa fuit mortis, Christus secundus homo causa est vitae. [18]

qui in vita et passione sua omnia egit ut nobis tanquam homo mereretur vitam et tanquam Deus illam conferret,

Sed quid egit Christus ad suscitandum hunc mortuum ? Venit in civitatem, vidit flebile spectaculum, *misericordia motus* est, *accessit et tetigit loculum* et dixit : *Adolescens, tibi dico, surge.* [19] Quae quidem signant mysteria incarnationis et adventus Christi in mundum mysteriumque passionis et mortis ipsius, praedicationis Evangelii, institutionis Sacramentorum et operationis miraculorum ex divina Christi potentia, sapientia et bonitate, quae videmus hodie in corde, oculis et manibus Christi. Haec omnia Christus pro salute nostra operatus est, ut tanquam Deus conferret nobis vitam, et tanquam homo mereretur nobis vitam. Hinc tangens loculum, lignum mortis in mysterium crucis, dicit : *Adolescens, tibi dico, surge.* Quare extendens Christus manum et tangens loculum ostendit quod vitam suam dabat homini et accipiebat super se hominis mortem. Nam propterea mortuus est Christus, ut vitam nobis daret.

omnia enim mala passus est et seipsum morti obtulit pro salute nostra.

Quare ostendit Christus maximum desiderium salutis nostrae. Desiderabat mater defuncti huius vitam filii, sed nescio an si vitam suam potuisset cum morte filii commutare, quasi novam vestem cum veteri, si fecisset; quisquis enim magis seipsum diligit quam proximum, etsi filium carissimum. Non sic Christus, sed egit veluti si pater videns filium ob debita carceratum, ad liberandum filium ipse sese obliget ad solvenda debita velitque in carcerem intrare et carcerari ut filius liber exeat. Erat hic homo carceratus in carcere mortis; sed Christus *accessit et tetigit loculum,* accepit pro se carcerem ut hominem liberaret.

16) Gn 2, 7. 17) Lc 7, 14-15. Vulg.: *Qui erat mortuus.* 18) Cf. Rom 5, 12-18.
19) Lc 7, 13-14.

IV. *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam dixit . . . : Noli flere.* [20] Ad suscitandum Christus defunctum hunc motus [fuit lacrimis matris]. Sic plurimum valent lacrimae matris pro salute filii. Ad preces matris suscitavit Elias mortuum filium, [21] similiter Eliseus. [22] Ob preces et lacrimas Sanctae Monicae suscitavit Deus Sanctum Augustinum a morte peccati, [23] sicut ad preces et lacrimas Marthae et Magdalenae Christus suscitavit Lazarum [24] et ad preces archisynagogi defunctam filiam ipsius. [25] O utinam saepe matres pro filiorum salute preces ad Deum funderent, cum filii in peccatis viventes mortui sunt!

Lacrimae piae matris plurimum valent pro salute filii.

Accessit et tetigit loculum. Ad suscitandum hominem spiritu mortuum Christus *misericordia motus* saepe accedit et tangit loculum. Corpus nostrum, caro nostra loculus est animae. Pro salute animae Christus saepe tangit corpus, nam vexatio dat intellectum, [26] sicut in Nabuchodonosor accidit, [27] in Manasse rege, [28] in Maria sorore Moysi, [29] in Paulo, quem Christus deiecit in terram et excaecavit corpore, ut illuminaret ac salvaret spiritu. [30] Per Nathan prophetam tetigit loculum Davidis multa mala ei comminando propter admissa scelera adulterii et homicidii, et sic suscitavit eum. [31]

Pro salute animae saepe corpus affligitur; hoc significat tactus loculi.

Mulier, *noli flere.* In porta civitatis consolatur Christus afflictissimam hanc mulierem inconsolabiliter flentem, sicut Absalom in porta palatii regis David patris sui dulcibus ac suavibus verbis consolabatur omnes quos videbat afflictos, ad captandam populi regnique totius benevolentiam; sic enim inquit Divina Scriptura, quod sollicitabat corda totius Israelis motus ambitione regnandi. [32] Christus autem verus Absalom, p a t e r p a c i s , [33] pulcherrimus: [34] *Speciosus forma prae filiis hominum,* [35] hodie ad portam hanc allicit ad se omnium fidelium corda misericordia et pietate sua, qua vult et potest consolari omnes in afflictione positos, tanquam *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis.* [36]

Christus vult et potest omnes consolari in afflictionibus.

20) Ibid. vr. 13. 21) Cf. 3 Rg 17, 17-23. 22) Cf. 4 Rg 4, 18-37. 23) Cf. S. Augustinus *Confess.*, lib. 9, cp. 12, (P. L. 32, 776-777). 24) Cf. Io 11, 1-44. 25) Cf. Mt 9, 18-25; Mc 5, 35-42; Lc 8, 49-55. 26) Cf. Is 28, 19. 27) Cf. Dn 4, 30 sqq. 28) Cf. 2 Par 33, 9-13. 29) Cf. Nm 12, 1 sqq. 30) Cf. Act 9, 1-19. 31) Cf. 2 Rg 12, 1-14. 32) Cf. ibid. 15, 1-6. 33) Sic hebraice interpretatur Absalom. 34) Cf. 2 Rg 14, 25. 35) Ps 44, 3. 36) 2 Cor 1, 3.

Christus reparator naturae mortem vicit, quae est naturae destructio.

V. *Ibat Iesus in civitatem . . . Naim . . . Et cum appropinquaret portae civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae,* etc.[37] Occurrunt sibi hodie mors et vita, lux et tenebrae, nam Christus ait: *Ego sum lux mundi;*[38] *Ego sum via... veritas et vita.*[39] Sicut autem lux tenebras vincit, ita Christus mortem, dum mortuum hodie suscitat atque vivificat. Mors est naturae destructio,[40] Christus autem reparator naturae est atque salvator: *Quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen.*[41]

Mors potentissima est, crudelis et horribilis.

Sed prius proponitur nobis mortis spectaculum: *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae.* His autem verbis ostenditur mortis potentia, crudelitas et horribilitas. Erat defunctus hic aetate iuvenis, fortuna dives, viribus potens, veluti arx valde munita contra omnes insultus inimici; mors autem suo exercitu arcem hanc obsedit, impugnavit et expugnavit: *Ecce defunctus;* nec aetas, nec vires, nec fortuna, nec divitiae aut honores potuerunt a mortis potentia eum liberare.

Homo creatus immortalis proditione diaboli in dominium mortis cecidit.

Hominem condidit Deus tanquam arcem fortissimam natura situs et artis ratione inexpugnabilem, nam mori non poterat homo infirmitate, nec fame, nec senio, nec extrinseca laesione. Sed proditione acquisita fuit devenitque in manus inimici. Muniri haec naturae nostrae arx contra mortis potentiam nullo modo potest: *Ecce defunctus.* Nullus est hominum qui morti possit resistere, sit fortis Samson, sit sapiens Salomon, sit sanctus David, sit rex, imperator, Pontifex Summus, omnes homines foenum sunt, [quod] falci mortis resistere non potest: *Omnis caro foenum et omnis gloria eius ut flos foeni. Exiccatum est foenum et flos* eius *decidit.*[42]

Mors potentissima est et mille armis instructa contra hominem.

Potentissima est inimica mors et mille contra nos armis instructa, cum, praeter mille extrinsecas causas violentae mortis, intra nos ipsos habeamus mille causas naturalis interitus, ita ut vita nostra flumen sit rapidissimum currens ad mare, navis sit prospero vento flante, quae plenis velis navigat, in qua nauta sive comedat sive bibat, et sedens et stans, et vigilans et dormiens semper agit iter. Regius Vates ait: *Quis est homo qui vivet et non videbit mortem ? eruet animam suam de manu inferi?*[43] Omnes occidit, nemini parcit.

37) Lc 7, 11-12. Vulg.: *Cum autem appropinquaret,* etc. 38) Io 8, 12. 39) Ibid. 14, 6. 40) Ms.: *Dextruxit.* 41) Ps 35, 10. 42) Is 40, 6-7. Vulg.: *Quasi flos agri . . . et cecidit flos.* 43) Ps 88, 49.

De magno illo et potentissimo rege dicitur, Xerse inquam, quod cum ex alta specula omnem exercitum suum conspexisset, lacrimas fudit cogitans quod ex tali tantoque exercitu post centum annos nemo superfuturus esset.[44] Sed quisnam hominum vivit nunc eorum, qui toto mundo centum ab hinc annis vivebant, qui foros et plateas frequentabant, qui rempublicam administrabant? Ubi nobiles, ubi divites, ubi principes, ubi reges, ubi Pontifices? Mors omnia aequat,[45] omnia destruit; Angelus est occidens omnia primogenita Aegypti,[46] omnem exercitum Sennacherib,[47] cui nulla valet resistere potentia hominum, nulla virtus.

Omnes morituri sumus, quia mors omnia aequat et destruit.

Nec tantum potens est, sed crudelis valde, quae nulla miseratione movetur. Matri viduae rapuit hodie unicum filium in aetate florenti. Crudelis mors miserabili huic mulieri virum abstulerat, vidua erat; nunc autem etiam unicum filium aufert. Infelix mater dicere utique poterat: *Fera pessima . . . devoravit filium meum.*[48] Eheu!

Mors crudelissima est,

« Eheu! quam surda miseros avertitur aure
Et flentes oculos claudere saeva negat! »[49]

Crudelis Dei impiaque ministra est, bestia truculenta quae humanis carnibus nunquam satiatur, fame inexplebili omnes devorat atque consumit, venatrix est feras omnes occidens sagittis suis.

Horribilis est: *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae,* filius dilectissimus atque carissimus, defunctus autem effertur domo ob mortis horrorem; gratissimam faciem iucundissimamque praesentiam mors reddit horribilem. Quam saepe mater filium hunc fuerat complexata et exosculata! Quam saepe tanquam pretiosissimam gemmam thesaurumque inaestimabilem custodivit! Quem nec pro toto auro mundi dedisset, nunc domo efferri patitur, ad sepulturam ipsa comitatur, ut ibi vermium cibus fiat et in vilissimum pulverem resolvatur, quoniam mors gratiam omnem in horrorem convertit.

et horribilis,

Nec tantum horribilis mors [est], sed etiam terribilis valde ac formidabilis, quoniam privatio est omnium bonorum, thesaurus malorum omnium. Hinc mortis comminatione absterrere voluit Deus homines a peccato: *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiae*

et valde formidanda,

44) Cf. S. Hieronymus *Epist. 60*, (P. L. 22, 601). 45) Cf. not. 4ª praec. Allocutionis, pag. 433. 46) Cf. Ex 12, 29. 47) Cf. 4 Rg 19, 35; 2 Par 32, 21. 48) Gn 37, 33. Vulg.: *Devoravit Ioseph.* 49) Boetius *De Consol. Philos.*, lib. 1, metr. 1, vrr. 15-16, (P. L. 63, 585).

boni et mali ne comedas ; in quocunque enim die comederis ex eo morte morieris, [50] idest certissime morieris. Ipsa mortis imago formidabile terriculamentum est.

et ideo optimum remedium contra peccatum.

Si homo hospitio receptus ab amico, media nocte a somno expergefactus ardente lucerna in cubiculo videret ibi ex insperato mortis imaginem, scheletrum quoddam, ita ut mors ei apparuisse solitario videretur, an non exterrefieret et sudores mortis emitteret? Sed si mortis imago hominem tantopere exterret, quid ipsa mors faciet? Optimum est remedium contra peccatum mors; antidotum est contra peccati venenum, licet effectus peccati sit; nam: Per peccatum mors intravit in mundum, *et sic in omnes homines mors pertransiit.* [51]

Mortem ergo meditari oportet ut peccata vitentur.

Si homo semper prae oculis haberet mortis imaginem, nunquam peccaret. Habeat quisque imaginem mortis, teneat domi scheletrum aliquod, vel ex seipso homo scheletrum mortis faciat, tangat corpus suum: cum sine pelle et carnibus erit, scheletrum erit, mors ipsa erit. Cogita, homo, te semper moriturum et non facile peccabis. Sed, nos miseros! nos ita vivimus ac si nunquam morituri essemus, ac si nati essemus immortales. Apud I s a i a m legimus : *Audite verbum Domini, viri illusores . . . Dixistis enim : Percussimus foedus cum morte et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans, cum transierit, non veniet super nos.* [52] Sed quid ait Deus? *Delebitur foedus vestrum cum morte et pactum vestrum cum inferno non stabit; flagellum inundans cum pertransierit, eritis ei in conculcationem.* [53] Nos, inquam, ita vivimus ac si in praesenti saeculo sempiterno tempore victuri essemus.

Proponitur nobis hodie mortis spectaculum, ut veram vitae rationem instituamus.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae. Ecce mortis spectaculum ad contemplandum nobis propositum, ut veram vitae rationem et philosophiam addiscamus. Ecce statua in somnis regi Babylonis visa, a lapide alto ex monte cadente confracta ac in pulverem redacta.[54] In porta civitatis Naim invenitur hodie mors et post mortem vita. Mors est veluti Cherub ille manu tenens gladium igneum atque versatilem, a Deo positus ad ostium paradisi *ad custodiendam viam ligni vitae.* [55] Mors comminabatur accedere volenti ad vitam, ut nonnisi per mortem pateret accessus ad aeternam vitam.

50) Ibid. 2, 16-17. 51) Rom 5, 12. Vulg.: *Et ita in omnes*, etc. 52) 28, 14-15.
53) Ibid. vr. 18. Vulg.: *Cum transierit*, etc. 54) Cf. Dn 2, 31-35. 55) Gn 3, 24.

FERIA SEXTA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

I. Sicut inter astra innumera Deus in coelo condidit solem astrorum omnium lucidissimum, et in terra inter innumera animalia hominem animalium omnium excellentissimum, ita Christus inter innumera miracula hodiernum edidit omnium illustrissimum ac divinissimum, quod esset inter miracula Christi aurum inter metalla, pyropus inter gemmas, ignis inter elementa, lux inter colores, sol inter astra, homo inter animalia, Seraph inter Angelos, empyreum inter coelos; miraculorum, inquam, omnium excellentissimum. Hinc Christus miraculum istud hodie non solum ad gloriam Dei factum dicit: *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei,* [1] ut *manifestentur opera Dei in illo,* [2] sed ob singularem excellentiam *gloriam Dei* appellat: *Si credideris, videbis gloriam Dei;* [3] et ob istud miraculum Christus summo cum honore in die palmarum gloriosissime in Ierusalem susceptus fuit. [4] Praecipue vero in hoc Christus ostendit se vitae auctorem esse tum temporalis tum aeternae.

Suscitatio Lazari maximum fuit miraculorum Christi.

Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariae et Marthae, sororum eius . . . Diligebat autem Iesus, etc. [5]

II. Eliseus propheta, plenus duplici spiritu Eliae, [6] motus precibus et lacrimis mulieris sunamitis, quae illum domi suae hospitio saepe recipiebat, mortuum filium ipsius magno miraculo revocavit ad vitam, quem etiam illi a Deo impetraverat, cum esset sterilis, ob meritum ho-

Christus potestate divina Lazarum suscitavit;

1) Io 11, 4. 2) Ibid. 9, 3. 3) Ibid. 11, 40. 4) Cf. ibid. 12, 12-15.
5) Pericope huius diei Io 11, 1-45. Sic legitur in Missali Rom. Clementis VIII; postea autem ab Urbano VIII emendatum fuit iuxta Vulg.: *Sororis eius.* 6) Cf. 4 Rg 2, 9-15.

spitalitatis;[7] sic hodie Christus magno miraculo suscitat Lazarum motus precibus Marthae et Mariae sororum. Eliseus d i v i n u s sive p o t e n s s a l v a t o r interpretatur; ad salvandum autem hominem a morte divina utique potentia opus [erat], non solum, inquam, a morte praesenti hominem mortuum liberando, sed etiam vivum a futura morte immortalem hominem constituendo, ad hoc enim non sufficit vis universae naturae.

suscitavit enim praecipiendo tanquam verus Deus, etsi oraverit tanquam homo.

Non suscitavit autem sicut Eliseus ponendo se super mortuum, faciem super faciem, oculos super oculos, os super os, manus super manus, et orando ad Dominum; sed praecipiendo: *Clamavit voce magna: Lazare, veni foras.*[8] Nam etsi orat Dominus hodie – ait enim: *Iesus . . . elevatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me; ego autem sciebam quia semper me audis; sed propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti,* – orat antequam resuscitet, nec petit ut Deus suscitet Lazarum, sed gratias agit ac si iam suscitasset. Gratias enim agit quoniam Deus divinam ei contulerat virtutem et potestatem, ut posset resuscitare quos vellet: *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat,*[10] *quos vult* voluntate humana. Etiam natura humana, etiam voluntate Lazarum diligebat et suscitare cupiebat, et sic exauditum se dicit a Deo semper iuxta desiderium suum, quod esset desiderium voluntatis non naturalis, sed rationalis. Christus igitur non orando tanquam purus homo, sed imperando tanquam verus Deus hodie Lazarum resuscitat: *Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus.*[11]

Sic Christus ostendit se triplicis vitae auctorem esse: naturae, gratiae et gloriae.

Sic ostendit Christus se vitae auctorem esse, sicut alibi ait: *Ego sum via et veritas et vita,*[12] idest auctor vitae. Sic I o a n n e s, postquam divinam Verbi personam declaravit: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum,* subiunxit: *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum.*[13] *In ipso vita erat* et triplex vita: naturalis: *Omnia per ipsum facta sunt;*[14] [gratiae]: *Vita erat lux hominum;* et gloriae: *Vitam aeternam dedit nobis Pater, et haec . . . in Filio eius est.*[15] D i v u s P a u l u s etiam Christum *vitam nostram* appellat:

7) Cf. ibid. 4, 8 sqq. 8) Io 11, 43. Vulg.: *Voce magna clamavit,* etc. 9) Ibid. vrr. 41-42. 10) Ibid. 5, 21. 11) Ibid. 11, 43-44. 12) Ibid. 14, 6. 13) Ibid. 1, 1-4. 14) Ibid. vr. 3. 15) 1 Io 5, 11. Vulg.: *Dedit nobis Deus,* etc.

Cum autem *Christus apparuerit, vita vestra ;* [16] et Regius Vates: *Quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen.* [17]

Saepe Dominus se vitae auctorem esse ostendit: *Exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Sic enim Deus dilexit,* etc.; [18] *Qui credit* in me, *habet vitam aeternam ;* [19] *Omne quod dedisti ei, det eis vitam aeternam.* [20] Hodie vero: *Ego,* inquit, *sum resurrectio et vita ; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet, et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.* [21]

Saepe Dominus se dixit auctorem vitae,

Nec verbis tantum vitae se auctorem Dominus se hodie demonstrat, sed etiam facto, resuscitans Lazarum mortuum et quattuor dies iam in monumento habentem. [21*] Nec agit sacrosanctum hodiernum Evangelium de resurrectione unius tantum Lazari, sed de resurrectione universali omnium defunctorum: *Scio,* inquit Martha, *quia resurget in resurrectione in novissimo die.* [22] Cui Dominus: *Ego,* inquit, *sum resurrectio et vita,* idest causa universalis resurrectionis, auctor vitae omnium defunctorum. Et in comprobationem huius veritatis Lazarum suscitavit, ut ostenderet quod, sicut Lazarum mortuum et iam corruptum in monumento suscitavit hodie, sic in die iudicii mortuos omnes suscitabit: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur,* [23] nunquam in aeternum amplius morituri: *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent ; et procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicii ;* [24] *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* [25] Sic Christus auctor est vitae aeternae.

hodie vero facto etiam demonstrat.

III. Sed, quaeso, videamus quidnam Lazarus iste significat, cui Dominus hodie auctor est vitae. Homo hic erat amicus Christi: *Lazarus amicus noster dormit ;* [26] dilectus a Christo: *Ecce quem amas infirmatur ;* [27] *Diligebat . . . Iesus Martham et sororem eius Mariam et Lazarum ;* [28] homo erat: *A Bethania, de castello Mariae et Marthae, sororum eius.* Haec omnia mysteriis plena sunt. In sacrosancto enim hodierno Evangelio magno mysterio universa fere dispensationis divinae

Lazarus mundum peccatorem significat.

16) Col 3, 4. 17) Ps 35, 10. 18) Io 3, 14-16. 19) Ibid. vr. 36.
20) Ibid. 17, 2. 21) Ibid. 11, 25-26. 21*) Cf. ibid. vr. 39. 22) Ibid. vr. 24.
23) 1 Cor 15, 22. 24) Io 5, 28-29. Inseruit pericopen vr. 25. Vulg.: *Qui bona fecerunt,* etc. 25) Mt 25, 46. 26) Io 11, 11. 27) Ibid. vr. 3. 28) Ibid. vr. 5.

ratio circa humani generis salutem repraesentatur. Diligit Christus Lazarum: *Sic . . . Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*[29] Lazarus mundum peccatorem designat, ut docent Irenaeus libro 5, capite 13,[30] Augustinus *Tractatu 49 in Ioannem,*[31] et Gregorius *22 Moralium*, capite 9.[32]

Deus diligit omnes creaturas, praecipue vero Angelos et hominem.

Diligebat . . . Iesus. Diligit Deus omnia, sed praecipue creaturas, quas *ad imaginem et similitudinem suam*[33] condidit: hominem et Angelum. Angelorum autem duae sunt praecipue acies: *Millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei.*[34] Ecce mysterium trium personarum quas Christus praecipue diligit: Martham, Angelos ministrantes, Mariam, assistentes, et Lazarum, hominem. Designantur autem Angeli duali numero, quoniam in multitudine creati fuerunt, homo vero per unitatem, quoniam unus tantum homo formatus fuit.[35] Angeli per sexum femineum minus nobilem, homo autem per masculeum nobiliorem ratione divinae incarnationis, quia: *Nusquam . . . Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.*[36] Sic enim homo Angelis praepositus est, hinc singulariter dicitur *dilectus: Ecce quem amas; Lazarus amicus noster.*

Lazarus figura hominis prius innocentis et postea tentati et lapsi.

Dicitur autem homo *Lazarus*, quod est לַעֲזֹר,[37] ad auxiliandum, quia propter hominem Deus universa creavit: terram, coelum, Angelos, ad auxiliandum homini. Sic enim homo finis quodammodo est universi. Ipse autem creatus fuit ad fruendam felicitatem aeternam in coelesti paradiso, quae est Bethania castellum Mariae et Marthae, domus et habitatio Angelorum. Infirmatus fuit hic Lazarus cum tentatus a diabolo fuit. Sed quis dubitare potest quod, cum angelicae mentes summa praeditae sint caritate Lazarumque hunc tanquam fratrem carissimum dilexerint, videntes hominem iam infirmari virtuteque deficere in diabolica illa tentatione, non intercesserint pro eo dicentes: *Domine, ecce quem amas infirmatur?* Dominus vero: *Infirmitas,* inquit, *haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.*[38]

29) Ibid. 3, 16. 30) *Contra Haereses,* (P. G. 7, 1156). 31) P. L. 35, 1752-1756. 32) Iuxta Migne cp. 15, ibid. 76, 231-232. 33) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 34) Dn 7, 10. 35) Cf. Gn 2, 7. 36) Hebr 2, 16. 37) Ms.: *Lahasar.* Cf. S. Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae*, sub radice: עָזַר. 38) Io 11, 4.

Quicquid agit Deus, ad Christi Filii sui gloriam agit, ad ostendendam infinitam eius potentiam, sapientiam et bonitatem. Creavit mundum hunc magnum, atque ad ostendendum infinitum thesaurum iustitiae, misericordiae et caritatis suae creavit hominem, parvum mundum, [39] et propterea eum et tentari et peccare permisit *pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Si non peccasset homo, venire quidem potuisset Filius Dei in mundum ut glorificator, [40] sed quidnam facinus et illustre opus effecisset? Quomodo ostendisset thesauros divinitatis suae? Quomodo infinitam virtutem suam manifestasset? Non opus fuisset miraculis, quibus Christus manifestavit infinitam potentiam suam ; non praedicatione Evangelii, ubi manifestavit sapientiam suam; non institutione Sacramentorum, ubi thesaurus manifestatur infinitae bonitatis Dei; non pati et mori, quod argumentum est infinitae caritatis; non iudicare vivos et mortuos, argumentum iustitiae; non salvare peccatores, argumentum misericordiae; non pugnare contra diabolum, peccatum et mortem et de eis gloriosam victoriae palmam reportare summaeque gloriae corona in aeternum donari.

Deus omnia agit ad Filii sui gloriam, peccatum quoque permisit ut ostenderet thesauros potentiae, sapientiae et bonitatis Christi,

Propter hodiernum miraculum Christus summopere glorificatus fuit; quam igitur gloriam afferret Christo universalis resurrectio omnium mortuorum? *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam,* ut cognoscatur verus mortis destructor et vitae auctor.

qui hodie cognoscitur verus auctor vitae.

IV. Noluit Christus infirmum Lazarum sanare, ut posset maximo miraculo resuscitare, [41] ideo *mansit in eodem loco duobus diebus ;* [42] universum tempus legis naturae et legis Moysi expectavit, ac tunc venit et invenit eum quattuor iam dies in monumento habentem: *Mille anni sicut dies una.* [43] Christus autem quarto annorum millenario a peccato Adami venit in mundum, nam bis mille annis duravit lex naturae et bis mille lex Moysi. Christus autem in fine legis venit in mundum novam afferens evangelicam legem. Venit autem et invenit Lazarum mortuum ligatum manus et pedes institis, ligatum sudario

Noluit Christus infirmum Lazarum sanare, ut posset maximo miraculo resuscitare.

39) Cf. supra, Feria Quarta Dominicae Quartae Quadragesimae, pag. 384, not. 7. 40) Celeberrima sententia Scoti. Cf. *In 3 Sentent.*, dist. 7, q. 3; dist. 19, q. 1. 41) Cf. S. Augustinus, *Tract. 49 in Io*, (P. L. 35, 1749). 42) Io 11, 6. 43) 2 Petr 3, 8. Vulg.: *Dies unus.*

faciem, positum in monumento, lapidem superpositum ei, habentem quattuor dies in monumento et iam tandem totum corruptum atque fetentem. [44] Talis erat homo, maxime in spiritu, *totus in maligno positus.* [45]

Iter eius a Galilaea in Iudaeam significat incarnationem,

Christus autem ad mortuum hunc suscitandum venit a Galilaea, ubi secure conversabatur, in Iudaeam, ubi ad mortem quaerebatur; [46] unde aiunt discipuli: *Magister, nunc quaerebant te Iudaei interficere, et iterum vadis illuc ?* [47] Venit a coelo in terram, ubi ab inimicis occidendus erat, et venit Bethaniam quod est d o m u s e x a u d i t i o n i s, sive a f f l i c t i o n i s et h u m i l i a t i o n i s : *Qui cum in forma Dei esset . . . humiliavit semetipsum.* [48]

qua ipse de coelo in terram descendit, pro amore hominis homo factus,

Venit Iesus Bethaniam, Iesus qui hodie dicitur *Deus : Pro gloria Dei ; Videbis gloriam Dei ;* dicitur *Filius Dei : Ut glorificetur Filius Dei per eam ;* dicitur *Christus : Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti ;* [49] dicitur *resurrectio et vita : Ego sum resurrectio et vita ; qui credit in me*, etc.; dicitur *Dominus : Domine, si fuisses hic, non fuisset mortuus frater meus :* [50] sic dixit Martha, sic replicavit Maria; et iterum: *Domine, iam fetet ;* [51] tandem dicitur *magister :* sic discipuli aiunt: *Rabbi, nunc quaerebant te Iudaei,* etc.; Martha etiam Mariae dixit: *Magister adest et vocat te.* [52] Hic Iesus, talis ac tantus vir, pro salute unius homuncionis venit Bethaniam, venit in mundum hunc cogente amore, quoniam diligebat Lazarum: *Ecce quem amas infirmatur ; Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum . . . Lazarus mortuus est.* [53]

ut multa pateretur usque ad mortem, quam libenter subiit tempore a Patre determinato.

Nec tantum venit Bethaniam, sed etiam *infremuit spiritu, turbavit seipsum, lacrimatus est,* [54] oravit ad Patrem, venit ad monumentum, clamavit voce magna, et tandem dixit: *Solvite eum et sinite abire.* [55] Venit cum vitae periculo et quasi ad mortem certam, unde Thomas ait ad condiscipulos: *Eamus et nos et moriamur cum illo.* [56] Imo hoc est quod ipsemet Dominus ait: *Nonne duodecim horae sunt diei ? Qui ambulat in luce non offendit.* [57] Occidendus, inquit, sum a Iudaeis non ante tempus a Patre determinatum, sicut sol non occidit ante

44) Cf. Io 11, 39-44. 45) 1 Io 5, 19. 46) Cf. Io 7, 1. 47) Ibid. 11, 8. Vulg.: *Rabbi, nunc quaerebant te lapidare,* etc. 48) Phil 2, 6-8. 49) Io 11, 27.
50) Ibid. vr. 21. Vulg.: *Frater meus non fuisset mortuus ;* vr. 32. Vulg.: *Non esset mortuus frater meus.* 51) Ibid. vr. 39. 52) Ibid. vr. 28. 53) Ibid. vrr. 11-14.
54) Ibid. vrr. 33-35. 55) Ibid. vr. 44. 56) Ibid. vr. 16. Vulg.: *Ut moriamur,* etc.
57) Ibid. vr. 9. Vulg.: *Nonne duodecim sunt horae diei ? Si quis ambulaverit in die,* etc.

duodecimam horam, nec possunt facere homines ut ante determinatum tempus sol occidat, nec dies ante duodecimam horam finiri potest, quamvis proculdubio habitura sit finem; ideo timendum vobis non est periculum aliquod. Nam, sicut qui ambulat in die, quamvis sit ultima hora diei, non offendit, non impingit in scandala, quia diurnae lucis beneficio ea videt, sed offendit impingitque qui nocte obscura sine lumine in tenebris ambulat; sic nil vobis timendum est quandiu mecum fueritis et quandiu vivus ego fuero, usquequo veniat hora mortis meae.

Praedicit igitur Dominus mortem suam, se occidendum a Iudaeis, sed non ante determinatum tempus. O Christi caritas! *Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* [58] Hoc est quod Christus ad monumentum venit, vitam suam cum Lazari morte commutavit; dedit Lazaro vitam suam sibique mortem Lazari accepit. Pro salute nostra Christus non tantum venit in mundum homo passibilis et mortalis, sed pati etiam et mori voluit. *Infremuit spiritu, turbavit semetipsum, lacrimatus est* et tandem ad monumentum venit voceque magna clamavit: *Lazare, veni foras.* Et Christus in cruce *clamans voce magna emisit spiritum*, tunc *multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt.* [59] Cum moritur Christus homines a morte resurgunt, quia mors Christi vita nostra facta est. Hoc est quod veniens Christus ad monumentum Lazarum suscitavit.

Hoc autem maximum signum caritatis est, vitam ponere pro amicis.

Ecce quomodo amabat eum. Videntes Iudaei Christum lacrimantem sic dixerunt: *Ecce quomodo amabat eum.* Nos autem et morientem Christum videmus pro salute mundi: *Sic . . . Deus dilexit mundum*, sic Christus verus Deus dilexit nos, ut daret animam suam pro salute nostra. Bone Deus, quaenam haec est caritas infinita? *Ecce quomodo amabat eum : Caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans* [60] tui.

Sic ergo Christus dilexit nos ut mortem subiret pro salute nostra;

Scitis quidnam sit: *infremuit spiritu et turbavit semetipsum ?* Fremitus irae signum est. Infremuit Christus contra diabolum, peccatum et mortem; *turbavit semetipsum*, cum *coepit pavere et taedere,* [61] *contristari et moestus esse . . . Tristis est anima mea usque ad mortem ;* [62] *Factus in agonia prolixius orabat ; et factus est sudor eius velut*

et Deus cum esset, propter nos homo fieri vellet,

58) Ibid. 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem*, etc. Affert ex Com. Apostolorum, 2 antiph. *ad Laudes.* 59) Mt 27, 50. 52. 60) Ier 31, 3. 61) Mc 14, 33. 62) Mt 26, 37-38.

passionum et mortis nostrae particeps.

guttae sanguinis decurrentis in terram.[63] Clamavit etiam *cum clamore valido et lacrimis.*[64] Ecce Eliseus qui ad suscitandum mortuum puerum incubuit super illum seipsumque restrinxit quantum potuit, ut poneret faciem suam super faciem pueri, manus suas super manus pueri, pedes suos super pedes pueri.[65] Necesse utique fuit ut sese collegerit ac restrinxerit, ut puero aequalem se faceret; nam ipse magnus erat vir mole corporis grandi et perfecta, puer autem parvulus erat. Sic Christus, magnus cum esset Deus, propter nos parvus homo fieri voluit, passionum et mortis nostrae particeps.

In rubo Deus ostendit caritatem suam erga populum hebraeum;

V. Videre mihi videor in sacrosancto hodierno Evangelio magnum illud miraculum, quo viso, Moyses vehementer miratus fuit. Videbat enim in rubo ignem ardentem quidem, sed non comburentem; videbatur flamma ignis, nec tamen faciebat ignis effectum.[66] Deus quidem ibi erat, qui in igne Moysi apparuit, quoniam *Deus . . . ignis. . . est,*[67] *Deus caritas est.*[68] Ostendit ibi Deus Moysi caritatem, qua israeliticam gentem diligebat.

eandem caritatem ostendit hodie Christus erga Lazarum verum et mysticum,

Videmus[69] divinam Christi caritatem erga Lazarum et verum et mysticum: *Domine, ecce quem amas infirmatur; Diligebat . . . Iesus . . . Lazarum ; Lazarus amicus noster ; Ecce quomodo amabat eum.* Ecce ignis ardens, sed non comburit, non agit ignis effectum. Sicut autem ignis effectus combustio est, ita amoris et caritatis effectus subventio est indigentis amici. Amor si amicum videt esurientem porrigit cibum, si sitientem dat potum, si infirmum visitat. Quodnam autem signum amoris esset sinere amicum cum fame sitique mori, aut si infectum veneno quis videret et praesentem theriacam petenti dare nollet? Quod signum amicitiae et amoris non liberare amicum a gravi et mortali periculo, cum facillime possit? Imo quomodo amat si dicit: *La-*

63) Lc 22, 43-44. Vulg.: *Sicut guttae*, etc. 64) Hebr 5, 7. 65) Cf. 4 Rg 4, 34. 66) Cf. Ex 3, 2-4. 67) Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 68) 1 Io 4, 8. 16. 69) In margine haec adiecta fuerunt: « Ad ostendendam caritatem suam Deus descendit in igne et posuit se inter spinas; dicit se Deum Abraham, Deum Isaac et Deum Iacob. Unde Christus contra Sadducaeos probavit resurrectionem mortuorum. Ostendere voluit Deus caritatem suam erga populum, quasi propter amorem illius in ignem et inter spinas ingressus sit, sicut Angelus Domini descendit in fornacem pro salute trium puerorum. Sicut autem fecit Deus cum populo hebraeo in captivitate Aegypti: permisit eum ad extremam devenire calamitatem et postea liberare voluit ad ostendendam gloriam suam, sic Christus hodie facere voluit in Lazaro ».

zarus mortuus est, et gaudeo?[70] Quisquis amat non gaudet, sed tristatur morte amicorum.

et quidem magnam et ineffabilem;

Hodie tamen ignem videmus ardentem quidem, sed non comburentem. Diligebat Christus Lazarum amore magno et ineffabili; tamen, cum potuisset eum ab infirmitate praeservare, minime fecit, sed in mortalem morbum et languorem cadere eum fecit, cum potuisset sanare a languore, sicut innumeros infirmos sanaverat.[71] Nec id quidem praestare voluit, quamvis rogatus efficacissima oratione fuisset a sororibus languentis; miserunt enim sorores eius non unum tantum nuntium, sed plures a Iudaea usque in Galilaeam dicentes: *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Brevis quidem oratio, sed efficacissima. Potuissent dicere: Domine, ecce unicus frater noster, qui baculus est et columna domus nostrae, ecce amicus tuus, qui te tantopere diligit. Non dicunt: Rogamus ut venias et sanes eum; non dicunt: Meretur, *dignus est ut hoc illi praestes;*[72] sed tantum: *Quem amas infirmatur;* cognoscebant enim magnum Christi erga Lazarum amorem. Amanti satis est necessitatem indicare. Christus tamen, cum unico voluntatis nutu absentem sanare potuisset, sanctarum tamen mulierum, quas diligebat, precibus nil motus videtur; sed: *Infirmitas,* inquit, *haec non est ad mortem.* Sinit amicum gravissima infirmitate gravari ac tandem mori, sepeliri et in monumento putrescere ac corrumpi. Quidnam hoc signum amoris? Hinc multi ex Iudaeis hodie dicunt: *Non poterat hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere ut* et *hic non moreretur?*[73] Sed distulit Christus infirmum sanare ut posset mortuum suscitare; distulit, ut multo maioribus facinoribus caritatem suam erga illum ostenderet.

sinit autem amicum mori, ut magis eius caritas pateret.

Ecce signa veri amoris: pro Lazaro resuscitando magnum assumit iter a Galilaea in Iudaeam:[74] *Lazarus amicus noster dormit, sed*

Multa amoris signa dedit Christus erga Lazarum.

70) Io 11, 14-15. 71) Cf. Mt 8, 17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 14, 14; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 72) Lc 7, 4. 73) Io 11, 37. 74) In margine haec adiecta fuerunt: « Sic David, dum pastor esset, pro salute unius tantum ovis aut agni exponebat se mortis periculo pugnans cum urso et cum leone ad eripiendum pecus de ore eius: *Veniebat,* inquit, *leo et ursus* et rapiebat pecus, et ego egressus post eum percutiebam eum et eripiebam de ore eius, et insurgebant contra me; ego vero *apprehendebam mentum* ipsius et percutiebam occidebamque. Ita *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Sic debet quilibet pastor animarum pro salute cuiusvis ovis suae exponere vitam etiam suam mortis periculo. In hebraico legitur quod *veniebat leo vel ursus et rapiebat,* שֶׂה (ms.: שה, *sceh*), *de grege.* Haec autem vox significat agnum vel haedum parvum. Pro salute ergo

vado ut a somno excitem eum ; eamus in Iudaeam.[75] Pro eo resuscitando exponit vitam suam mortis periculo, abit in terram inimicorum suorum. Hinc aiunt Apostoli; *Rabbi, nunc quaerebant te Iudaei interficere, et iterum vadis illuc ?* Et Thomas ad condiscipulos ait: *Eamus et nos et moriamur cum illo.* Christus tamen sprevit pro amico vitae suae periculum. *Maiorem* autem *hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* In signum etiam amoris venit usque ad monumentum nec fetorem horruit; hic *infremuit spiritu, turbavit semetipsum, lacrimatus est* et tandem *voce magna clamavit: Lazare, veni foras,* ac sic eum ad vitam revocavit. Distulit igitur Christus gratiam, non negavit, vel negavit gratiam minorem ut conferret multo maiorem; negavit sanitatem infirmo, ut quatriduano mortuo vitam daret divino miraculo et omnium maximo.

Genus humanum Deus peccare permisit ut multo maiorem caritatem suam ostenderet.

VI. Sicut autem cum vero Lazaro Christus egit, ita etiam cum mystico, humano, inquam, genere. Diligebat Deus hominem, propter quem mundum creavit; sed cur tentari eum permisit? cur vinci a diabolo? cur peccare? cur duplici interitu mori? Profecto ut multo maiorem erga eum caritatem ostenderet veniens e coelo in terram, multa patiens et tandem in cruce moriens pro salute hominis, ut vitam aeternam ei daret. Ad Lazarum enim hunc resuscitandum venit Bethaniam, quod est d o m u s h u m i l i a t i o n i s et a f f l i c t i o n i s ; nam, *cum in forma Dei esset* aequalis Deo, *exinanivit semetipsum* atque *humiliavit . . . factus obediens usque ad mortem . . . crucis.*[76]

Mors Lazari mortem spiritualem designat, resurrectio autem universalem resurrectionem ad utranque vitam;

Quoniam vero duplici morte homo per peccatum interiit: morte quidem spiritus et morte corporis, siquidem duplicem vitam ducebat homo in paradiso: alteram communem cum animalibus in terra, quae consistit in unione animae et corporis mediantibus spiritibus naturalibus, vitalibus et animalibus, alteram vero communem cum Angelis in coelo, quae consistit in unione animae cum Deo ac Sancto Spiritu mediantibus virtutibus theologicis: fide, spe et caritate; utranque hanc vitam homo per peccatum amisit et duplicem mortem incurrit.

parvi vel haedi vel agni, non tantum pro salute ovis, exponebat David vitam suam mortis periculo. Sic pastor gregis Christi pro salute cuiusvis etiam humilis personae pugnare contra diabolum debet, ut animam illam de manu satanae eripiat, et satagere ut Lazarum mortuum resuscitet, idest peccatorem hominem de morte peccati liberare ». 75) Io 11, 7.
76) Phil 2, 6-8. Vulg.: *Semetipsum exinanivit*, etc.

Mors igitur Lazari mortem etiam spiritualem designat; resurrectio vero signum est universalis resurrectionis ad utranque vitam.

Hinc Christus in primo quidem adventu suo mundum in spiritu suscitare venit per fidem: ecce hodie *multi . . . crediderunt in eum*, [77] haec spiritualis est resurrectio; in novissimo autem die venturus est ad mundum universum resuscitandum carne ad corporalem vitam. Sic Deus electum populum suum in Aegypto permisit afflictione maxima cruciari, ut eum summa cum gloria inde eriperet ac liberaret; [78] affligi permisit pro maiori gloria Dei et salute populi in tam multis et magnis miraculis, quae divina virtute Moyses operatus fuit. [79] Sic beatum Iob affligi a diabolo permisit, ut multo magis postea glorificaret. [80] Hoc est quod Christus hodie ait: *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.*

nunc enim Christus suscitat mundum in spiritu per fidem, in fine suscitabit in carne ad corporalem vitam.

VII. *Erat quidam languens Lazarus a Bethania de castello Mariae et Marthae, sororum eius. Erat autem Maria*, etc. [81] Lazarus languens et infirmus, dormiens postea a Domino dicitur: *Lazarus amicus noster dormit.* Sed tandem Lazarus mortuus est et ligatus manus et pedes institis, facie etiam eius sudario ligata, positus fuit in monumento et lapis superpositus fuit ei. Mansit quattuor dies in monumento corruptusque fetere coepit. Haec autem omnia mysteriis plena sunt. Mors in Divinis Scripturis peccatum designat; hinc pater de filio prodigo dixit: *Frater tuus hic mortuus erat et revixit.* [82] Mors enim umbra quaedam peccati est.

Mors in Sacra Scriptura significat peccatum.

Tres autem mortuos a Domino specialiter suscitatos invenimus: filiam Iairi archisynagogi, [83] filium viduae naimitis [84] et hodie Lazarum, quoniam tria sunt peccatorum genera: quoddam committitur per fragilitatem: haec filia est archisynagogi; quoddam per ignorantiam: hic est adolescens filius viduae; et quoddam per malitiam: hic est Lazarus. Filiam archisynagogi Dominus facillime suscitavit dicens: *Talitha, cumi . . . puella . . . surge;* [85] similiter filium viduae: *Adolescens, tibi dico, surge.* [86] At non sic Lazarum. Ad eum enim suscitan-

Tres mortuos legimus a Christo suscitatos; significant autem tria peccatorum genera: fragilitatis, ignorantiae et malitiae.

77) Io 11, 45. 78) Cf. Ex 1, 8 sqq.; 5, 6 sqq.; 14, 1 sqq. 79) Cf. Ps 104, 26-37. 80) Cf. Iob 1, 6-2, 1-10; 42, 10 sqq. 81) Io 11, 2. Vulg.: *Maria autem erat.* 82) Lc 15, 32. 83) Cf. Mc 5, 22 sqq.: Lc 8, 41 sqq. 84) Cf. Lc 7, 12-15. 85) Mc 5, 41. 86) Lc 7, 14.

dum venit Bethaniam, *infremuit spiritu, turbavit semetipsum, lacrimatus est, venit ad monumentum,* iussit tolli lapidem, oravit ad Patrem, et tandem *voce magna clamavit : Lazare, veni foras.* Christus, qui uno verbo mundum creavit absque ullo labore, ad suscitandum hominem a morte peccati multa passus est multumque laboravit, maxime cum iam peccatum conversum veluti in naturam est ex peccandi consuetudine, ex habitu inveterato, ex cordis duritia et impoenitentia. Hic est enim Lazarus positus in monumento cum superposito lapide.

In Lazaro ostenditur processus quo peccator gradatim ad extremum miseriae devenit;

VIII. Sed videamus quomodo ad talis tantaeque miseriae et infelicitatis statum Lazarus iste devenit. Nemo enim repente fit summus:[87] scintilla accendit fomitem, fomes paleam aut stuppam, hinc accenduntur ligna et fit maximus ignis. Ecce processus: erat languens Lazarus, infirmabatur, procedens morbus ad ulteriora gravior fit, nisi adhibeatur remedium conveniens; Lazarus dormit, lethargus mortalis; Lazarus mortuus est, hinc ligatus manus et pedes, ligata etiam facie sudario; hinc ponitur in monumento, superponitur lapis; hic manet, hic corrumpitur, hic fetet. Incipit malum a scintilla malae cogitationis, ex diabolica suggestione; hinc accenditur fomes carnalis concupiscentiae, hinc oritur delectatio trahens desiderium, et voluntatis assensus in delectationem. Tunc sequitur consensus ad opus peccati, opus peccati sequitur frequentia actuum, hinc fit habitus, deinde confirmatur et inveterascit habitus, ut impossibile videatur homini bene agere et a vitio abstinere; amittit erubescentiam assumendo frontem meretricis; hinc tandem duritia cordis et impoenitentia, unde internus homo totus corruptus interius, fetet etiam exterius per malam famam, fit peccator infamis. Bona enim fama dicitur *bonus odor: Christi bonus odor sumus* in omni loco.[88]

« Principiis obsta, sero medicina paratur
Cum mala per longas convaluere moras ».[89]

sed nunquam ullius desperanda est salus.

Sic Lazarus fetet quatriduanus in monumento; hinc ad resuscitandum hunc Lazarum et ad vitam gratiae revocandum multis opus est: *In-*

87) Proverbium, de quo, cf. supra, Feria Sexta Dominicae Tertiae Quadragesimae, hom. 2, pag. 270, not. 31, 88) 2 Cor 2, 15. 89) Ovid. *Remedia Amoris*, vrr. 91-92. Ms.: *Per multas invaluere moras.*

fremuit spiritu Christus, *lacrimatus est*, oravit ad Patrem, *venit ad monumentum, clamavit voce magna : Lazare, veni foras*. Nunquam quidem desperanda est salus cuiusvis etiam deploratissimi peccatoris.

II. ALIA HOMILIA

Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariae et Marthae sororum eius. Erat autem, etc. [1]

I. Habemus in sacrosancto hodierno Evangelio miraculum, quod omnium miraculorum Christi corona est ac veluti sol inter astra. Hinc ait Christus: *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam ;* [2] viso enim hoc miraculo, sicut hodiernum Evangelium dicit, *multi . . . crediderunt in eum,* [3] et ob miraculum istud Christus in die palmarum summo cum honore exceptus fuit in Ierusalem tanquam verus rex a populis innumerabilibus comitatus: Quia, inquit Ioannes, *audierunt eum fecisse hoc signum,* et: *Testimonium . . . perhibebat turba . . . quando Lazarum vocavit a monumento.* [4] Adhuc ipsemet Christus miraculum istud *gloriam Dei* vocat. Dixit Marthae: *Si credideris, videbis gloriam Dei.* [5]

Maximum miraculorum Christi est hodiernum, quod Christus ipse vocat *gloriam Dei.*

II. In omnibus quidem miraculis, quae Christus ad gloriam Patris sui et salutem nostram operatus est, elucet divina potentia, divina sapientia, divina bonitas et caritas; sed in hoc super omnia divina quidem potentia, quia ad mortuum suscitandum non sufficit totius naturae vis omniumque creaturarum naturalis potestas. Christus autem hodie imperio tantum verbi sui suscitat mortuum et quatriduanum, qui iam corruptus erat et fetebat, iam putrefactus cadaver. Uno tamen momento, in ictu oculi, surrexit vivus, sanus, integer et valde robustus; cuius signum quod, ligatus manus et pedes institis, surgere tamen potuit a terra, in qua supinus iacebat: *Statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus et pedes;* [6] quod quidem non potest homo, quamvis magnis viribus praeditus. Hodiernum igitur miraculum magnum fuit divinae potestatis opus.

Elucet in hoc miraculo maxime divina potentia Christi, quia imperio tantum suscitat mortuum;

1) Io 11, 1-2. Vulg.: *Maria autem erat.* Cf. not. 4 praec. hom., pag. 443. 2) Io 11, 4. 3) Ibid. vr. 45. 4) Ibid. 12, 17-18. Vulg.: *De monumento.* Ordine inverso affert hos vrr. 5) Ibid. 11, 40. 6) Ibid. vr. 44.

sapientia, quia per illud multorum curavit infirmitates spirituales;

Elucet etiam hodie divina Christi sapientia, qua permisit Lazarum infirmari et mori, sepeliri etiam et computrescere in monumento; qua noluit exaudire preces sanctarum mulierum ut Lazarum infirmum sanaret; qua, accepto nuncio infirmitatis Lazari, manere adhuc voluit duobus diebus trans Iordanem, nec praesens esse voluit languori vel morti, sed in sepulcro Lazarum visitare. [7] Voluit enim Christus ut Lazari mors antidotum esset contra mortem peccati, sicut serpens aeneus in deserto remedium fuit contra ignitos serpentes venenaque eorum. Noluit sanare infirmum ut suscitaret mortuum [7a] eoque miraculo multorum curaret spirituales infirmitates.

nam languebat Lazarus corpore, sorores eius languebant spiritu

Erat quidem Lazarus languens corpore, sed sorores eius spiritu languebant. Perfecta enim sanitas spiritus consistit in perfectione vivae fidei, sed Marthae et Mariae imperfecta fides erat, nam mittunt nuncios ad Christum dicentes: *Ecce quem amas infirmatur,* [8] quasi Christus hoc ignoraret, cum tamen Dominus probe noverit et quando infirmatus et quando mortuus fuit Lazarus; nec tantum novit, sed dixit etiam Apostolis: *Lazarus amicus noster dormit . . . Lazarus mortuus est . . . sed vado ut a somno excitem eum.* [9]

defectu fidei perfectae circa Christi potentiam

Haec Christi potentia est, sic enim ipse suscitat mortuos sicut nos dormientes excitamus; et haec Christi sapientia, omnia novit: *Omnia . . . nuda et aperta sunt oculis eius.* [10] Est mundus hic in manu Christi vas crystallinum, in cuius medio omnia etiam minutissima videntur. Sorores igitur Lazari non plene credebant aut noverant hanc Christi sapientiam, imo nec potentiam quidem, nam Martha ait: *Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus;* [11] similiter Maria dixit cum lacrimis: *Domine, si fuisses hic.* [12] Est imperfecta fides, quasi Christus non potuerit absens etiam sanare infirmum, sicut sanavit servum centurionis [13] et filium reguli. [14]

et eius divinitatem;

Nec plene credebant Christi divinitatem, nam Martha ait: *Nunc scio quia quaecunque poposceris a Deo dabit tibi Deus.* [15] Credebat Christum sanctum Dei prophetam esse et Messiam quidem: *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti ;* [16]

7) Cf. ibid. vrr. 2-7. 7a) Cf. not. 41, praec. hom., pag. 447. 8) Io 11, 3. 9) Ibid. vrr. 11-14. Ordine inverso affert hos vrr. 10) Hebr 4, 13. 11) Io 11, 21. Vulg.: *Frater meus non fuisset mortuus.* 12) Ibid. vr. 32. 13) Cf. Mt 8, 5-13; Lc 7, 2-10. 14) Cf. Io 4, 46-53. 15) Ibid. 11, 22. 16) Ibid. vr. 27.

at Deum esse minime credebat posseque divina virtute sua mortuos omnes resuscitare, sicut Christus ait: *Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet, et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.* [17]

Nec tantum hae mulieres imperfectae erant fide Christi, verum etiam Apostoli, nam audientes Christum dicentem: *Eamus in Iudaeam ... dicunt ...: Rabbi, nunc quaerebant te Iudaei lapidare, et iterum vadis illuc?* [18] Et quamvis Christus dicat timendum nil esse: *Nonne duodecim horae sunt diei? Qui ambulat in luce non offendit, quia lucem huius mundi videt,* qui autem ambulat in tenebris *offendit, quia lux non est in eo,* [19] idest: Quandiu mecum eritis, timendum vobis nil est, quia *ego sum lux mundi,* [20] sicut homini ambulanti per viam quandiu dies est, etiamsi sit ultima hora diei, timendum nil est ne impingat in scandala, quoniam, praesente luce diei, videt ea et vitare potest; sed in obscura nocte, dum lux non adest, timendum est viatori ne impingat in scandala, quae tenebris operta sunt et minime videri possunt. **Apostoli etiam imperfecti erant fide,**

Quamvis autem Christus haec dixerit de divinitate divinaque potestate sua, quod, quamvis moriturus erat et occidendus a Iudaeis, non tamen fieri id poterat ante determinatum et praefixum tempus a Deo, dies enim est Christus et sol, qui ante duodecimam horam occidere minime potest, nec dies finiri; Apostoli tamen adhuc minime credunt. Hinc Thomas ait: *Eamus et nos et moriamur cum illo.* [21] Haec autem verba indicant imperfectam fidem, quod Christus minime posset in Iudaea sese et discipulos suos ab omnibus periculis liberare. **timebant enim ne Christus a Iudaeis invitus et impotens comprehenderetur et occideretur;**

Omnes igitur imperfecti erant in fide divinitatis Christi. Iudaei autem omnes increduli et perfidia obdurati erant in Christum. Sed, viso hoc miraculo, discipuli Christi una cum sororibus Lazari confirmati sunt in fide. Hinc ait Christus: *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, quia non eram ibi, ut credatis,* [22] hoc est ut perfectiorem fidem habeatis. Et propter [23] hoc multi alii, viso tali ac tanto miraculo, ad Christi fidem conversi sunt: *Multi,* enim inquit, cum vidissent quod fecerat Iesus signum, *crediderunt in eum.* Sic igitur sapientia **Iudaei etiam increduli erant, sed viso hoc miraculo omnes confirmati sunt in fide;**

17) Ibid. vrr. 25-26. 18) Ibid. vrr. 7-8. 19) Ibid. vrr. 9-10. Vulg.: *Sunt horae diei?* etc. 20) Ibid. 8, 12. 21) Ibid. 11, 16. Vulg.: *Ut moriamur cum eo.* 22) Ibid. vrr. 14-15. Vulg.: *Ut credatis, quoniam non eram ibi.* 23) Ms.: *Praeter.*

Christi fecit mortem Lazari, vel ex morte Lazari, remedium contra mortem, sicut ex vipera venenata fit a sapiente medico theriaca contra venenum.

elucet tandem bonitas et magna caritas Christi, qui hodie periculo mortis vitam exponit pro salute unius hominis.

Bonitas et caritas magna Christi elucet in sacrosancto hodierno Evangelio: *Ecce quem amas infirmatur; Diligebat . . . Iesus . . . Lazarum ;* [24] *Ecce quomodo amabat eum.* [25] Siquidem pro salute Lazari Christus hodie vitam suam periculo mortis exposuit pergens in Iudaeam ad Lazarum resuscitandum, quod quidem signum est infinitae caritatis Christi erga hominem; pro salute enim unius hominis Christus in hunc mundum venisset passusque et mortuus fuisset. Sic pastor unam quaerit ovem quae periit, [26] mulier unam drachmam quam perdiderat. [27] Iesus exponit seipsum vitae periculo pro Lazaro resuscitando. Quis est iste *Iesus ?* In hodierno Evangelio dicitur *Rabbi*, dicitur *Deus* et *Filius Dei*, dicitur *resurrectio et vita*, idest destructor mortis et auctor vitae aeternae, dicitur *Christus Filius Dei vivi.* [28] Hic igitur Dei Filius, verus Deus, *Rex regum et Dominus dominantium*, [29] pro salute hominis vitam suam exponit periculo.

Quos maxime diligit Deus, in eo tentat quod maxime diligunt.

III. *Diligebat . . . Iesus Martham et sororem eius Mariam et Lazarum.* [30] Quomodo diligit quos affligit? Lazarum infirmari et languore angi permittit, imo et mori ac sepeliri, imo corrumpi ac computrescere in sepulcro; Martham autem et Mariam pro salute fratris supplicantes minime exaudit. Quomodo ergo diligit? Sed Dei proprium est sanctos suos tentare, et in eo quod maxime diligunt. Tentavit Abraham, sed in Isaac quem maxime diligebat; [31] tentavit Iacob, sed in Ioseph dilectissimo; [32] tentavit Iob in amissione omnium bonorum. [33] Sic tentat Martham et Mariam in infirmitate et morte Lazari.

sed ad maiorem eorum consolationem.

Sed tamen *infirmitas haec non est ad mortem.* Affligit Deus electos suos, sed ad maiorem consolationem; humiliat, sed ad maiorem exaltationem; tentat, sed ad maiorem glorificationem. Magna profecto tentatione probavit hodie Martham et Mariam in Lazari infirmitate et morte, quem maxime diligebant, siquidem miserunt pro eius salute ad Dominum non unum tantum, sed plures nuncios, et tamen Chri-

24) Ibid. vr. 5. 25) Ibid. vr. 36. 26) Cf. Mt 18, 12; Lc 15, 4. 27) Cf. Lc 15, 8. 28) Io 11, 27. 29) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 30) Io 11, 5. 31) Cf. Gn 22, 1-12. 32) Cf. ibid. 37, 1 sqq. 33) Cf. Iob 1, 6-2, 1-8.

stus dissimulavit auxilium, imo respondit: *Infirmitas haec non est ad mortem.* Et tamen Lazarus infirmus mortuus fuit atque sepultus corruptusque in monumento. Videtur Deus fidelis et verax negasse seipsum et a promisso defecisse: *Infirmitas haec non est ad mortem.* Et tamen mortuus est et quatriduo mansit in monumento.[34] O tentatio! *Sed est Deus verax, omnis autem homo mendax.*[35] Ad servandum promissum suum Deus quatriduanum suscitavit a monumento, cum sorores eius, quae[36] pro salute eius intercesserant, nil minus sperabant et expectabant. Sic Deus supplicum merita excedit et vota.[37]

Suscitatio Lazari ostendit Christum creatorem hominis.

Suscitavit hodie Christus Lazarum quatriduanum et iam corruptum et fetentem in monumento, ut ostenderet se figulum illum esse apud Ieremiam, qui confractum opus ut magis libuit refecit;[38] sic enim Moyses Deum figulum esse ostendit dum ait quod: *Formavit... Dominus Deus hominem de limo terrae.*[39]

Duo consideranda sunt in hodierno Evangelio: factum et mysterium,

IV. *Diligebat... Iesus Martham et sororem eius Mariam et Lazarum.* In sacrosancto hodierno Evangelio duo nobis consideranda sunt: factum mirabile et mysterium multo mirabilius, quatenus Lazarus humanam naturam significat, quae duplicem resurrectionem expectat: a morte spirituali et corporali, et ad hoc venit Christus. Quoad factum, totum mirabile est et omnium miraculorum Christi mirabilissimum. Ostendit autem Dominus in hoc Evangelio mirabilem erga hominem caritatem, quoniam ipse est homo ille igneus quem supra coelestem hierarchiam vidit Ezechiel;[40] et quicquid hodie facit Christus, ex nimia caritate facit. Si differt venire ad Lazarum vel sanandum vel suscitandum, ex caritate facit, ut postea tali tantoque miraculo Lazarum suscitando in carne multos suscitaret in spiritu a morte infidelitatis. Hinc ait: *Pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. Et gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi;* fides enim ad salutem supra modum necessaria est: *Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet, et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum; Si credideris, videbis gloriam Dei; Pater, gratias tibi ago quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper*

praecipue vero immensa caritas Christi erga Lazarum verum et mysticum.

34) Cf. Io 11, 39. 35) Rom 3, 4. Vulg.: *Est autem Deus verax,* etc. 36) Ms.: *Qui.* 37) S. Gregorius M. *Liber Sacramentorum,* (P. L. 78, 181); Missale et Breviarium Rom., Orat. Dom. XIII post Pent. 38) Cf. 18, 2-6. 39) Gn 2, 7. 40) Cf. Ez 8, 2.

me audis ; sed propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti. [41] Sic, viso hoc miraculo, *multi . . . crediderunt* in Christum et spiritu suscitati sunt, sicut Lazarus carne.

Hoc miraculo Christus maxime promovit salutem animarum.

Sic igitur Christus ex caritate distulit, ad promovendam salutem animarum. Usus est corpore mortuo putridoque cadavere Lazari Christus, sicut piscator esca utitur, sub qua hamum abscondit ad capiendos pisces; ita Christus divinus piscator esca hac multos cepit pisces, nam ait: *Multi . . . qui venerant ad Martham et* sororem eius *Mariam*, cum vidissent quod fecit Iesus signum, *crediderunt in eum.* [42] Utuntur medici in nonnullis medicamentis carnibus humani corporis iam extincti in corporum salutem; [43] Christus autem uti voluit in salutem animarum. Erant infirmi in fide animi Apostolorum et etiam sororum Lazari: *Si fuisses hic*, etc. Viso autem hoc miraculo, consolidati sunt, ita ut miraculum istud medicamentum fuerit conferens sanitatem animabus infirmis et vitam animabus mortuis: infirmis animabus discipulorum Christi et mortuis animabus Iudaeorum. Et propterea voluit Christus Lazarum mori, sepeliri, computrescere in monumento, ut miraculum resurrectionis ipsius nullum relinqueret ambigendi et

41) Io 11, 4. 25-26. 40-42. 42) Ibid. vr. 45. Vulg.: *Ad Mariam et Martham*, etc.

43) Alludere videtur S. Auctor usui saec. XIV, XV et XVI inter pharmacopolas vulgatissimo remedia conficiendi ex pulvere mumiarum et ex carnibus et ossibus cadaverum exiccatis et tritis. Cf. Alberico Benedicenti *Malati, Medici e Farmacisti*, vol. 1, pag. 331. 764-771. De hoc praestabit legere quod a. 1544 scripsit M. Pietro Andrea Matthiolo, qui, postquam descripsit virtutes medicas, quas antiqui bitumini et pici tribuebant, ait: « Vuole il Brasavola, che si possa per il Bitume Giudaico usare sicuramente la *Mumia* affermando essere la Mumia, che haviamo in uso nelle Spetiarie il vero Asphalto di Giudea . . . Avicena al libro II de suoi canoni dice. che la Mumia ha la virtù medesima, che ha l' Asphalto meschiato con Pece . . . La Mumia delle sepolture si fa di Mirrha, d' Aloe, et altre cose, che mettono con esse, et di quella humidità, che risuda dai corpi humani. Ma di questa a' i tempi nostri non se ne porta in Italia; perchè tal mistura non usano in Soria altri se non i nobili, et li ricchi, per esser cose d' assai valore, et questi tali hanno le loro sepolture benissimo ordinate, et serrate, et imperò non cosi agevolmente si gli possono robbare i corpi da i mercanti christiani, che vanno in quel paese, come si possono con minore difficoltà torre quelli delle povere persone, che empiono i loro Asphalto misturato con Pece. Il che fa vero argomento, che la vera Mumia non si porti di Soria. Per il che manifestamente errano coloro, che per la Mumia intendono della Carne di quei corpi secchi, et non del condimento loro, COME FANNO ALCUNI SPETIALI, CHE NE PESTANO LA CARNE, ET L' OSSA, ET COSI' POSCIA LA METTONO IN TUTTI I MEDICAMENTI che ricevano la Mumia nelle compositioni loro. Sarebbe adunque necessario a chi volesse havere della buona, di fare empire dei corpi, de i cristiani, che muoiono nelli spedali di quella misture d' Aloe, Mirrha, et Zaffarano, et al congruo tempo torla poi fuore, percioche (secondo che scrivono gli Arabi) ha la Mumia assaissime virtù ». Prosequitur autem in descriptione plurimarum infirmitatum quae medicamentis ea carne confectis curari dicebantur. *Pedacio Dioscoride Anazarbeo Della historia et materia medicinale*, lib. 1, cp. 82, pag. 58-59.

dubitandi locum, sed veritatem divinae virtutis Christi omnibus testatissimam faceret.

V. Clamans *voce magna* dixit: *Lazare, veni foras.* [44] Quid magnus iste clamor significat ante Lazari suscitationem? In lege iussum est ut sacerdotes argenteas tubas haberent, quibus clangerent cum ad bellum eundum erat contra inimicos. [45] *Deuteronomio* autem praeceptum est ut, appropinquante proelio, sacerdos ad exercitum concionem haberet, ut in Deo omnem spem fiduciamque reponentes, ab hostibus, quamvis multo potentioribus, nihil timerent. [46] Christus autem sacerdos est et princeps exercitus Dei, qui venit ad pugnandum contra diabolum tenentem *mortis imperium.* [47] Pugnaturus autem erat in passione sua. Appropinquante igitur certamine passionis suae cum principe tenebrarum et mortis, hodie magna hac voce veluti tuba clangit, provocans inimicum ad certamen.

Clamor Christi ante Lazari suscitationem veluti signum est provocans diabolum ad pugnam;

Et vere mirum in modum hoc miraculo provocatus fuit diabolus contra Christum, nam principes Iudaeorum fama huius miraculi commoti, quoniam propterea multi credebant in Christum, statuerunt coacto concilio non solum Lazarum interficere, sed etiam ipsum Christum auctorem miraculi. [48] Hoc igitur miraculo Christus et clamore hoc magno veluti clangore tubae invitavit et provocavit inimicos ad proelium. Et sicut si rex in persona propria pergat et vi capiat castrum aliquod aut arcem inimici tyranni, signum est quod movet ei bellum provocatque ad arma sumenda, sic Christus hodie fecit resuscitando Lazarum. Est diabolus princeps tenebrarum, [49] ipse tenet *mortis imperium.* Lazarus mortuus, sepultus, putrefactus in monumento, castrum veluti erat et arx huius regni inexpugnabilis, quoniam universa natura non potest mortuum ad vitam revocare; fecit hoc Christus, cepit arcem hanc, sic contra se mirum in modum diabolum provocavit.

et vere tunc fervere coepit maxima pugna potestatum tenebrarum contra Christum.

44) Io 11, 43. 45) Cf. Nm 10, 1-9. 46) Cf. 20, 2-4. 47) Hebr 2, 14.
48) Cf. Io 11, 45-53; 12, 9-11. 49) Cf. Lc 22, 53; Eph 6, 12; Col 1, 13.

III. ALIA HOMILIA

Erat quidam languens Lazarus, etc. [1]

Hodiernum miraculum est maximum miraculorum Christi, ideo illud vocat *gloriam Dei.*

I. Narratur in hodierno Evangelio miraculum quod inter miracula Christi est veluti aurum inter metalla, sol inter astra et homo inter animalia. Hinc miraculum hoc Christus *gloriam Dei* appellat: *Si credideris, videbis gloriam Dei;* [2] *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei.* [3] Est autem Evangelium hoc innumeris plenum mysteriis, sicut coelum astris et sicut *Rationale* iudicii summi pontificis plenum erat lapidibus pretiosis. [4] Christus multis nominibus appellatur in eo. Non solum *Iesus*, sed etiam *Dominus: Maria autem erat quae unxerat Dominum unguento,* [5] *Domine, ecce quem amas, infirmatur;* [6] *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* [7] *Deus* et *Filius Dei: Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* [8] Vocatur *Rabbi, magister;* sic aiunt Apostoli: *Rabbi, nunc quaerebant te Iudaei interficere, et iterum vadis illuc?* [9] Sic Martha ad Mariam: *Magister adest et vocat te.* [10] Vocatur *resurrectio et vita*, idest auctor resurrectionis et largitor vitae aeternae: *Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet, et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.* [11] Et tandem appellatur *Christus Filius Dei;* sic Martha: *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* [12] Haec autem omnia multis et magnis mysteriis plena sunt.

Multis nominibus hodie Christus vocatur

Triplex causa movit Christum ad operandum hoc miraculum:

II. Ut autem aliqua aperiamus, sciendum est quod triplici causa motus est Christus ad operandum hodiernum miraculum. Prima est gloria Dei et manifestatio divinitatis suae: *Pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Secunda salus populi, hinc ait: *Propter populum qui circumstat... ut* ipsi *credant quia tu me misisti.* [13] Tertia caritas Christi erga Lazarum et sorores: *Diligebat* enim Christus

1) Io 11, 1. 2) Ibid. vr. 40. 3) Ibid. vr. 4. 4) Cf. Ex 28, 15-20; 39, 8-14. 5) Io 11, 2. Vulg.: *Quae unxit*, etc. 6) Ibid. vr. 3. 7) Ibid. vr. 21. 8) Ibid. vr. 4. 9) Ibid. vr. 8. Vulg.: *Quaerebant te lapidare*, etc. 10) Ibid. vr. 28. 11) Ibid. vrr. 25-26. 12) Ibid. vr. 27. 13) Ibid. vr. 42.

Martham et sororem eius Mariam et Lazarum; [14] *Lazarus amicus noster dormit, et vado ut a somno excitem eum.* [15]

Quoad primam multa miracula operatus fuerat Christus ad probandum se esse verum Messiam, unigenitum Filium Dei, verum Deum, creatorem mundi, factorem et formatorem hominis; [16] nec tamen populus credere adhuc volebat, imo quodammodo non poterat pro magnitudine rei, quod Deus factus fuerit homo mortalis et passibilis, pauper et abiectus inter homines. Hinc Christus operam dedit ut veritatem hanc multis miraculis comprobaret; cumque nihil fere profecisset, tandem hoc unum maximum omnium adiecit. Quo effecisse videtur sicut pictor egregius qui, facto perfectoque opere aliquo excellentissimo, ita ut manum artemque referat Apellis, Zeuxis aut Parrhasii, [17] vel clarissimi alicuiusvis alterius pictoris, post aliquod tempus vel annos aliquot adducat opus in plateam dicatque se operis illius auctorem; multis autem non credentibus, eo quod vir speciem referat pauperis humilisque personae, nec multi valoris, ipse in illorum oculis ad probandum se esse operis auctorem deleat partem operis: oculos, aures, os, brachia, pedes vel quidvis aliud, et statim reddat deletas partes in pristinam perfectionem. An non experientia hac satis probarit se esse auctorem? Utique. Quod si adhuc illi non crederent et ille totam picturam deleret, non tantum colores et lumina, sed etiam prima ipsa lineamenta, ita ut vix telarium integrum relinquat, et statim postea opus illud in pristinam perfectionem restituat, efficacissime procul dubio veritatem comprobaverit. Ita Christus ab initio saeculi formavit *hominem ad imaginem et similitudinem Dei* [18] et ipsum etiam mundum creavit, qui magna quaedam Dei esset imago. Non credebant autem homines ipsum in humana forma Deum esse creatorem hominis. Ipse vero ad veritatem hanc comprobandam sanavit multos infirmos, [19] multos illuminavit caecos; [20] et de caeco illo nato dixit: *Neque hic peccavit neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo,* [21] ita ut ex restituta parte voluerit se probare operis totius auctorem. Sed cum adhuc homines

a) manifestatio divinitatis suae,

quam quidem multis miraculis confirmaverat, sed cum nil fere proficeret, hoc unum maximum adiecit;

hoc enim ostenditur Christus creator mundi;

14) Ibid. vr. 5. 15) Ibid. vr. 11. Vulg.: *Sed vado*, etc. 16) Cf. Mt 11, 1-6; Mc 2, 9-12; Io 5, 17-18. 36; 10, 25-38; 14, 12; 15, 24-25. 17) De his cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 35, cp. 6-10, pag. 388-393; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 2, cp. 17, col. 81; lib. 13, cp. 38, col. 724-725. 18) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 19) Cf. Mt 8, 17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 20) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35 sqq; Io 9, 1-7. 21) Io 9, 3.

non crederent, tandem voluit totum opus delere: immisit mortem in Lazarum; nec tantum mori illum voluit, sed etiam sepeliri et corrumpi in monumento, sicque postmodum coram infinita hominum multitudine divinam hanc imaginem, morte deletam et[22] ad nihilum fere redactam, in pristinum statum perfectissime redegit, ita ut clarius non possit esse et efficacius argumentum ad probandam Christi divinitatem, quod ipse sit qui in naturae primordiis hominem de terra formavit mundumque universum creavit; nam unus idemque est mundi utriusque conditor et effector.

b) salus populi.

Quoad secundam autem rationem, languebat populus gravi morbo incredulitatis, ita ut Christum potius odio haberent et ad mortem quaererent quam diligerent et crederent: *Rabbi, nunc quaerebant te Iudaei interficere, et iterum vadis illuc? Odio habuerunt me gratis.*[23] Erat populus, ut Isaias ait, totus morbo infectus: *Omne caput languidum et omne cor moerens; a planta pedis usque ad verticem* capitis *non est in eo sanitas.*[24] Christus autem venit in mundum tanquam divinus medicus ad curandum hunc infirmum; hinc, languente Lazaro, sorores ad Christum mittunt veluti ad medicum: *Domine, ecce quem amas infirmatur;* sic postea dixit ei Martha: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus;* sic et Maria. Peritus autem medicus ad curandum corpus morbo infectum, si quam partem integram reperit illam ferit, ibi venam aperit vel ignito ferro cauterium efficit, et nova hac plaga in sana et integra corporis parte deviando noxium humorem a parte laesa et infirma, totum corpus curat a morbo et tandem ipsam etiam partem integram a plaga cauterii liberat. Sic Christus ad curandum populum a morbo incredulitatis afflixit languore Lazarum et morte ipsius domum, quae integra fide in eum credebat et ex corde diligebat: *Lazarus amicus noster dormit; Diligebat... Martham et sororem eius Mariam et Lazarum;* sic tandem magna ex parte hic morbus curatus est, nam ait quod *multi... ex Iudaeis, qui venerant ad Martham et Mariam et viderant quae fecit Iesus, crediderunt in eum,*[25] sicut ipse Christus oravit: *Ut credant quia tu me misisti.*

nam hoc miraculo omnes confirmati sunt in fide;

22) Ms.: *Ad* bis ponitur, loco: *Et.* 23) Io 15, 25; Ps 24, 19; 34, 19. 24) 1, 5-6. Officium Festi Dolorum B. M. V., 15 Sept. 4 antiph. *ad Laudes.* 25) Io 11, 45. Vulg.: *Ad Mariam et Martham*, etc.

Sic Christus veluti esca mortuo Lazaro usus multos pisces cepit hamo et arte divinae virtutis suae: *Multi . . . crediderunt in eum.*

c) caritas sua erga Lazarum et sorores eius.

Tandem quoad tertiam rationem, caritas Christum movit: *Diligebat . . . Lazarum ; Ecce quomodo amabat eum;* [26] *Lazarus amicus noster dormit.* Nec tantum Lazari amore ad hoc motus est, sed etiam amore Marthae et Mariae, quia *diligebat . . . Martham et sororem eius Mariam;* permisit Lazarum infirmari et mori mortuoque ostendit quae in alio mundo fiunt, quod, resuscitato, futurum erat ad magnam consolationem et aedificationem. Sororibus etiam miraculum profuit, nam etsi credebant in Christum, erat tamen earum fides imperfecta, nam Christi divinitatem non plene intelligebant aut credebant. Hinc utrique Dominus ait: *Si credideris, videbis gloriam Dei.* Sic Christus fratrem resuscitando maximam attulit animo consolationem et spiritui utilitatem fideique et cognitionis divinae incrementum: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.* [27]

Fremitus Christi significat Iesum venisse ad luctandum contra diabolum, qui mundi imperium tenebat,

III. Sed adhuc aliam quoque rationem videre mihi videor in hodierno Evangelio ob quam Dominus Lazarum suscitavit, ait enim quod *infremuit spiritu,* [28] et iterum: *Fremens in semetipso.* [29] Fremitus autem actus est irae et indignationis concitatique furoris. Sic inimicus contra inimicum fremit ira ob laesionem accensus. Christus ergo contra inimicum fremit videns Lazarum mortuum. Sic pater videns filium ab inimico crudeliter occisum, non potest non fremere contra illum et supra filium se turbare. Sic ait: *Infremuit spiritu et turbavit semetipsum.* [30] Christi autem inimicus nonnisi diabolus est, qui Iudaeorum mentes excaecaverat ne in Christum crederent et ipsius invidia mors per peccatum intravit in mundum. [31] Diabolum autem Christus *fortem et armatum* appellavit [32] sicut Goliam, [33] Christus autem sicut David debilis et inermis videbatur; vicit autem David Goliam illumque proprio illius gladio occidit caputque amputavit. [34] Sic Christus diabolum. Nam mors est veluti gladius in manu satanae, qui est veluti carnifex et minister divinae iustitiae; hoc autem ipso illius gladio Chri-

sed ipsa morte qua diabolus in mundo regnabat Christus eum vicit,

26) Ibid. vr. 36. 27) Rom 8, 28. 28) Io 11, 33. 29) Ibid. vr. 38.
30) Ibid. vr. 33. Vulg.: *Seipsum.* 31) Cf. Gn 3, 1 sqq.; Sap 2, 24. 32) Cf. Mt 12, 29; Mc 3, 27; Lc 11, 21-22. 33) Ms.: *Golias.* 34) Cf. 1 Rg 17, 4-51.

stus eum capite execto occidit, ablata omni potestate super fideles: *Multi... crediderunt in eum.*

et signum huius triumphi est Lazari resuscitatio,

Sicut autem gladius ille quo David Goliam occidit, appensus fuit in templo Domini [35] veluti ad perpetuam rei memoriam, ita mors ista Lazari eiusque mirabilis suscitatio ad perpetuam rei memoriam litteris consignata in Evangelio est, quo veluti insigni trophaeo Sancta ornatur Ecclesia. Nam hodiernum miraculum luce clarius ostendit quod Christus sit absolutus dominus vitae et mortis, naturae et inferni, cuius imperio paret etiam mors et infernus; ergo ipse verus est Deus, unigenitus Filius Dei, per quem facta sunt omnia; [36] ergo verus fidei magister, fons omnis sapientiae et scientiae, verus Messias, summus rex et sacerdos, vere, ut ipse ait: *Ego sum resurrectio et vita,* causa resurrectionis universalis et auctor vitae aeternae. Resurrectionis universalis, nam: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita... in Christo omnes vivificabuntur;* [37] *Omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei;* [38] *Omnes quidem resurgemus.* [39] O infinitam potentiam! Universa natura creata non potest unum tantummodo mortuum suscitare mox defunctum, imo, quid dico suscitare mortuum ? Dividamus, si fas est, mortem per partes, nam mors totum corpus sensibus privat: excaecat oculos, surdas facit aures, membra omnia incurabili veluti paralysia afficit. Non potest universa natura caecum illuminare, surdo auditum dare, muto loquelam, paralytico virtutem et motum. Nec minimam ergo partem mortis potest superare tota natura. Christus autem mortuos omnes suscitavit facillime ac si dormirent. Hinc ait: *Lazarus dormit ; Lazare, veni foras. Et statim prodiit.* [40] Sic ait: *Ego sum resurrectio,* nec tantum resurrectio, sed etiam *vita,* idest vita beata, aeterna.

quo Christus ostenditur absolutus dominus vitae et mortis,

causa effectrix resurrectionis, causa meritoria, causa instrumentalis

Sicut sol lux est omnium stellarum, sic Christus vita omnium Beatorum: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur;* [41] *Resurgent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala fecerunt in resurrectionem iudicii.* [42] *Ego sum resurrectio et vita,* causa utriusque effectrix: *Dominus mortificat et vivificat,* [43] causa meritoria: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita... in Christo omnes vivificabuntur,* causa instrumentalis: *Clamavit voce magna* dicens: *Lazare, veni fo-*

35) Cf. ibid. 21, 9. 36) Cf. Io 1, 3. 37) 1 Cor 15, 22. 38) Io 5, 28. 39) 1 Cor 15, 51. 40) Io 11, 43-44. 41) 1 Cor 15, 51. 42) Io 5, 29. Vulg.: *Procedent qui bona ... qui vero mala egerunt,* etc. 43) 1 Rg 2, 6.

ras; [44] humanitas enim veluti instrumentum divinitatis erat in resurrectione mortuorum, sicut fuit in omnibus fere miraculis quae Christus fecit, nam fuit veluti manus divinitatis et sicut virga in manu Moysi; [45] et tandem causa exemplaris, nam: *Salvatorem expectamus . . . qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* [46] *Resurrectio et vita* causa verae resurrectionis in corpore et in anima, ut fuit Lazari resurrectio; non in anima tantum, ut Basilides et Marcio haeretici docuerunt, [47] nec in alio corpore resurgemus, sed in hoc ipso nostro proprio et naturali, quod in morte cecidit. Hic quam maxime elucebit Christi divinitas divinaque gloria et maiestas: *Si credideris, videbis gloriam Dei.*

et causa exemplaris.

IV. ALIA HOMILIA

Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariae et Marthae, sororum eius. [1]

Duo consideranda hodie sunt: miraculum maximum et maxima caritas causa miraculi.

I. Duo habemus in hodierno Evangelio: grande miraculum suscitationis Lazari, quod est corona omnium miraculorum Christi, et causam talis tantique miraculi. Opus Christi hodie obiectum est fidei, sed causa magnum est incentivum amoris; nam pectus Christi hodie fornax amoris videtur, mille erumpunt flammae amoris. Opus Christi mirabile est, naturae impossibile, philosophiae incredibile. Cum Paulus Athenis praedicaret resurrectionem mortuorum, multi eum irridere coeperunt. [2] Sic inanis philosophia fidem nostram irridet, quae credit resurrectionem mortuorum, quod a privatione ad habitum non detur regressus. [3] Et tamen in hodierno Evangelio agitur de mysterio resurrectionis universalis: *Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.* [4] Et in exemplum futurae omnium mortuorum resurrectionis Lazarus quatriduanus ac fetens suscitatur, vitae ac sanitati pristinae restituitur duplici miraculo. Sed si impossibilis est mortuorum resurrectio, neque

Quatenus miraculum, agitur hodie de mysterio universalis resurrectionis.

44) Ibid. 11, 43. Vulg.: *Voce magna clamavit*, etc. 45) Cf. Ex 4, 2-5. 46) Phil 3, 20 sq. 47) Cf. S. Irenaeus *Contra Haereses*, lib. 1, cp. 24. 27, (P. G. 7, 678. 689).

1) Io 11, 1. Cf. supra, not. 4 primae hom. huius Feriae, pag. 443. 2) Cf. Act 17, 32. 3) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, Supplementum, q. 75, a. 3, c. 4) Io 11, 24.

Lazarus resurrexit. Quid ergo ? Neganda est veritas historiae? Miraculum hoc factum fuit in Bethania prope Ierosolymam, coram magna multitudine Iudaeorum inimicorum Christi; [5] divulgatum fuit, adeo ut hanc ob causam in die palmarum commota sit universa civitas ad Christum magno cum honore excipiendum, audita fama talis tantique miraculi; [6] hinc factum est ut multi in Christum crederent. [7] An negari potest quod multi in Christum credunt qui cum Martha dicunt hodie: *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei . . . qui in hunc mundum venisti?* [8] Sed si nonnisi miraculis permoti credere in Christum potuere, quod, homo cum videretur, esset tamen vere et etiam Filius Dei ac verus Deus, vera sunt igitur miracula, verum est quod Christus mortuos suscitavit; ergo possibilis Christo est, possibilis Deo suscitatio mortuorum. Quid igitur fatua insanaque philosophia irridet? Quid cachinnatur: a privatione ad habitum non datur regressus? Dico: quid est infirmitas? Privatio sanitatis. Infirmus ergo sanari non potest? Quid est somnus? Privatio vigiliae ac exercitii sensuum. Ergo dormiens expergisci non potest? Quid est nox? Privatio diurnae claritatis. Ergo non potest fieri de nocte dies? Non utique sine sole. Sic nec sine Deo possibilis est mortuorum suscitatio. Naturae quidem impossibilis est; sed non valet consequentia: ergo et Deo. Sicut enim natura multa potest quae ars non potest, ita multa potest Deus quae non potest natura. Philosophaster autem paralogizat a natura ad [9] Deum, ut quod natura non potest, Deo etiam sit impossibile, ut quoniam creatio impossibilis est naturae, nam de nihilo nihil fieri naturaliter potest, [10] arguat nec Deo possibilem fuisse creationem. Mundus quidem natura creari non potuit nec generari, nam sic natura seipsam creasset ac genuisset, fuisset priusquam esset, quod est impossibile. Sed Deus supra naturam est. Ita de resurrectione, quae veluti recreatio quaedam est. Sicut potuit Deus solo verbo mundum creare, sic potest hominem solo vocis suae imperio suscitare: *Lazare, veni foras. Et statim prodiit;* [11] *statim*, in ictu oculi, in momento. Sic fiet universalis resurrectio mortuorum Christo auctore, qui ait: *Ego sum resurrectio et vita ; qui*

Sicut possibilis et certa fuit suscitatio Lazari, ita possibilis et certa est universalis resurrectio mortuorum.

Resurrectio quaedam recreatio est; si ergo possibilis fuit creatio, possibilis etiam erit recreatio.

5) Cf. ibid. vrr. 45-46. 6) Cf. ibid. 12, 12-18. 7) Cf. ibid. 11, 45. 8) Ibid. vr. 27.
9) Ms.: *A.* 10) Axioma philosophicum ex Aristotele: « Ex non ente nihil fieri potest ». *Physicorum*, lib. 1, cp. 8, t. 1, pag. 203; S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 45, a. 2, ad 1.
11) Io 11, 43-44.

credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet, et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum, [12] quia mors ei somnus erit: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum.* [13] Quod igitur somnus nobis est, hoc est Deo mors; quam facile nos possumus dormientem excitare, potest Christus mortuum quemlibet ad vitam ab inferis revocare, quoniam Dei infinita est virtus atque potentia. Esset autem valde impotens si non posset, nisi quod natura potest.

Causa tanti miraculi caritas fuit et amicitia,

II. Sed videamus iam causam tanti facinoris. *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum.* Amicitia eum movet, sincerus ac magnus amor, quia diligebat Lazarum et sororem eius Mariam et Martham: [14] *Ecce quem amas infirmatur;* [15] *Ecce quomodo amabat eum.* [16] Lazarum Christus diligit sanum et infirmum: *Quem amas infirmatur;* et vivum et mortuum: *Lazarus amicus noster dormit.* Amor autem talis ac tantus fuit, ut Christum in discrimen vitae adduxerit: *Magister, nunc quaerebant te Iudaei lapidare, et iterum vadis illuc?* [17] *Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* [18] Testes veri amoris sunt lacrimae, nam: *Infremuit spiritu, turbavit semetipsum, et lacrimatus est;* [19] hinc, visis lacrimis Christi, multi dicebant: *Ecce quomodo amabat eum.* Non potuit Christus talem tantumque animi affectum dissimulare, sicut Ioseph, viso Beniamino fratre suo, non potuit cohibere lacrimas, quoniam commota fuere ipsius viscera. [20] Sicut etiam cum seipsum fratribus manifestare voluit: *Non poterat,* inquit, *ultra se cohibere Ioseph ... et levavit vocem* suam *cum fletu.* [21] Vim quidem sibi faciebat ad dissimulandum animi affectum, ut solent principes ad ostendendam animi magnitudinem et servandam status gravitatem. At quando magnus valde affectus est, dissimulari non potest. Rex David, audita morte Absalom, dissimulare non potuit dolorem, sed flere coepit: *Absalom fili mi, fili mi Absalom, quis mihi det ut pro te moriar ... fili mi?* [22] Sic utique Christus hodie lacrimas cohibere non potuit: *Turbavit semetipsum,* com-

quae talis erat ut ad lacrimas Christum moveret

12) Ibid. vrr. 25-26. 13) Ibid. vr. 11. 14) Cf. ibid. vr. 5. 15) Ibid. vr. 3. 16) Ibid. vr. 36. 17) Ibid. vr. 8. Vulg.: *Rabbi, nunc,* etc. 18) Ibid. 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem,* etc. Affert ex Commun. Apost. antiph. 2. *ad Vesperas.* 19) Io 11, 33-35. Vulg.: *Turbavit seipsum,* etc. 20) Cf. Gn 43, 29-30. 21) Ibid. 45, 1-2. Vulg.: *Non se poterat ... elevavitque,* etc. 22) 2 Rg 18, 33. Vulg.: *Fili mi Absalom, Absalom fili mi, quis mihi tribuat ut ego moriar,* etc.

mota sunt viscera eius *et lacrimatus est.* Flere coepit ex dolore mortem amici, ex compassione afflictarum sororum defuncti: *Ut vidit*, inquit, Mariam flentem *et Iudaeos... plorantes...* [23] *turbavit semetipsum... et lacrimatus est.* Si enim Ioseph non potuit continere lacrimas videns dilectissimum fratrem suum Beniamin vivum, sanum et optime valentem, quomodo potuerit continere lacrimas Christus videns dilectissimum Lazarum mortuum et iam fetentem? Tres amici Iob videntes eius miseriam in quam redactus erat, levantes vocem fleverunt. [24] Sic Christus videns miseriam ad quam redactus erat Lazarus, *lacrimatus est* in testimonium veri amoris: *Ecce quomodo amabat eum.*

et ipse ad locum sepulturae veniret, etiam cum discrimine vitae.

Potuisset absens Christus facere ut Lazarus non moreretur, sicut absens aperuit oculos caeci nati; [25] potuisset mittere ad eum suscitandum, sicut Eliseus misit Giezi cum suo baculo ad suscitandum filium sunamitidis defunctum. [26] Sed venire personaliter voluit et cum vitae discrimine, fremere spiritu voluit, turbare seipsum, lacrimari, accedere ad monumentum, voce magna clamare, et sic per seipsum suscitare Lazarum *quattuor iam dies in monumento habentem.* [27] Horrorem putridi cadaveris nihil horruit.

Opera diaboli immensam caritatem Christi hanc non cernimus;

III. Apparuit Deus Moysi in medio flammarum; [28] Christus videtur hodie in medio mille flammarum amoris et caritatis divinae; sed video, fratres, magnum miraculum, non a Deo sed a satana factum, simile miraculo quod Deus in Babylone operatus fuit. Immissi fuerunt iuvenes fideles, sancti Dei martyres in fornacem ignis ardentissimi, et nec calorem quidem senserunt, sed flamma erat eis instar suavissimae aurae, quae magnum affert homini refrigerium. [29] Hoc Dei miraculum fuit. Sed ecce satanae miraculum: est Christus fornax ignis ardentissimi divini amoris et caritatis; nos a Deo in fornacem hanc sumus immissi, cum in Christum credamus. Sed opera satanae divinum hunc non sentimus calorem; sumus instar rubi, quae omni ex parte flammis divini ignis circumdata, non comburebatur nec caloris vim sentiebat.

Saepe autem accidit, fratres, ut magnus amor in magnum odium

24) Io 11, 33. 24) Cf. Iob 2, 11 sqq. 25) Cf. Io 9, 1-7. 26) Cf. 4 Rg 4, 29. 27) Io 11, 17. Vulg.: *Quattuor dies iam*, etc. 28) Cf. Ex 3, 2. 29) Cf. Dn 3, 49 50.

convertatur, nam corruptio optimi pessima. [30] Sicut legimus de Amnon filio David quod, cum ardentissimo amore deperiret Thamar, postea acerrimo odio prosequi coepit. [31] Ex optimo vino fit optimum acetum. Caveamus ne divinus erga nos amor in odium convertatur, sicut amor Assueri erga reginam Vasthi [32] et erga principem Aman, [33] nam: *Horrendum est incidere in manus Dei,* [34] nam: *Deus noster ignis consumens est.* [35] Sic enim videmus quod magnus Dei in synagogam amor in magnum odium conversus est, nam potestati satanae tradita est facta *synagoga satanae,* [36] vinea destructa. [37] *Infremuit spiritu... turbavit semetipsum... et lacrimatus est Iesus.* Quaenam causa est turbationis huius, lacrimarum harum? Utique amor, nam ex amore nascitur dolor. Qui non amat non dolet; qui vehementer amat vehementer dolet, cum malum accidit ei quem amat. Sanctus patriarcha Iacob, cum tenerrime diligeret filium suum Ioseph, videns tunicam ipsius laceratam et sanguine tinctam, statim inconsolabiliter flere coepit dicens: *Fera pessima... devoravit filium meum;* [38] rex David, audita morte Ionathae amici sui carissimi, lacrimas continere non potuit. [39] Sic Christus lacrimatur videns tale tantumque malum amici sui Lazari. Plangit Christus ob dolorem mortis amici, nam mors suapte natura ad lacrimas et fletum movet; plangit ex compassione afflictarum sororum videns eas plangentes; sed singulariter ob causam mortis, quod est peccatum. Nam ad curandum infidelitatis peccatum coactus quodammodo fuit Christus permittere tale tantumque malum amico suo Lazaro, talem tantamque afflictionem dilectis suis Marthae et Mariae. Fremit contra peccatum, contra diabolum auctorem peccati et mortis, sed ex compassione et dolore lacrimatur: *Lacrimatus est Iesus.* Et *dixerunt... Iudaei : Ecce quomodo amabat eum.* Ex paucis lacrimis cognoverunt amoris Christi erga Lazarum magnitudinem. Et nos non cognoscimus ex passione et morte, quam propter nos passus est!

sed cavendum est, quia amor interdum in odium convertitur.

Cognoverunt Iudaei ex Christi lacrimis amorem eius erga amicum dilectissimum,

et nos non cognoscimus ex passione et morte quam propter nos passus est!

30) Aphorismus medicus, de quo cf. Tob. Lohner *Bibliotheca Concionatoria*, tit. 40, pag. 375. 31) Cf. 2 Rg 13, 1-15. 32) Cf. Est 1, 15 sqq. 33) Cf. ibid. 7, 1 sqq. 34) Hebr 10, 31. 35) Dt 4, 24. Vulg.: *Deus tuus*, etc. 36) Apc 2, 9; 3, 9. 37) Cf. Is 5, 1-7. 38) Gn 37, 33. Vulg.: *Devoravit Ioseph.* 39) Cf. 2 Rg 1, 5-17.

SABBATO DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

Intellectus sine lumine supernaturali divina cognoscere nequit, lumen autem hoc Christus est.


I. Oculus iste noster, lucerna corporis nostri, [1] quamvis optimis vivacissimisque spiritibus praeditus plenusque sit, absque ulla macula, naturali defectu vel humore peccante, videre tamen nil potest absque externi luminis beneficio. Hinc posuit Deus in coelesti firmamento solem ut luceret per diem, lunam et stellas per noctem. [2] Et ars, quae imitatur naturam, [3] pro lucis beneficio ignem accendit, lucernas, lampades, cereos facesque. Sic intellectus noster, qui oculus est animae nostrae, quamvis suapte natura optimus et perfectissimus sit, Deum tamen absque supernaturalis luminis beneficio cognoscere nullo modo potest. Deus enim est tanquam sol qui nonnisi proprii luminis radio videri potest, et insanus esset qui alieno lumine solem videre vellet. Hoc est quod Christus ait hodie: *Ego sum lux mundi.* [3a] Deus est sol, Christus autem radius est a sole isto procedens, quo videri possit.

Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae, etc. [4]

Christus lux est ad vitam aeternam ducens, ideo dicit: *Ego sum lux mundi.*

II. Lucida nubes, quae tanquam splendidissimus ignis aurea luce decorata splendebat, ducebat populum Dei per desertum, quam sequentes Hebraei pervenerunt ad felicissimam terram promissionis perpetuo possidendam. [5] Sic Christus ait: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris,* nubes enim illa noctem clarissime illuminabat, *sed habebit lumen vitae,* consequetur vitam et gloriam in empyreo coelo sempiternam.

1) Cf. Mt 6, 22; Lc 11, 34. 2) Cf. Gn 1, 14-18. 3) Effatum ex Aristot. *Physicorum*, lib. 1, cp. 2, t. 1, pag. 205. 3a) Io 8, 12. 4) Pericope huius diei Io 8, 12-20. Cf Missale Rom. 5) Cf. Ex 14, 19-20; 23, 20-23; Nm 9, 15 sqq.



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

Ego sum lux mundi. Tria videnda sunt nobis: quid sit *ego sum,* quid *lux,* quid *mundi.* Ioannes in principio Evangelii sui tria haec declaravit. Primo, quid sit *ego sum.* Est enim Christus Verbum caro factum; de Verbo autem quattuor denunciat: primo aeternitatem: *In principio erat Verbum;* non factum est, sed *erat,* semper fuit; secundo, Verbum esse Deo aequale, ut sicut coaeternum Deo est, ita et coaequale censendum sit: *Verbum erat apud Deum;* tertio, substantiam divinamque consubstantialitatem: *Et Deus erat Verbum.* [6] Verbi igitur statuit aeternam existentiam, aequalem subsistentiam et consubstantialem essentiam. Quarto tandem, ostendit omnipotentiam: *Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil quod factum est.* [7] Hoc igitur est *ego sum: Ego* Verbum Dei, *ego* Filius Dei, *ego* verus Deus, *ego sum, sum qui sum.* [8]

Ego sum: his verbis Christus declarat se esse Verbum aeternum, Deo coaequale, consubstantiale et omnipotens.

Deinde statim Ioannes declarat, secundum, quid sit *lux: In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet;* [9] ac deinde: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* [10] Huius lucis ostendit aeternitatem, veritatem et magnitudinem. Aeternitatem: *Erat lux; Vita erat lux hominum;* nunquam incoepit lux ista, semper fuit; sicut aeternus sol, ita et solis huius aeternus radius fuit. Secundo, veritatem: *Erat lux vera,* idest omnino perfecta, in qua nulla penitus imperfectio, sicut verum aurum dicimus quod purum est et perfectum, et solis non lunae veram dicimus lucem, quia in ea nulla est penitus macula nec aliunde dependet. Tertio, magnitudinem: *Illuminat omnem hominem;* est lux maxima et copiosissima, sicut lux solis omnibus communis, omnibus sufficiens et superabundans, adeo ut si quid est quod non illuminatur, defectus non ipsius sit solis, quod illuminari non possit, aut nolit.

Lux: Evangelista declarat huius lucis aeternitatem, veritatem, magnitudinem.

Tandem declarat tertium, quid sit *mundi: Ego sum lux mundi: In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* [11] *In mundo erat, Verbum erat,* aeternitatem significat; mundus autem hic aeternus nequaquam est, nam: *In principio creavit Deus coelum et terram;* [12] quare *mundus* primo loco positus forte archety-

Mundi: hac voce designatur tum mundus archetypus, qui Deus est,

6) 1, 1. 7) Ibid. vr. 3. 8) Ex 3, 14. 9) 1, 4-5. 10) Ibid. vr. 9.
11) Ibid. vr. 10. 12) Gn 1, 1.

tum mundus physicus, tum parvus mundus, homo.

pum significat, qui Deus aeternus est: *In mundo erat: In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum; Mundus per ipsum factus est; Omnia per ipsum facta sunt. Mundus eum non cognovit,* hic μικροκόσμος [13] est: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

In mundo archetypo Christus lux est, tanquam radius a Patre,

Triplicem ergo mundum hic nobis proponit Ioannes: maximum, magnum et parvum. Mundus parvus veluti compendium magni est, magnus autem maximi compendium est; quo enim mundus parvus minor est mundo magno, eo mundus magnus minor est mundo maximo. Ait igitur Christus: *Ego sum lux mundi.* In mundo archetypo Christus lux est; nam Pater est tanquam sol, Filius tanquam radius: *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius,* [14] Spiritus Sanctus calor est huius solis, hinc in igne super Christi fideles descendit; [15] et Patri tribuitur potentia, Spiritui Sancto bonitas, Filio autem sapientia, quae lux mentium est: *Ego sum lux mundi.*

in physico, cuius suprema pars paradisus est, Christus lux est Angelos illuminans,

In homine Christus lux est fide, doctrina et lege illum illuminans.

Lux etiam mundi huius magni, cuius principalis, suprema et maxima pars paradisus est, ubi Christus lumine sapientiae suae Angelos omnes illuminat, sicut sol in coelo omnes stellas: *Ego sum lux mundi.* Sed praecipue mundi parvi se Christus hodie *lucem* dicit: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem* [16] *in hunc mundum. Lux in tenebris lucet.* Ignorabat mundus hic Deum, hinc Athenis ara erat, *in qua scriptum erat: Ignoto Deo;* [17] homines autem Deum ignorantes, *tenebrae* dicuntur: *Eratis... aliquando tenebrae;* [18] *Et tenebrae eam non comprehenderunt,* [19] *quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* [20] Sed *ego*, inquit, *sum lux mundi* ad instar solis; *qui sequitur me* recipiendo fidem, doctrinam et legem meam, *non ambulat in tenebris* ignorantiae et caecitatis mentis.

Christus unica lux est, quia solus ipse potuit divina narrare mysteria,

III. *Ego* solus *sum lux mundi;* non est alius praeter me, nec Moyses quidem, nam *lex per Moysen data est,* [21] non a Moyse, sed *per Moysen;* non ipse Moyses auctor fuit legis, non potuit Moyses divina enarrare mysteria divinamque theologiam docere, quia divinam essentiam minime vidit: *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius* Dei, *qui est in sinu Patris, ipse enarravit* [22] nobis. Solus Christus

13) Ms.: *Microcosmos.* 14) Hebr 1, 3. 15) Cf. Act 2, 1-4. 16) Ms.: *Veniens.* 17) Act 17, 23. 18) Eph 5, 8. 19) Io 1, 5. 20) Ibid. 3, 19. 21) Ibid. 1, 17. 22) Ibid. vr. 18.

divinae theologiae auctor esse potuit, quoniam solus ipse [novit Deum], nemo enim novit Patrem nisi Filius;[23] hinc: *Ego*, inquit, solus *ego sum lux mundi*, lux verae sapientiae; non est alius praeter me. Quisquis me non sequitur in tenebris ambulat. Iudaeus sequitur Moysen et Prophetas, sed quia Christum non sequitur, in tenebris ambulat, unde Christus Pharisaeos dixit *caecos et duces caecorum;*[24] Sadducaeis item dixit: *Erratis nescientes Scripturas neque virtutem Dei;*[25] *Qui sequitur me non ambulat in tenebris; Ego sum lux mundi.* Quoad me spectat, lux sum totius mundi, illuminans omnem hominem. Accidit autem ut lux in tenebris luceat ad eas illuminandas, sed tenebrae densissimae lucem non comprehendant, sicut in Aegypto sol quidem lucebat in coelo, at vero Hebraeos tantum, non Aegyptios illuminabat, quoniam universa Aegyptus densissima caligine sepulta erat tenebrisque palpabilibus circumvoluta.[26]

cum divinam essentiam plenissime videret;

Sic *lux in tenebris lucet et tenebrae eam non comprehenderunt: Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. In propria venit, et sui eum non receperunt; quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*, qui receperunt Christum per vivam fidem, *his qui credunt in nomine eius*, qui *ex Deo nati sunt;*[27] hoc est: *Qui sequitur me non ambulat in tenebris* peccatorum vivendo secundum carnem, sed vivendo secundum spiritum tanquam filii Dei – *qui enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei,*[28] – ideo *habebit lumen vitae* aeternae, nam: *Si... filii, et heredes.*[29]

qui ergo Christum sequuntur viva fide, habebunt lumen vitae aeternae.

IV. His itaque verbis Dominus ostendit se gratiae unicum fontem esse et vitae aeternae: *Gratiam et gloriam dabit Dominus*, quoniam *sol et scutum Dominus Deus;*[30] *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum;*[31] hoc est: *Ego sum lumen mundi*, fons sum omnis dati optimi donique perfecti, fons omnium bonorum, fons felicitatis aeternae.

His verbis ergo Christus se ostendit unicum fontem gratiae et vitae aeternae.

Ego sum lux mundi. Nemo potest hoc dicere nisi solus Christus; non homo, quisquis sit, non quivis Angelus paradisi. *Ego sum lux mundi*, sol mundi; aufer a mundo solem, omnia tenebrae sunt. Manebant

Ideo solus ipse dicere potest se esse lucem mundi.

23) Cf. Mt 11, 27. 24) Cf. ibid. 15, 14; 23, 16. 24. 25) Ibid. 22, 29.
26) Cf. Ex 10, 22-23. 27) Io 1, 11-13. 28) Rom 8, 14. Vulg.: *Quicunque enim*, etc.
29) Ibid. vr. 17. 30) Ps 83 (hebr. 84), 12. 31) Iac 1, 17.

Hebraei in tenebris in Aegypto; misit Dominus Moysen ad eos illuminandos per praedicationem divini verbi, unde et resplenduit facies Moysi ad instar lunae ;[32] sed mittens illum manifestavit ei divinum suum nomen dicens: *Ero qui ero;*[33] te mitto tanquam lunam ad illuminandum tenebras noctis; sed scito quod ego lux mundi ero tanquam sol, ero lux mundi; nam in lucida flamma apparuit.

quia in eo est quicquid boni in mundo inveniri potest.

Adimpleta autem promissione, ait hodie Dominus: *Ego sum lux mundi.* Illi *ero* respondet istud *sum*, et illi *flammae* lucenti respondet ista *lux. Ego sum lux mundi, sum* Messias ille, qui venturus erat ad illuminandas tenebras mundi: *Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiae.*[34] *Ego sum lux mundi.* Si quid bonitatis, si quid perfectionis, si quid excellentiae, si quid nobilitatis, si quid pulcritudinis, si quid virtutis et efficaciae in mundo hoc nostro est, totum a luce est. Aufer lucem, nil boni, nil pulcri in eo est. Hinc primo omnium lucem commendavit Deus: *Dixit Deus : Sit lux. Et fuit lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona.*[35] Ideo *lucem mundi* dicit se Christus: *Ego sum lux mundi*, quoniam lux primum locum tenet omnis bonitatis, perfectionis et excellentiae ac veluti fons est omnis bonitatis.

Per creaturas aliquo modo Deum cognoscere possumus,

V. *Ego sum lux mundi*, lux illuminans mentes hominum ad cognoscendum Deum. Potest quidem cognosci Deus per creaturas, nam: *Invisibilia* Dei *a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas.*[36] Cognito enim quod Deus sit suprema mundi substantia, ex ordine et dispositione universi cognoscere possumus Deum ipsum essentia spiritualissimum, nam quo superiora sunt entia eo sunt spiritualiora; maximum, quoniam superiora corpora semper maiora sunt; potentissimum, quoniam superiora entia potentiora sunt; nobilissimum, quoniam superiora semper nobiliora sunt; lucidissimum, quoniam superiora semper clariora et lucidiora, et sic de aliis. Sed cognoscere [non possumus] Deum unum et trinum, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, cognoscere Deum non tantum auctorem naturae, sed etiam fontem gratiae et patrem gloriae.

sed non mysteria divinae vitae;

32) Cf. Ex 34, 29 sqq. 33) Ibid. 3, 14. Ex hebraico. 34) Mal 4, 2. Vulg.: *Orietur vobis*, etc. 35) Gn 1, 3-4. Ex hebraico. 36) Rom 1, 20.

Per creaturas cognosci potest Deus auctor naturae, nam: *Coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annunciat firmamentum. Dies diei eructat verbum,* [37] אֹמֶר, [38] *dictum,* quo Deus *dixit et facta sunt,*[39] *et nox nocti indicat scientiam.* [40] Ordo imperturbatus et impertubabilis temporum perpetuo sibi succedentium et mira rerum pro varietate temporum dispositio abundanter demonstrat mundum hunc opus esse divinae artis. At ex his cognoscere non possumus Deum esse etiam gratiae et gloriae fontem et patrem. Legas philosophos omnes, qui naturam universam diligentissime perscrutati sunt quique ex naturalium rerum consideratione Deum cognoverunt, et videbis quam exigua sit lux divinae cognitionis ex consideratione universi orta. Est veluti lumen umbratile lunae.

per creaturas Deus cognosci potest auctor naturae, sed non tanquam fons gratiae et gloriae.

Sed, *ego,* inquit, *sum lux mundi.* Christus in Divinis Scripturis, quarum ipse omnium auctor est, clarissimam ac solarem dat totius divinitatis cognitionem docens Deum unum et trinum, mundi auctorem et rectorem; Ecclesiae etiam, quae sacer est mundus, fabricatorem et gubernatorem; ac tandem in paradiso aeternae vitae et gloriae largitorem: *Ego sum lux mundi ; qui sequitur me non ambulat in tenebris.* Quisquis me non sequitur in tenebris ambulat; philosophi in mille prolapsi sunt errores circa divinam naturam virtutemque et operationem ipsius Dei.

Solus Christus nobis dat in Divinis Scripturis clarissimam Dei cognitionem.

37) Ps 18 (hebr. 19), 2-3. 38) Ms.: אמר. 39) Ps 148, 5. 40) Ps 18 (hebr. 19), 3.

INDEX
SYNTHETICO - ANALYTICUS

INDEX SYNTHETICO - ANALYTICUS
QUADRAGESIMALIS SECUNDI

FERIA QUINTA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

I. Hodie Christus in viam iustitiae nos urget. — II. In epulone et Lazaro consideratur felicitas temporalis, quam sequitur infelicitas aeterna, et infelicitas temporalis, quam sequitur aeterna felicitas. — III. In divina praedestinatione consideranda sunt principium, medium et finis. — IV. Dei amor non mensuratur a largitione bonorum temporalium. — V. Deus saepe negat temporalia bona ut largiatur aeterna. — VI. Propter iustos in hac vita patientes Deus paradisum creavit, et propter reprobos in hac vita gaudentes creavit infernum, ut patet in Lazaro electo et in epulone reprobato. — VII. In quibus ostenditur mundanam felicitatem viam esse perditionis, temporalem autem tribulationem viam salutis . . . . Pag. 1-12

II. Alia homilia

I. In hodierno Evangelio agitur de praedestinatione et praescientia Dei, idest de paradiso et inferno. — II. Lazarus figura est praedestinatorum, epulo reproborum. Subiectum praedestinationis et praescientiae est homo; principium praedestinationis est misericordia Dei, praescientiae iustitia; medium praedestinationis est virtus, praescientiae peccatum; finis praedestinationis est paradisus, praescientiae infernus. — III. Ad salutem necessaria est fides viva, idest cum caritate et poenitentia coniuncta. — IV. Epulo damnatus est non quia dives, sed quia divitiis male usus fuit. — V. Malae concupiscentiae, metus mortis et conscientiae remorsus causa sunt maximae infelicitatis. — VI. Mundus praesens veluti scena est, qua peracta, conditiones actorum diversae et inversae cernuntur, quia in futuro superbia iniquorum humiliabitur et humilitas iustorum exaltabitur. — VII. Quoniam multi finem hunc non considerant, divina iudicia notant. — VIII. Contemnendae sunt mundanae divitiae, quae maximum periculum damnationis constituunt. Facile mundana contemnit et adversa non timet qui se cogitat moriturum . . . . Pag. 12-29

III. Alia homilia

I. Deliciae terrenae causa sunt perditionis, passiones vero vitae perpetuae. — II. Ad salutem consequendam non sufficit non male agere, sed oportet etiam bene agere. — III. Ex mundanis hominibus pauci salvantur, quia pauci sunt qui poenitentiae et misericordiae operibus incumbunt. — IV. Figura mundanae felicitatis in visione Zachariae. — V. Ostenditur etiam hodie duplex imago: altera mundi huius, ubi mali bonis abundant, iusti autem malis premuntur; altera saeculi futuri, ubi partes invertentur . . . . Pag. 29-37

FERIA SEXTA DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

I. Hodierna parabola vult Christus ostendere peccatoribus statum propriae damnationis. — II. In hodierno Evangelio agitur de Deo, de Christo, de Ecclesia et de rectoribus Ecclesiae. — III. Vinea haec a Deo plantata synagogam figurat et electionem ac reprobationem populi iudaici. — IV. Synagoga innumera et maxima beneficia a Deo acceperat, sed ingrate omnia rependit, ipsumque Dei Filium occidit, unde eius reprobatio secuta est. — V. Figurat etiam Ecclesiam speciali providentia a Deo in hoc mundo plantatam, optime instructam et defensam. — VI. Diabolus etiam suam vineam habet, quae est vita carnalis concupiscentiae. — VII. Sicut vinea nisi uvas faciat, ad ignem tantum apta est, sic homo nisi opera bona faciat. — VIII. Hodie Christus praedicit mortem suam, Iudaeorum reprobationem, Gentium electionem et futurum iudicium. Pag. 38-48

II. Alia homilia

I. Sub parabola vineae Christus Ecclesiam designavit. — II. Multae analogiae sunt inter vineam et Ecclesiam. — III. Vinea Domini synagoga erat, sed quia in Christum credere noluit, duplici poena percussa fuit: temporali et aeterna. — IV. Hodie Christus prophetam agit, exprobrat enim peccata Iudaeorum, vaticinatur de passione sua et docet sanctitatem vitae. — V. Ostenditur in hodierno Evangelio infinita Dei bonitas erga homines et maxima hominum contra Deum impietas. Deus pro vita nostra naturali mundum creavit et pro supernaturali Ecclesiam instituit et Sacramenta. — VI. Maiora his beneficia conferre non potuit. — VII. Ecclesia dicitur *hereditas* Christi, quia ipse eam acquisivit sanguine suo . . . . Pag. 48-59

III. Alia homilia

I. Agitur in hodierno Evangelio de reprobatione synagogae et electione Ecclesiae. — II. Causae reprobationis: pessima ingratitudo maximis Dei beneficiis creationis, conservationis, protectionis, gubernationis; ambitio et avaritia; impietas in Filium Dei . . . . Pag. 59-62

IV. Alia homilia

I. Vinea figura synagogae, Ecclesiae et cuiusvis hominis. — II. Deus omnibus bona sua largitur, sed ingratis iustas poenas rependet. — III. Super omnia mundi bona fides viva et operosa aestimanda est. — IV. Deus misericors est, sed etiam iustus; beneficus et patientissimus, sed nimium provocatus magna ira exardescit. — V. Christus dicitur *lapis* ob potentiam, homo autem *vas testeum* ob fragilitatem, quia si peccaverit, conteretur. Caveamus a peccato ne severitatem divini iudicii, ut Iudaei, incurramus . . . . Pag. 63-71

SABBATO DOMINICAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE

I. Coelum maxime laetatur in poenitentia peccatoris. — II. In Deo amor erga peccatorem adaequat divinam essentiam. Hoc ostendit Christus hodierna parabola. — III. Exponitur processus quo homo ex iusto peccator fit et ex peccatore iustus. — IV. Deus permittit temporalia mala ut vexatio det intellectum. — V. In tribulatione peccator resipiscit, cognoscens peccatum suum dolet, illud confiteri proponit et sic Deum ad misericordiam inclinat. — VI. Deus pius est erga eos qui ex ignorantia vel fragilitate peccant, severus autem cum iis qui peccant ex malitia. Caveamus ergo a peccatis et de divina misericordia nimium ne praesumamus. Vera cordis poenitentia gravissima quaeque peccata remittere potest . . . . Pag. 72-80

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMAE

I. Nil difficilius quam obsessum a diabolo liberare. — II. Diabolus dicitur *fortis et armatus* quia praeditus fortitudine intrinseca naturali et extrinseca artificiali; dicitur etiam *lupus, leo, draco, serpens,* quia mille modis tentat et seducit. — III. Dicitur *fortis* quia mira operari potest ad iustos persequendos; *armatus* quia hominum malitia utitur contra Deum; *calumniator* quia veram fidem semper impugnat. — IV. Diabolus a Christo victus et expulsus de mundo fuit, sed revertetur antichristi tempore ad Ecclesiam persequendam. — V. Fortis est diabolus quia natura nobilissimus, sed fortior Christus quia Filius Dei . . . . Pag. 81-86

II. Alia homilia

I. Christus non magicis artibus, sed vere et virtute sua daemonem expellit. — II. David sono citharae daemonem expellens figura fuit Christi diabolum ab homine eicientis. — III. Lucifer cecidit quia divinum mandatum, ut Verbum Incarnatum adoraret, contempsit, et sic ex principe Angelorum factus est princeps daemoniorum. Si homo non peccasset, Filius Dei incarnatus fuisset ut glorificator humanitatis. - IV. Diabolus per peccatum factus est princeps mundi. Christus diabolum eicit quoad potestatem et magna ex parte quoad possessionem, non autem totaliter quoad efficaciam. — V. Christus non tantum ex misericordia, sed etiam ratione iustitiae hominem de manu diaboli liberavit et pristinae integritati restituit. — VI. Eiciens hodie diabolum Christus ostendit potentiam, sapientiam et bonitatem suam. — VII. Daemoniacus hodiernus figura hominis qui in peccatis vivit. — VIII. Peccatum hominem diabolo captivat, a quo Deus nos liberare semper quaesivit. — IX. Viso tali miraculo, turbae admirantur Christi virtutem, Pharisaei autem calumniantur. Magnum discrimen est inter miracula divina virtute facta et ea quae fiunt arte diaboli. — X. Pharisaeorum impietatem Christus quattuor efficacissimis rationibus confutat. — XI. In fine hodierni Evangelii laudatur Beata Virgo Maria, in qua maledictio contra serpentem ostenditur adimpleta. — XII. Diabolus de supremo Angelorum ordine erat; peccando autem naturalia dona non amisit; ergo ad eum vincendum opus erat Christum divina virtute praeditum esse . . . . Pag. 86-108

III. Alia homilia

I. Ostenditur hodie Christi potentia contra satanam, qui omnium Angelorum fortissimus est. — II. Diabolus sua usus est potestate contra hominem, Christus autem pro homine. Christus diabolum superavit non tantum potentia, sed potius humilitate . . . . Pag. 108-111

IV. Alia homilia

I. Daemoniacus evangelicus figura Adami propter peccatum sub potestate diaboli constituti. — II. Proponuntur in hodierno Evangelio duo regna: Dei et satanae. — III. Multa fecit Deus ut nos a potestate daemonis liberaret; cavendum ergo est ne iterum in servitutem peccati redeamus. — IV. Cavendum maxime a recidivo, ne infirmitas spiritualis incurabilis fiat. — V. Ad conservandam gratiam maxima sensuum custodia opus est. — VI. Ostenduntur hodie potentia, sapientia et malitia diaboli a Christi potentia et bonitate superatae. — VII. Ostenditur etiam duplex status daemoniaci, ante et post liberationem. — VIII. Christus in mundum venit ut diabolum eiceret. — IX. Recidivus multo gravius a Deo punitur, quia voluntate potius quam fragilitate peccat. Pag. 111-120

FERIA SECUNDA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

I. Deus pro salute omnium Filium suum in mundum misit. — II. Deus omnes vult salvari, quamvis uni maiorem conferat gratiam quam alteri. — III. Stulte, iniuste et temerarie Nazareni conqueruntur de Christo, quia iudicia Dei imperscrutabilia sunt. — IV. Divina electio non est opus iustitiae retribuentis, sed gratiae gratuitae. Secreta divini consilii ipsis Angelis abscondita sunt, soli Christo cognita. — V. Quattuor de causis Christus in Nazareth miracula non operabatur, quae ostendunt causas damnationis reproborum. — VI. Omnes Deus praedestinat ad gloriam et omnibus dat media salutis. — VII. Media necessaria ad salutem non miracula sunt, sed fides viva et caritas vera. — VIII. Signum valde certum reprobationis est divinae exhortationis contemptus, qui oritur ex cordis duritia et impoenitentia. — IX. Praecipua media salutis sunt Sacramenta et specialiter Baptismus et Eucharistia. A voluntate nostra ergo pendet ut simus praedestinati . . . . Pag. 121-132

II. Alia homilia

I. Ostenditur hodie Christus verus propheta in lege promissus, omnium Prophetarum maximus. — II. Triplex est prophetia qua Christus praeditus fuit: de praeteritis, de praesentibus, de futuris. Christus egit omnia Prophetarum munera, quae erant praedicare veritatem, miracula operari et pro populo orare. — III. Admirabantur Iudaei Christi sapientiam, sed quia eorum vitia carpebat, calumniari coeperunt eius vitam, doctrinam et opera; — IV. et quia exemplis Eliae et Elisei se verum Messiam esse comprobabat, tanquam blasphemum eum occidere volebant. — V. Eliae et Eliseo Christus se comparat quia veri prophetae habebantur et duo eorum potiora miracula Baptismum et Eucharistiam figurabant. — VI. Tanto odio Iudaei contra Christum agebantur quia superbi et invidi. — VII. Sed Deus nec bonis eget, nec malis affici potest; qui autem peccat, ipse sibi damnationem acquirit. — VIII. Christus seipsum mortis periculo hodie exponit, quia omnes vult salvari, etiam malos, — IX. et omnibus dat media salutis, idest fidem, redemptionem, Sacramenta, quae in Ecclesia reperiuntur . . . . Pag. 133-146

III. Alia homilia

I. Agitur hodie de imperscrutabili mysterio divinae praedestinationis. — II. Deus iustissimus et sapientissimus neminem damnat nisi volentem; hominis ergo est ut sit electus, sed Deus neminem cogit. — III. Nazareni derelinquuntur a Christo quia contemptores, increduli, maligni, invidi et contumaces. Fides et caritas via sunt salutis. — IV. Deus neminem cogit, cum naturale sit homini desiderium salutis; sed pauci sunt qui salvantur ex defectu verae fidei. — V. Loquitur hodie Christus de electione Gentium et reprobatione Iudaeorum. — VI. Iniuste multi conqueruntur de divina providentia, nam Deus omnibus dat media necessaria ad salutem, — VII. et pro omnibus Filium suum misit in mundum et paradisum pro omnibus paravit. — VIII. Capharnaum et Nazareth figurae duarum civitatum: Dei et diaboli, in quas dividitur mundus. Pag. 146-156

FERIA TERTIA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

I. In potestate linguae Deus posuit mundi salutem, si linguam caritas moveat. — II. Praeceptum correptionis fraternae datur praecipue praelatis, sed spectat etiam ad omnes fideles, quia omnes caritate fulgere debent. — III. Caritas omnes virtutes splendore suo illustrat et perficit. Comparatione solis duodecim signa coeli percurrentis ostenditur progressus caritatis in homine erga Deum et proximum. — IV. Requirit Christus maximam caritatem, ideo mandat omnibus iniurias dimittere; praelatis autem imponit onus correptionis caritativae et iudicialis pro bono totius

Ecclesiae. — V. Quibus modis et conditionibus facienda est correptio. Mandatum hoc praecipue imponitur praelatis, quia auctoritas summi ponderis est. — VI. Praescribitur ordo servandus in fraterna correptione. — VII. Pauci sunt qui corripere possunt ob defectum virtutis, pauciores qui corripi patiantur; multi autem qui male corripiunt et multi qui correpti peiores fiunt . . . . Pag. 157-168

II. Alia homilia

I. Duo mandat hodie Dominus: iniurias dimittere et fratrem corripere ad eum salvandum. Deus in corripiendo semper mitissimus fuit. — II. Magnum praemium promittitur corripienti cum caritate, quia Deus maximi facit salutem animae, pro qua Christus ipse vitam dedit. — III. Pro salute animae Christus Ecclesiam instituit divina potestate praeditam. — IV. Nobis autem facillima praecipit ad salvandam animam. — V. Peccatum fratris semper excusandum est, iniuria autem patienter ferenda. — VI. Multis rationibus Christus urget ad correptionem fraternam. — VII. Praelati, ut hoc opus rite exerceant, bona conscientia, certa scientia, bona voluntate et caritate praediti esse debent. — VIII. Multi divinum hoc mandatum negligunt, quia nec veram caritatem habent nec pretium animae cognoscunt . . . . Pag. 168-180

III. Alia homilia

I. Magna est virtus linguae ad fratris tum salutem tum perditionem. — II. Qui corrigi nolunt odio habent correptionem; qui virtutem quaerunt, correptorem diligunt et desiderant. — III. Dans hodie Christus praeceptum correptionis fraternae, ostendit magnum desiderium salutis nostrae; perditio autem animae damnum infinitum est; hoc elucet ex eius creatione; — IV. elucet etiam ex eius natura et operationibus. — V. Fraterna correptio est ergo maximum beneficium, quia poenitentiam parat ad reparandum peccatum, quod est maximus animae inimicus . . . . Pag. 180-188

FERIA QUARTA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

I. Statuta humanae cuiusvis auctoritatis nil valent contra leges divinas. — II. Leges humanae onerosae sunt, multa mala permittunt, iustitiam tantum externam quaerunt; lex divina levis est, nullam imperfectionem admittit, omni virtute animam instruit, perfectam caritatem erga Deum praecipit et perfectam iustitiam erga proximum. — III. Decem praecepta divinae legis cum decem sphaeris coeli comparantur. — IV. Lex divina veluti scala coelestis est qua in paradisum ascenditur, sed Pharisaei eam impie perverterant. — V. Leges humanae saepe contra divinam legem sunt, ideo tales humanarum legum conditores *caeci et duces caecorum* a Christo vocantur. — VI. Diligentibus Deum lex divina levis est tum in scipsa tum ratione praemii quod promittit, et supplicii quod minitatur. — VII. Legem divinam servare tenemur quia perficit intellectum et voluntatem et servatoribus suis causa est gloriae et voluptatis; urgemur etiam auctoritate divinae maiestatis, gratitudine erga divinam bonitatem. — VIII. Ad servandam divinam legem Deus adiuvat gratia sua. — IX. In Sacris Litteris iusti figurantur per bonas arbores, reprobi autem per arbores malas . . . . Pag. 189-201

II. Alia homilia

I. Exhibentur discrimina inter leges humanas et divinas et inter veros fideles Dei et homines mundanos. — II. Mundani figurantur per scribas et Pharisaeos, qui externam virtutem tantum quaerebant. — III. Deus super omnia requirit puritatem affectuum internorum . Pag. 201-206

III. Alia homilia

I. Agitur hodie de praecepto honorandi parentes. — II. Praeceptum hoc Deus maximi facit, quia plurimas virtutes continet. — III. Ideo Christus acriter in scribas et Pharisaeos invehitur, qui irritum faciebant sub praetextu divini honoris. — IV. Pater honorandus est quia imago divinae bonitatis; hinc Deus benedictionibus afficit filios pios erga parentes, multis autem maledictionibus ingratos. — V. Amor parentum erga filios naturalis est, sed ex vera caritate oriri debet. — VI. Parentes filios diligere debent secundum Deum, pro eis quotidie orare, doctrinam christianam et bonos mores nec non diversas artes instruere, virtutum exempla illis praebere, corrigere et consiliari, a societate malorum custodire, aeque inter eos bona dividere. Pag. 206-215

IV. Alia homilia

I. Disputat hodie Christus cum Pharisaeis de puritate vitae; — II. ostendit autem non externam immunditiam Deo displicere, sed internam, quia non cibus sed vitium inquinat animam. — III. Inde patet magna Pharisaeorum obcaecatio, qua, etiam visis Christi miraculis, in eum credere noluerunt. — IV. Septem praecipue documenta habemus in hodierno Evangelio. — V. Docet speciatim Deo magis obediendum quam hominibus, in divina lege meditandum, — VI. necessariam esse iustitiam internam et externam, sed hanc sine illa hypocritiam esse. — VII. Severissime iudicabuntur qui propter traditiones humanas legem Dei transgressi fuerint. — VIII. Indignatur Christus contra Pharisaeos, qui ob impias traditiones populum ad peccandum inducebant. — IX. Post Deum parentes maxime diligendi sunt, quia imagines bonitatis Dei; ad hoc natura ipsa et divina auctoritas nos urgent . . . . Pag. 215-228

FERIA QUINTA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

I. Christus medicus appellari voluit et hodie medici officium exercet. — II. Ostenditur Christus medicus excellentissimus, quia infinita scientia, experientia, caritate et potentia praeditus. — III. Ostenduntur etiam eius humilitas, caritas, sapientia, pietas et patienta. — IV. Curando socrum Petri Christus multa egit, quae mystice figurant quanta operatur ad iustificandam animam. — V. Infinita bonitas Christi liberat nos ab omnibus malis internis et externis et omnia bona desiderabilia concedit. — VI. Christus ergo nobis cognoscendus est, quaerendus et inventus detinendus cum vero desiderio salutis nostrae. — VII. Paucos Christus curat ab infirmitatibus spiritualibus quia non bene rogatur . . . . Pag. 229-239

II. Alia homilia

I. Ostenditur mysterium reprobationis synagogae et electionis Ecclesiae Gentium. — II. In iis quae Christus hodie egit multa mysteria significantur. — III. Christus Iudaeis causa fuit perditionis, Gentilibus autem salutis. — IV. Christus in mundum venit ad eiciendum daemonem et dandam hominibus vitam aeternam. — V. Ad remittenda peccata duo specialiter instituta sunt sacramenta: Baptismum et Poenitentia. — VI. Sobna principatu spoliatus et Eliacim eius loco suffectus figurant mysterium et causas reprobationis synagogae et electionis Ecclesiae. — VII. Medicus vero divinus Christus est qui virtute suae passionis omnes gratias largitur et omnes infirmitates curat. — VIII. Infirmitas socrus Simonis designat naturam humanam peccato originali infectam et multis infirmitatibus laborantem . . . . Pag. 239-249

III. Alia homilia

I. Multa mysteria continentur in hodierno Evangelio. — II. Socrus Simonis figura Gentilitatis vitiorum febribus aestuantis, ad quam curandam Christus venit. — III. Christus mundi optimus medicus et medicina est, quia omnia vitia gratia sua curat. — IV. Multae vitiorum febres regnant in populo christiano, quia sanitas non confertur nisi volenti . . . . Pag. 250-254

FERIA SEXTA DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

I. Deus Christum misit salvatorem ab omnibus malis contra diabolum mundi perditorem. — II. Christus constitutus est a Deo Salvator mundi. — III. Vera salus vita aeterna est, Christus autem verus Salvator, quia auctor est nostrae praedestinationis, iustificationis et glorificationis. — IV. Patriarcha Ioseph singularis figura Christi fuit. — V. Fons Iacobi figura gratiae Christi et gloriae aeternae et ipsius Christi, qui fons est divinitatis et totius salutis. — VI. Christus Salvator est, sed requirit a nobis fidem, poenitentiam et pietatem in Deum ut salvator noster sit. — VII. Est perfectus Salvator, quia liberat nos a malis omnibus et confert omnia bona. — VIII. Speciale munus Christi est animas salvare, sicut ostendit dictis et factis, — IX. et hodie cernitur in iis quae egit ad convertendam samaritidem . . . . Pag. 255-266

II. Alia homilia

I. Duo sunt genera bonorum: terrenorum et coelestium, pro duplici vita hominis: animali et divina. — II. Qui Christum cognoscit contemnit temporalia et sola coelestia desiderat. — III. In samaritidis conversione ostenditur admirabilis ars Christi et processus gratiae in conversione animae. — IV. Proprium Dei est ex minimis maxima facere, sicut unius mulieris ministerio usus est ad convertendos Samaritanos. — V. Ad praedicandam fidem Deus misit Patriarchas et Prophetas, sed Apostoli messuerunt quod illi seminaverunt. — VI. Ad veram salutem consequendam requiritur fides viva in Christum, qui fons est omnium bonorum in quibus vera felicitas consistit. Pag. 266-274

III. Alia homilia

I. Ostendit hodiernum Evangelium Christi paupertatem et divitias, humilitatem et gloriam. — II. Una mulier olim causa fuit ruinae Samariae, nunc alia mulier causa est salutis. — III. Ostenditur etiam hodie modus perfectae conversionis animae ad Deum. — IV. Homo singulare opus Dei est, sed peccato deformatum, a Christo autem reformatum fuit. — V. Hoc ostenditur hodie in samaratide, quam Christus renovat in intellectu per fidem et in voluntate per desiderium rerum coelestium. — VI. Sichar, civitas infidelis, figura mundi peccatoris, — VII. ad quem salvandum Christus venit. — VIII. Salus aeterna maximum donum est divinae caritatis. — IX. Duplex est salus quam Christus dat: gratiae in hoc mundo et gloriae in paradiso; duplex etiam genus bonorum proponitur: corporalium quae nunquam satisfaciunt, et spiritualium quae nunquam deficiunt . . . . Pag. 275-285

SABBATO DOMINICAE TERTIAE QUADRAGESIMAE

I. Ostenditur hodie gloria purissimae Virginis Mariae. — II. Beatae Virgini tribuenda est omnis perfectio absque ullo penitus defectu et vitio. — III. Virgo vere admirabilis, quae peperit Deum hominem Christum, — IV. virgo semper manens, quod est maximum Dei miraculum . . pag. 286-290

Fragmentum. — Super omnes Sanctos Christus praeditus fuit caritate erga Deum et homines. Pag. 290-291

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMAE

I. Christus summa providentia, prudentia et bonitate Ecclesiam gubernat. — II. Magnum miraculum hodie operatur, quo ostenditur verus Messias. — III. Circa hoc miraculum duodecim mysteria proponuntur consideranda. — IV. Multi si non verbis, facto tamen ostendunt se divinam providentiam non credere; — V. terrena enim tantum non coelestia quaerunt, ideo Deus eos sinit egestate perire. — VI. Christianus secundum fidem non secundum humanam tantum rationem vivere debet. — VII. Deus eos qui ipsi serviunt perire non sinit; — VIII. sed tentat ad probandam eorum fidem. — IX. Deus necessitatibus nostris providet, dummodo regnum eius primo quaeramus. — X. Fidelibus suis Deus prius inopiam dat, deinde maximam copiam, quia omnipotens est. — XI. Ostendit hodiernum Evangelium miracula Christi causam fuisse conversionis Gentium. — XII. Ostendit etiam quali animo oporteat Christum sequi. — XIII. Panis hodiernus multiplicatus figura est panis eucharistici . . . . Pag. 292-309

II. Alia homilia

I. Deus omnium curam gerit tum bonorum tum malorum, — II. maxime vero illorum qui in statu perfectionis Christum sequuntur. — III. Elucet in hodierno Evangelio infinita pietas Christi. Pag. 309-312

III. Alia homilia

I. Hodie Ecclesia providentiam Dei considerandam proponit, qui omnium curam gerit, maxime suorum. — II. Pauci Christum sequuntur et in vanitatibus vitam insumunt. — III. Digni speciali providentia tantum sunt qui carnem spiritui subiciunt ab adolescentia. — IV. Christus ostenditur hodie verus Messias . . . . Pag. 312-315

IV. Alia homilia

I. Mysterium divinae providentiae coniunctum est cum mysterio creationis. — II. Saepe Divina Scriptura loquitur de divina providentia, quia haec basis est totius religionis. — III. Deus servos suos aliquando penuria tentat ut ad eum recurrant. — IV. Fideles Dei abundant pane materiali et spiritualibus consolationibus. — V. Nunc Deus omnibus providet, bonis et malis, sed ingrati tandem ab eius paterna providentia excludentur . . . . Pag. 315-320

FERIA SECUNDA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

I. Christus summo amore Patrem diligebat, ideo summo zelo honorem eius vindicat. — II. Christus mitissimus simul et zelantissimus erat. — III. Hodie iustissimus ostenditur mercatores de templo eiciendo, misericordissimus signa operando. Christus ille Angelus est a Malachia vaticinatus. — IV. Pietate motus in templum ascendit, zelo accensus profanatores inde eicit. — V. Ex decem circumstantiis magis elucet insignis praestantia huius divini facinoris. — VI. Zelus Christi pro honore Dei maior fuit zelo omnium virorum qui in Sacra Scriptura laudantur. — VII. Avaritia pertrahit hominem ad maiora crimina, ideo Christus eam maxime odit in domo Dei. — VIII. Ostendit Christus damnandos esse qui avaritiae student. — IX. Docet non solum malum removendum esse, sed etiam occasiones mali . . . . Pag. 321-332

II. Alia homilia

I. Templum Ierusalem singularis figura Christi fuit, qui verum templum Dei est propter divinitatem et sanctitatem in ipso inhabitantem. — II. Actio prorsus divina est oratio, qua omnia bona a Deo obtineri possunt. — III. Ut oratio efficax sit orandum est cum fide vera et conscientia purificata. — IV. Oratio est summe necessaria, utilis et delectabilis. — V. Exponuntur conditiones ut oratio semper exaudiatur . . . . Pag. 332-338

III. Alia homilia

I. Christus verum templum Dei est, in quo Deus inhabitat per naturam, per gratiam et per gloriam, ideo maxima sanctitate praeditum et formatum. — II. Sicut Christus nos quoque sancti esse debemus, quia et nos templum Dei sumus, imago Dei et Christi. — III. Magna indignatione Christus hodie commovetur, ut ostendat neglectam religionem causam esse flagellorum Dei; — IV. sed simul etiam misericordiam ostendit. — V. Significat insuper actus divini cultus Deo non placere nisi fiant animo purificato; et prophetice loquitur praedicens passionem suam. — VI. Exhibet exemplar perfectum vitae christianae et praelatis exemplum iustitiae et pietatis. — VII. Zelat divinum honorem et salutem populi purificans sacerdotium, a quo pendet salus corporis Ecclesiae. — VIII. Terreni thesauri vere sunt cisternae dissipatae. — IX. Deus immutabilis semper manet, sed clemens vel iustus ostenditur iuxta merita nostra. — X. Fugiendum ergo est peccatum, timenda iustitia, misericordia speranda . . . . Pag. 338-350

FERIA TERTIA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

I. Deus omni sapientia Christum replevit. — II. Sapientia res quaedam divina est, in summo pretio semper habita; sed in Christo invenitur omnis scientia creata et increata. — III. Solus Christus pollet omni scientia rerum naturalium et supernaturalium, praeteritorum, praesentium et futurorum. — IV. Perfectissimus fuit in natura, gratia et gloria, constitutus a Deo dominus universae naturae, iudex universalis, rex coeli, homo deificatus, ideo habet scientiam divinam. — V. Merito ergo mirabantur Iudaei sapientiam eius, docebat enim, delectabat et movebat. — VI. Doctrinam Christi cognoscere nequeunt qui, ut Iudaei, malo animo sunt affecti. Pag. 351-359

II. Alia homilia

I. Christus cognoscit omnia naturalia et supernaturalia, — II. quia plenus scientia divina utpote Filius Dei naturalis. — III. Tanta scientia Christum praeditum esse oportebat, quia missus fuerat ad declaranda divina mysteria . . . . Pag. 360-362

III. Alia homilia

I. Christus ascendens in templum in medio hebdomadae docet incedendum esse media virtutis via, — II. et hominem debere spiritualiter, non animaliter vivere. — III. Iudaeis calumniantibus ostendit doctrinam suam vere a Deo esse. — IV. Doctrina Christi magna et mirabilis est et veram sapientiam docet. — V. Designatur Christus eiusque infinita sapientia per aureum candelabrum Zachariae, ipse enim novit omnia quae cadunt sub cognitione intellectus. — VI. Candelabrum illud significat etiam Christi infinitam caritatem; — VII. septem autem lucernae candelabri fideles designant, duae vero olivae legem et Prophetas. — VIII. Septem praecipua documenta nobis praebet hodiernum Evangelium sapientiae Christi. — IX. Tali tantaque sapientia Deus animam Christi replevit ad ostendendam potentiam et bonitatem suam, ad gloriam

ipsius Christi et ad utilitatem nostram. — X. Agit hodiernum Evangelium de scientia mundi, quae est doctrina satanae, et de scientia Christi, quae est ipsa divina veritas. — XI. Deus vult omnes vere sapientes esse in schola Christi . . . . Pag. 362-375

IV. Alia homilia

I. Sapientia Christi mirabilis est, divina et ineffabilis. — II. Christus triplici scientia praeditus est: humana, angelica et divina, quia ipse est ipsa sapientia Dei. — III. Plena fides ergo illi praebenda est de corde puro et bona conscientia. — IV. Tanta sapientia Christus praeditus fuit ut mundum regeret et salvaret fide. — V. Vult Christus ut omnes divinas veritates cognoscant, haec est enim vera vita. — VI. Ad Christi doctrinam adipiscendam requiritur docilitas spiritus, diligens studium et assiduus labor . . . . Pag. 375-382

FERIA QUARTA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

I. Christus hodie caecum illuminat ut se ostendat lucem mundi. — II. Operatur hodiernum miraculum ad patefaciendam divinitatem suam. — III. Multiplici de causa Deus dicitur *lux*, sed praecipue ratione gratiae et gloriae. — IV. Christus ostenditur hodie verus auctor gratiae et gloriae. — V. Vocatur speciatim *Rabbi*, quia ipse est verus doctor sapientiae coelestis, qui novit omnia secreta Dei. — VI. Multa mysteria proponuntur consideranda in hodierno miraculo. — VII. In caeco isto exhibentur signa ad dignoscendos illuminatos et excaecatos spirituales. — VIII. Non semper Deus mala immittit in punitionem peccati, sed etiam ad ostendendam gloriam suam et virtutem iustorum probandam . . . . Pag. 384-394

II. Alia homilia

I. Caecum hunc illuminando Christus ostenditur verus Deus, auctor naturae et fons gratiae; — II. hoc clarius patet considerando factum, modum et mysterium. — III. Specialiter quoad mysterium considerare oportet auctorem huius miraculi, subiectum, modum et finem. — IV. Conversio mundi ad fidem Christi maximum miraculum fuit. — V. Lumen fidei hominem reddit sapientem et intrepidum. — VI. In illuminatione huius caeci Christus maxime ostendit potentiam suam, sapientiam et bonitatem. — VII. Deus hominem hunc caecum nasci voluit ut gloria et divinitas Christi manifestarentur. — VIII. Christum colere significat humilem et vere religiosam vitam ducere. — IX. Christus ad hunc caecum illuminandum utitur mediis non idoneis, sed naturaliter contrariis. — X. Illuminatio huius caeci figurat illuminationem mundi a caecitate infidelitatis, quae vere mirabilis fuit. — XI. Sanans corpora Christus sanabat etiam spiritus. Lutum mystice multa significat. — XII. Multis mediis Deus utitur ad illuminandas hominum mentes. Multis modis Christus caecos illuminavit, quia ex illuminatione caecorum praecipue agnoscendus erat verus Messias . . . . Pag. 394-412

III. Alia homilia

I. Exhibetur hodie veluti tragicomoedia in sex actus distincta. — II. Christus hodie dicitur *lux*, quia coaeternus, coaequalis et consubstantialis Patri; *lux mundi* tum visibilis tum invisibilis, quia Deus homo . . . . Pag. 412-415

FERIA QUINTA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

I. Hodie ostenditur Christi imperium supra mortem corporis et spiritus. — II. Ex hodierno miraculo Christus probat se esse verum Messiam et verum Deum. — III. Homo immortalis conditus fuit quoad vitam corporalem et spiritualem. — IV. Circumstantiae huius miraculi multa mysteria significant. — V. Christus mortem corporalem vicit ut ostendat se vicisse etiam mortem spiritualem, quia peccati causa mors in mundum intraverat. — VI. Imperiose loquitur Christus ut ostendat se absolutum dominum mortis esse tum corporeae tum etiam spiritualis . . Pag. 416-424

II. Alia homilia

I. Tria consideranda sunt: mors post vitam, vita post mortem, auctor miraculi. — II. Mors privatio est omnium bonorum naturae. — III. In hoc defuncto cernitur vanitas vitae humanae. — IV. Cogitatio mortis cohibet a peccatis. — V. Diabolo seducenti resistendum est et futura resurrectio nostra meditanda, quam Christus passione et morte sua nobis promeruit. — VI. Ea quae Christus egit ad hunc mortuum suscitandum mystice designant quanta egerit pro salute nostra, ad peccatores iustificandos. — VII. Exhibetur hodie figura vitae, mortis et resurrectionis Christi et cuiuscunque fidelis . . . . Pag. 424-432

Brevis allocutio

I. Contemplatio mortis utilissima philosophia est et semper meditanda. — II. Nemo nisi divina virtute revocari potest de morte ad vitam. — III. Christus abstulit poenas peccati et gratiam contulit, sed remanent remporalia mala ut medicina contra peccatum . . . . Pag. 433-435

III. Alia homilia

I. Ostenditur hodie Christus fons vitae corporalis et spiritualis. — II. Quadruplex est causa mortis spiritualis; — III. sed Christus passione et morte sua tanquam homo vitam nobis meruit, et tanquam Deus illam nobis confert. — IV. Pro salute animae saepe corpus affligitur; sed Christus est verus consolator afflictorum. — V. Mors potentissima est, crudelis et horribilis et valde formidanda, sed optimum remedium contra peccatum . . . . Pag. 435-440

FERIA SEXTA DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

I. Suscitatio Lazari maximum fuit miraculorum Christi. — II. Christus Lazarum suscitans ostendit se triplicis vitae auctorem: naturae, gratiae et gloriae. — III. Lazarus mundum peccatorem figurat et speciatim hominem prius innocentem et postea lapsum, — IV. quem Christus sic dilexit ut pro eo mortem etiam subiret. — V. Maximam ergo caritatem Christus ostendit erga Lazarum verum et mysticum. — VI. Mors Lazari mortem spiritualem designat, resurrectio eius universalem resurrectionem ad utranque vitam. — VII. Tres mortui, quos legimus a Christo suscitatos, significant tria peccatorum genera: fragilitatis, ignorantiae et malitiae. — VIII. Gradatim peccator ad extremum devenit miseriae, sed nunquam ullius desperanda est salus . . Pag. 443-455

II. Alia homilia

I. Hoc est maximum miraculum Christi, — II. in quo elucent divina eius potentia, sapientia et bonitas. — III. Deus quos maxime diligit in eo tentat quod maxime diligunt, ad eorum maiorem con-

solationem. — IV. In hodierno Evangelio consideranda sunt factum, mysterium et immensa caritas Christi erga Lazarum verum et mysticum. — V. Occasione huius miraculi fervere coepit pugna potestatum tenebrarum contra Christum . . . . Pag. 455-461

III. Alia homilia

I. Miraculum hodiernum Christus appellat *gloriam Dei*, quia est maximum miraculorum eius. — II. Ad illud operandum triplici causa motus fuit: gloria Dei, salute populi et caritate erga Lazarum et sorores eius. — III. Hoc miraculo Christus ostenditur victor diaboli, dominus vitae et mortis et causa resurrectionis nostrae . . . . Pag. 462-467

IV. Alia homilia

I. Resurrectio Lazari symbolum est resurrectionis universalis. — II. Causa huius miraculi immensa caritas Christi fuit. — III. Opera diaboli hanc caritatem nos non noscimus, quam ipsi Iudaei noverunt . . . . Pag. 467-471

SABBATO DOMINICAE QUARTAE QUADRAGESIMAE

I. Christus lux est qua intellectus humanus divina cognoscere potest. — II. Exponuntur verba: *Ego sum lux mundi*. Christus lux est in mundo archetypo, physico et in homine — III. Unica lux est quia solus divinam essentiam plenissime videt. — IV. His verbis Christus se ostendit unicum fontem gratiae et vitae aeternae. — V. Per Christum cognoscere possumus mysteria vitae divinae, quia ipse nobis dat clarissimam Dei cognitionem . . . . Pag. 472-477